This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

KE 37329 (3-4)

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

THEOLOGIAE MORALIS

INSTITUTIONES

EX SACRIS SCRIPTURIS CANONIBUS

AC SS. PATRUM SANIORUMQUE DOCTORUM SENTENTIIS COLLECTAE

PASCHALIS FULCO

INSIGNIS COLLEGIATAE AC PRIMIGENIAE PAROCHIALIS ECCLESIAE
S. JOANNIS MAJORIS NEAPOLIS CANONICI

EDITIO NOVISSIMA

IN QUA AD UTRIUSQUE JURIS RECENTIORES SANCTIONES PLURIMA ADDITAMENTA
TRACTATUM DE MONIALIBUS APPENDICES DE MATRIMONIO
DE ECCLESIIS RECEPTITIIS DE TITULO IN ORDINATIONE REQUISITO
DE REGULIS JURIS CANONICI EC.

NUNC PRIMUM

accesserunt doctrinae theorico-practicae

EX OPERIBUS DEPROMPTAE

S. ALPHONSI M. DE LIGORIO

OPERA ET STUDIO

IOSEPHI ROMANI PRESB. NEAP.

IN ARCHIEPISCOPALI LYCEO UTRIUSQUE JURIS ANTECESSORIS SUBSTITUTI

TOM. III.

Neapoli

EX TYPOGRAPHEO AD SIGNUM ANCORAE

MDCCCXLIV.

Digitized by Google

KE 37329 (3-4)

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY
APR 7 1961

Digitized by Google

INSTITUTIONES

THEOLOGIÆ MORALIS

TRACTATUS X.

DE BENEFICIIS, ET JURE PATRONATUS

Mihi visum est, ut post Tractatum de Religione, subnecterem Tractatum de Beneficiis, uti re spirituali. De Beneficiis explicabo tantum ea, quae ad regimen conscientiarum pertinent, omissis omnibus iis, quae forum, et eruditionem spectant, quia quisque apud Canonistas addiscere poterit. Sit ergo

CAPUT I.

De definitione, et divisione Beneficiorum.

Q. Quid est Beneficium ecclesiasticum?

R. Est jus spirituale utendi ad vitam fructibus bonorum, quae titulis, et ministeriis perpetuo adnexa sunt. Dicitur *jus spirituale*, non per essentiam, sed quatenus ab officio spirituali, ob quod exercendum datur, pendet. Dicitur *utendi*, nam Beneficiarii nec domini, nec usufructuarii, sed meri usuarii sunt Ecclesiasticorum redituum, tantumque moderato victu, et vestitu contenti sunt. Dicitur *ad vitam*, puta beneficiarii, non in mensem, vel annum. Sequitur *Sacri Ministerii causa*, quia causa beneficii est Sacrum Officium, hoc est juge servitium Ecclesiae impendendum, nec dari beneficium potest sine spirituali officio. Quare Bonifacius VIII. Cap. ultim. de rescript. in VI. ait: *Beneficium datur propter officium.* Tandem adnectitur *ab Ecclesia constitutum.* Beneficium itaque auctoritate Episcopi, vel Pontificis fundari debet. Hinc Capellaniae laicales, et legata pia non beneficia, sed stipendia, et eleemosynae sunt.

Q. Quotuplex est Beneficium?

R. Multiplex est I. Dividitur in saeculare, et regulare. Primum est illud, quod tantum institutum est pro Clericis saecularibus, ita ut vacet per professionem Religiosam, uti est Canonicatus, Archipresbyteratus etc. Secundum est illud, quod pro Regularibus tantum institutum est, ita ut non possit conferri saecularibus, nisi dispensatione Pontificis, cap. 37. et seq. de election. cap. 5. de Praebend. in VI. Triden. sess. 14. de Reform. cap. 10.

II. Dividitur in simplex, et duplex. Primum est illud, quod nullam ha-

Digitized by Google

bet adnexam curam Animarum, Jurisdictionem, Praeeminentiam, sed solum Divinum recitandi officium, et Sacrum faciendi onus ut Capellania, simplex Canonicatus etc. Secundum est illud, quod habet adnexam curam Animarum, vel administrationem Ecclesiasticam, ut Episcopatus, Parochiale beneficium, Praepositura, Cantoria, Abbatia etc.

III. Dividitur in Collativum, Patronatum, et Electivum. Primum est illud, quod confertur per voluntatem absolutam, ac liberam Episcopi, alterinsve Praelati. Secundum, quod confertur ab Episcopo, vel Praelato per praesentationem a Patrono. Tertium est illud, quod confertur per suffragia Electorum, accedente postea confirmatione Superioris. Tandem dividitur in Incompatibile, et Compatibile. Incompatibile est illud, quod habet adnexam curam Animarum, vel illud quod postulat residentiam personalem, ut sunt duo Episcopatus, duo Curata beneficia etc., vel quae instituta sunt in eadem Ecclesia ad eundem finem, habentque idem onus, ac officium eodem tempore persolvendum, qualia sunt duo beneficia uniformia sub eodem tecto, ut duo Canonicatus in eadem Ecclesia, Canonicatus, et Parochia in diversis Ecclesiis. Compatibile est illud, quod non exigit residentiam personalem, nec idem onus, ac officium eodem tempore persolvendum.

CAPUT II.

De modis adquirendi Beneficia.

Solent adquiri beneficia I. Electione, et confirmatione. II. Collatione libera. III. Praesentatione Patroni, et institutione Superioris.

§ I. *De beneficiis Collativis.*

Q. Quinam est Collator supremus beneficiorum?

R. Antiquitus spectabat ad Episcopum collatio beneficiorum, sicut et ordinum, ut ex Concil. Lateran. I. Can. 3., nunc autem Collator supremus est summus Pontifex, ut ex cap. 2. de Praebendis in VI., quia ipse est Dispensator omnium bonorum Ecclesiae, Superior omnium Clericorum (1).

Q. Quibus modis Pontifex confert beneficia?

R. Tribus modis potissimum, scilicet jure praeventionis, jure concursus, et jure devolutionis. *Jure praeventionis*, cum scilicet Pontifex confert gratiam alicui de aliquo beneficio.

Jure Concursus, cum scilicet Papa concurrit cum quolibet Ordinario ad

(1) Conventione novissima an. 1818. art. XI. cautum liberam fore Episcopis Paroeciarum collationem, quae quovis anni tempore erunt vacaturae. Unde ex hodierna disciplina Paroecias liberae collationis per *Concursum* iis inter adprobatos conferre debent Episcopi, quos digniores existimant juxta Tridentini Conc. decreta (Sess. XXIV. de Ref. Cap. XVIII). Qua de re permulta sanxerunt Pius V. Bulla *in Conferendis*, et Bulla *Apostolatus* an. 1567. tum Clemens XI. in Encyclica *Reverendissime* an. 1721. et Benedictus XIV. Bulla *Cum illud* an. 1742, qui omnes praedictam formam a Tridentina Synodo in Paroeciarum collatione traditam non modo confirmarunt, verum etiam perspicue illustrarunt.

Cum vero Paroeciae esse possint juris Patronatus vel Ecclesiastici, vel Regii,

Digitized by Google

beneficium conferendum, et tunc collatio Papae valebit, etiamsi nulla desidia, vel negligentia Ordinarii Collatoris intervenerit; nam cum Papa ordinariam dederit potestatem beneficia conferendi majorem sibi reservavit, ut cum illa vellet, conferre posset. Quare inter Papam, et Ordinarium datur locus praeventioni, ita ut qui prior contulerit, ejus collatio est rata. Quod si dubitetur de proprietate, potior erit possessor, si vero neuter possideat, standum pro eo, cui Pontifex contulerit, propter conferentis ampliorem dignitatem. Pro jure tamen concursus standum juribus, et Concordatibus Regnorum, eorumque consuetudinibus a S. Sede adprobatis.

Jure devolutionis; nam tempus collationis praefinitum Episcopo, aliisque inferioribus Collatoribus sunt sex menses a die scientiae vacationis computandi, cap. 2. de Concess. Praeb; praefixum enim est ad coercendam Collatorum negligentiam, quae sine scientia dari nequit, Cap. 2. de Constit., quibus elapsis collatio devolvitur ad superiorem; unde nulla est collatio ab eo postea facta, utpote a non habente potestatem facta, ob regulam in cap. 26. de R. J. in VI., et non solum ob negligentiam devolutio datur in re beneficiaria, verum etiam propter delictum, cum nempe ii, ad quos spectat, conferant indignis,, seu inhabilibus, et incapacibus, vel non observant formam a Concilio Lateranensi sub Innocentio III. praescriptam, cap. *Quia propter*, 42. de elect. et elect. potest (1).

Q. Quinam est ordinarius beneficiorum ecclesiasticorum Collator?

R. Quod sit Episcopus pro beneficiis tum collativis, tum patronatis existentibus in sua Dioecesi, item Praelatus quasi episcopalem jurisdictionem habens pro suo restrictu. Si aliis hoc jus occupaverit, demonstrare debet titulum, praesumptio enim stat semper pro Episcopo, et Praelato.

Q. Num Episcopus debeat adhibere consensum Capituli in electione, vel collatione beneficiorum?

R. De jure communi adhibendus est consensus Capituli, secus irrita esset institutio, Cap. *Novit*. Cap. *Ea noscitur* de his quae fiunt a Praelatis *etc.* Verum nunc standum est vel privilegiis, vel consuetudinibus, quae contrarium indicant in aliquibus locis, et Ecclesiis.

Q. Num Capitulum, sede vacante, conferre possit beneficia?

R. Capitulum, seu Vicarius Capitularis vacante Sede nequit conferre beneficia, quae ad liberam solius Episcopi collationem pertinent. Hinc Ho-

vel Laicalis: hinc primo casu jure novissimo illos instituent Episcopi, quos pariter praevio concursu tanquam digniores inter adprobatos Patronus ecclesiasticus praesentabit: altero, et tertio casu, praevio examine illos instituent Episcopi quos Patronus praesentabit, dummodo idonei ipsi fuerint ad grave ministerii onus in Ecclesiae utilitatem suscipiendum. Postremo in eodem art. XI. excipiuntur Paroeciae vacaturae in Curia, aut quarum Pastores fuerint ab Apostolica Sede de aliqua dignitate, aut Canonicatu provisi. Hae omnes Pontificiae collationi reservantur.

(1) Concordatorum lege an. 1818. art. VIII. cautum beneficia simplicia liberae collationis, quae fundationis, et erectionis in ecclesiasticum titulum praerogativa potiuntur pro mensium diversitate tum a Sede Apostolica, tum ab Episcopis esse conferenda. Quamobrem a Januarii mense usque ad Junium a Summo Pontifice illa conferentur: a mense vero Julii usque ad Decembrem eorumdem collatio ad Episcopos spectabit.

Insuper eodem art. sancitum beneficiorum provisionem semper in favorem subditorum utriusque Siciliae Regni faciendam esse.

Digitized by Google

nor. III. in Cap. 2. ne Sede vacante aliquid innovetur, scribit: *Nusquam in jure cautum invèniri, quod Capitulum vacante sede fungatur Episcopi vice in Collationibus Praebendarum.* Solum potest conferre beneficia sede vacante, quae ad Episcopum, et Capitulum simul pertinebant; quia per Sedis vacationem Episcopi jus Capitulo adcrescit. Porro de jure Capitulum vacante sede potest confirmare Electos, cap. 14. de Majoritat., et obedient., potest instituere Praesentatos, Cap. 1. de instit. in VI.

Q. Quid de Vicario Generali?

R. Vicarius Generalis non potest beneficia liberae Collationis Episcopi conferre nisi de speciali mandato. Quare Bonifac. VIII. scribit in Cap. 3. de offic. Vicar. in VI. *Cum in generali concessione nequaquam illa veniant, quae quis non esset verisimiliter in specie concessurus ..... officialis, aut Vicarius Generalis Episcopi beneficia conferre non possunt, nisi beneficiorum collatio ipsis specialiter sit commissa.* Solum potest jure suo electos confirmare, et instituere praesentatos cap. 3. de Instit.

Q. Quodnam tempus debet elabi, ut dicatur beneficium devolutum ratione negligentiae?

R. Si agitur de beneficiis infra Episcopatum, vel Praelaturam regularem, spatium requiritur sex mensium a die scientiae numerandorum, Cap. 2. et Cap. 5. de concessione Praebend. Si vero agitur de Episcopatu, vel Praelatura regulari, spatium trium mensium, Cap. 41. de election. et electi potest., nam brevius tempus electioni Autistitum, quam aliarum dignitatum praestitum est, quod eorum defectus perniciosior sit Ecclesiae.

ADDITAMENTA

DE BENEFICIORUM COLLATIONE QUIBUS ANIMARUM CURA ADNEXA EST (1)

Collationem parochialium Ecclesiarum, et beneficiorum cum animarum cura, debet omnino praecedere examen in concursu coram Examinatoribus synodalibus. Enimvero statuit Tridentina Synodus, *quum parochialis Ecclesiae* vacatio .... *quodammodo contigerit* (sive in curia, sive extra illam) *etiamsi reservata, vel affecta fuerit generaliter, vel specialiter...* Episcopus statim habita notitia vacationis Ecclesiae (2), *per edictum publicum* vocabit ad concursum omnes, qui volent examinari: *transacto constituto tempore*, decem puta dierum, omnes, qui ad concursum descripti

(1) Excerpta ex opere eximio Caroli Gagliardi de beneficiis cum nostris additionibus vol. II. cap. 10. edit. Neap. an. 1842.

(2) Tridentina synodus in *cap. expedit 18. sess. 24. de ref.* in primis decrevit, ut *Episcopus, et qui juspatronatus habet infra* decem *dies, vel aliud tempus ab Episcopo praescribendum* idoneos *aliquos* clericos *ad regendam Ecclesiam coram deputatis examinatoribus* nominet. *Liberum sit tamen etiam* aliis, *qui aliquos ad*

Digitized by Google

fuerint, examinabitur ab Episcopo, vel ejus Vicario generali, atque ab aliis *Examinatoribus synodalibus non paucioribus, quam tribus.* Quorum *votis*, si pares aut singulares fuerint, *accedere possit Episcopus*, vel Vicarius, quibus magis videbitur. Peracto deinde examine *renuncientur*, Synodus ait, *quotcumque ab his Examinatoribus idonei judicati fuerint aetate, moribus, doctrina, prudentia, et aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis: ex hisque Episcopus eum eligat, quem ceteris* magis idoneum *judicaverit, atque illi, et non alteri collatio Ecclesiae ab eo fiat,* ad quem spectabit eum conferre. *Si vero* juris patronatus ecclesiastici erit, ac *institutio ad Episcopum, et non ad alium pertineat, is, quem* patronus digniorem *inter probatos ab Examinatoribus censuerit, Episcopo* praesentabit, *ut ab eo instituatur. Cum vero institutio ab alio, quam ab Episcopo erit facienda, tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem patronus ei praesentet, ad quem institutio spectat. Quod si* jurispatronatus laicorum *fuerit, debeat qui a patrono praesentatus erit, ab iisdem deputatis ut supra examinari, et nonnisi idoneus repertus fuerit, admitti:* alias collatio, seu institutio tamquam subreptitia nullius momenti erit (1).

Tum S. Pius V. Tridentinam legem hanc declarans, et amplians multa imperavit. 1. Ut servetur Tridentina forma concursus. 2 Episcopus parochiam, quae in mense ordinario vacaverit, conferre infra sex menses debeat, alias devolvatur provisio ad Sedem Apostolicam. 3. Ut vacante in mense apostolico Ecclesia, teneatur Ordinarius intra quatuor menses, praevio concursu significare Summo Pontifici, vel ejus Datario magis idoneum ex concurrentibus: aliter collatio apostolica fiat sine concursu Ordinarii. 4. Patroni intra legitimum tempus nimirum sex, vel quatuor mensium, praesentare unum, vel plures idoneos teneatur, et praesentatus intra duos inde menses institutionem petere, ac obtinere. 5. Ordinarius nequeat ultra decem alios dies prorogare terminum vel concurrentibus, vel patronis a Tridentino constitutum decem dierum ad nominandos idoneos clericos coram synodalibus Examinatoribus. 6. Parochiales omnino dignioribus conferantur, alias electo minus digno posthabitus dignior valeat ab irrationabili judicio Episcopi, et Examinatorum appellare ad Metropolitanum, et Sedem Apostolicam, vel si Metropolitanus, aut exemptus fuerit, ad viciniorem Episcopum, tamquam Sedis Apostolicae delegatum: non impedita interim executione praeelectionis ab Ordinario factae, atque per novum examen si con-

id aptos noverint, eorum nomina *deferre, ut possit postea de cujuslibet aetate, moribus, et sufficientia fieri diligens inquisitio. Et si Episcopo, aut Synodo provinciali pro regionis more videbitur magis expedire, per* edictum etiam *publicum vocentur qui volent examinari.* Primus hic Tridentini decreti articulus exolevit, quum solum usu vigeat Episcopale edictum convocans concurrentes ad examen cum termino dierum decem.

(1) Necessitas publica videtur legem hanc Tridentinam postulasse. Nam *non est hoc consulere populis, sed nocere, non praestare regimen, sed augere discrimen: integritas enim praesidentium salus est subditorum,* scripsit S. Leo M. *ep.* 1., alias 87. ad Episcopos Africae. Ad rem hanc videsis *inst.* 12, Lambertini, alias Benedicti XIV, qui necessitatem istam eligendi parochos digniores comprobat exemplo architecti, cum Guilielmo Parisiensi.

Digitized by Google

stiterit de irrationabili judicio, collatio revocetur. Quidquid aliter fuerit gestum, denique irritum declaratur, et inane (1).

Deinde litteris S. Congregationis Concilii die 10. Ianuarii 1721. de mandato Clementis XI, haec alia in conferendis per concursum parochialibus Ecclesiis praescripta sunt. 1. Ut assignentur eaedem omnibus concurrentibus quaestiones, iidem casus, idemque textus Evangelii uno eodemque tempore, iisque certum, et congruum horarum spatium constituatur, intra quod casus resolvant, et quaestionibus respondeant latine, conciunculam vero componant materno, et vulgari sermone. 2. Ut concurrentes omnes in uno conclavi claudantur, in quo data singulis scribendi commoditate, et responsa et sermonem singuli sua manu scribant, et subscribant, e quo egredi, nisi postquam scripta confecerint, ac tradiderint Examinatoribus, liceat nemini. 3. scripta responsa, et conciunculas tam Episcopus, vel Vicarius generalis, quam Examinatores, et cancellarius concursus subscribant. 4. Collata inde per ejusmodi concursum ei Ecclesia parochiali, qui fuerit magis idoneus, ac dignior judicatus, nisi intra decem dies a die collationis interponatur appellatio, non admittatur haec amplius tam a mala relatione Examinatorum, quam ab irrationabili judicio Episcopi. 5. Si quis tamen intra decendium appellaverit, acta concursus, vel originalia, vel eorum copia rite collata coram Vicario generali, vel alio per Ordinarium deputato, et subscripta per Cancellarium, et Examinatores synodales, qui concursui interfuerint, clausa, et obsignata, ad judicem appellationis transmittantur: ex quibus nisi gravamen quod ad doctrinam liqueat, ad novum examen provocandi facultas frustra postulabitur. Quod vero ad mores, et reliqua, nisi probaverit appellans vel ex iisdem actis, vel aliis documentis non levibus illatum gravamen, frustra persequetur appellationem.

Denique nuperis Benedicti XIV. litteris encyclicis, datis die 14. Decembris 1732. (2) clarior methodus conficiendi concursum constituta est sequentibus septem articulis. In primis, statim habita notitia vacationis Ecclesiae ad praescriptum Tridentini idoneus in ea per Episcopum deputetur Vicarius curatus cum congrua fructuum portionis assignatione, onera ipsius Ecclesiae sustenturus, donec ei de rectore provideatur. 2. Publico evulgetur edicto notitia concursus cito post decem dies celebrandi, eodemque edicto dare admoneantur concurrentes, ut interim in Curia Episcopali, suarum qualitatum, meritorum, et munerum probationes, attestationes tam judiciales, quam extrajudiciales aliaque id genus documenta, quae fraude vacent: ac veritate nitantur, exhibeant: alioquin decem lapsis diebus documenta ejusmodi, qualiacumque ea sint, nullatenus recipiantur. 3. Eveniente die concursus, a Cancellario Episcopali singulorum merita, qualitates, et requisita fideliter deprompta ex documentis tempore habili exhibitis in scriptis summatim rediganter, et copia istiusmodi summarii tradatur non solum Episcopo, vel ejus Vicario generali, sed omnibus sigillatim examinatoribus ad concursum adscitis, ut ferant quum de scientia, tum de vita, moribus, aliisque dotibus regendae Ecclesiae necessariis judicium.

(1) S. Pius V. *const. in conferendis 33.* data 15 Kal. April. 1567, quam exscribit St. Quaranta *in summ. bullar.* tit. *beneficiorum parochialium collatio.*

(2) Benedict. XIV. in *const. cum illud* 68. *to.* 1. Bullarii.

Digitized by Google

Die praestituta habeatur coram Episcopo, vel Vicario generali, et tribus saltem Examinatoribus synodalibus concursus, servata tradita forma, totaque rerum in ea gestarum series scriptis diligenter enucleetur. Examinatores ad assequendam certam, et indubiam conjecturam scientiae, postquam diligenter expenderint singulorum peritiam in expiscando oretenus aliquo ecclesiasticae doctrinae capite, vel a sanctis Patribus, vel a sacro Concilio Tridentino, vel a Cathechismo Romano excerpto, ac pari diligentia libraverint a quolibet scripto datas quaestionibus propositis responsiones, et postquam denique deprehenderint qua quisque polleat gravitate sententiarum, et elegantia sermonis in conciuncula scripto pariter exarata, et textui Evangelico; vel alteri dato themati accomodata, parem, ni forte majorem solertiam Examinatores adhibeant in perscrutandis aliis qualitatibus regimini animarum consentaneis, morum honestatem inquirant, gravitatem, prudentiam, praestita Ecclesiae obsequia, adquisitam in aliis muneribus laudem, aliaque spectabilium virtutum ornamenta, doctrinae arcto foedere consociandа: hisque omnibus conjunctim expensis, inhabiles per sua suffragia rejiciant, et idoneos Episcopo renuncient. 5. Absoluto concursu, notulae requisitorum compendiariae comburantur, vel penes acta secreto custodiantur, et nemini ostendantur sine mandato Episcopi. Tum ab ipso Episcopo, cum primum libuerit, eligatur ex adprobatis dignior, nec illi possessio aliquo appellationis, vel inhibitionis obtentu retardetur. 6. Si quem clericorum autem appellare contigerit a mala relatione Examinatorum, vel ab irrationabili judicio Episcopi, coram judice appellationis acta concursus integra omnino producantur per appellantem, et nisi illis visis, et gravamine comperto sententiam pronuntiandam fore sciat ex probationibus solum ab actis concursus elicitis, tam respectu doctrinae, quam aliorum meritorum, nulloque modo recipiantur quaecumque documenta a concurrentibus exhibita, vel expiscata post diem habiti concursus: hac enim in parte dumtaxat derogatum est memoratis litteris S. Congregationis anni 1721. 7. *Et ubi* parochialis Ecclesia conferatur uni ex adprobatis, quem Episcopus magis idoneum ob aliquam sibimetipsi tantummodo notam caussam judicaverit, conquerentibus aliis inter approbatos posthabitis caussam eamdem judici appellationis litteris familiaribus significabit inviolabili secreto custodiendam, ad detergendam injustae praeelectionis notam, quemadmodum Patres Tridentini provide caverunt (1), et protestabitur coram Deo se minime dicturum malum bonum, et bonum malum, nec positurum tenebras lucem, et lucem tenebras. Quin si umquam suspecta videbitur fides judicis appellationis de occulta ejusmodi caussa praeelectionis secreto servanda, certiorem faciat Episcopus sacram Congregationem Concilii, ipsumque Summum Pontificem. Et ubi sententiam judicio Episcopi conformem judex appellationis pronunciaverit: secundae appellationi locus non erit. Sin vero difformem, praeelectus ab Episcopo, qui caussa cecidit ad alium judicem appellabit, retenta interim parochialis Ecclesiae possessione.

Quoties autem collatio parochiarum, aliorumque beneficiorum cum animarum cura ad Sedem Apostolicam pertineat, iisdem pontificiis litteris Benedicti XIV. constitutum est, ut concursus ab Episcopo sine ullo discrimine

(1) Trid. *sess.* 24. *caussae omnes* 20. *de ref.* §. *praeterea.*

Digitized by Google

reservationum apostolicarum indicatur, nulla ad hunc actum petita venia, vel licentia. Absoluto concursu, si curatum beneficium ratione mensium dumtaxat sit reservatum, Episcopus inter adprobatos eliget magis idoneum et Datariae significet, nec acta concursus transmittat, nisi a Dataria requirantur. Sin vero beneficia ejusmodi curata ex alio quovis capite, quam mensium apostolicorum, S. Sedi reservata sint: eo casu acta concursus ultro transmittat ad Datariam Episcopus, intereaque abstineat a referendo digniori judicio juxta vetustum morem, tametsi familiaribus litteris denunciare Datario potest personam magis idoneam, et occulta forsan impedimenta concurrentium (1).

Quod patroni ecclesiastici digniorem inter concurrentes ab Examinatoribus probatos eligere, eumque praesentare Episcopo, si ad eum pertineat institutio, et ubi alius ab Episcopo jus habeat instituendi, non alium, nisi electum ab ipso Episcopo digniorem praesentare, a Patribus Tridentinis decretum jam videmus. Qua in re dubitanti Archiepiscopo Florentino rescripsit Benedictus XIV, in primis, quod patronus ecclesiasticus omnino teneatur in foro externo eum praesentare ad beneficium curatum, qui inter concurrentes ab Examinatoribus coram Episcopo magis idoneus magisque dignus renunciatus erit. 2. Quod Episcopus, ad quem institutio pertineat, patroni praesentantis, judicium de magis idoneo et digniori sequi tunc debeat, ubi ceteri concurrentium adquieverint, eorumque nemo reclamaverit: at aliquo ipsorum reclamante Episcopus partes judicis tunc sumpturus inquirat, rectum ne sit patroni judicium. 3. Quod appellatio posthabiti concurrentis non suspendat institutionem ejus, quem patronus simul et Episcopus digniorem judicaverint: eam vero suspendat, si Episcopi sententia ab ea patroni discordet, usque ad exitum judicii adpellationis (2).

Si adeo exigui redditus, ait Tridentinum, *dictae parochiali fuerint, ut totius hujus examinationis operam non fuerant, aut nemo sit, qui se examini quaerat subjicere, aut ob apertas factiones, seu subsidia, quae in aliquibus locis reperiuntur, facile graviores rixae, ac tumultus possint excitari: poterit Ordinarius, si pro sua conscientia cum deputatorum consilio ita expedire arbitrabitur, hac forma omissa, privatum aliud examen ceteris tamen ut supra servatis adhibere.* Licebit etiam synodo provinciali, si qua in supradictis *circa examinationis formam addenda, remittendaque esse censuerit, providere* (3).

In multis casibus parochiales Ecclesiae conferre sine concursu, et omissa examinis forma solemniori, scilicet in resignationibus ad favorem, et permutationibus, et devolutionibus, tradit Fagnanus (4). Quandoquidem quoties Ecclesia parochialis ad favorem certae personae in manibus Summi Pontificis resignaretur, consuevit Apostolica Sedes eam resignatario conferre in forma *dignum* sub conditione, si idoneus ab Episcopo reperiatur in examine coram synodalibus Examinatoribus habendo: quum in resignatio-

(1) Hactenus ex *cit. const.* Benedicti XIV.

(2) Bened. XIV. in *const. redditae nobis 4.* die 9. Aug. 1746, *to.* 2. Bullarii.

(3) Trid. in fine *cit. cap.* 18. *sess.* 23. *de ref.* Hoc episcopale arbitrium remittendi concursus in parochiis tenuissimis agnovit Rota penes Piton. *de contr. patr. post. alleg.* 5. *num.* 32.

(4) Fagnan. in *cap. mandato de simonia num.* 51. *to.* 5.

Digitized by Google

nibus ejusmodi conditionalibus, quae vacationem Ecclesiae interea non inducunt, nequeat Episcopus concursum indicere.

Ad regiam vero collationem pertinentia beneficia, quibus adnexa cura animarum est, jamdiu consuevit Rex donare, seu conferre uni ex tribus regni ariter per Capellanum Majorem praevio saepe concursu adprobatis, et propositis. Ei collationis gratia regio primum rescripto conceditur dein diploma rite expeditur obsignatum sigillo regio in cera rubra impresso, eoque in theca cypria, quae funiculo colligata pendet, incluso.

§. II. *De beneficiis electivis, et Patronatis*

Q. *Quid est beneficium electivum?*

R. Beneficium electivum duplici modo accipi potest, late, et stricte. *Late est* illud, quod alicui conceditur per suffragia Electorum, et confirmationem Superioris. *Stricte* est alicujus personae ad Ecclesiae vacantis pastoralem dignitatem canonica vocatio, Cap. *quia propter*, 42. de Elect., et elect. potest. Dicitur vocatio, non institutio, quia non tribuit electo jus in beneficio, sed tantum ad beneficium, unde si electus ante confirmationem decedat, beneficium vacare censetur per mortem prioris Praelati: et non electi.

Q. Num electus ante confirmationem possit beneficii administrationem suscipere, nempe jurisdictionis exercitium?

R. Minime, ut ex Cap. *Nosti 9.* de elect., et elect. potest., alioquin privatur jure ex electione acquisito, Cap. *Avaritiae* 6. de elect. et elect. potest. in VI. Imo nec etiam confirmatus, si alius sit in possessione, quia possessorem propria auctoritate spoliare non licet, et in Extravag. I. inter communes, additur: Quod si Praelatus, qui debet a Sede Apostolica confirmari, consecrari, vel promoveri, Ecclesiae administrationem suscipiat ante litteras Apostolicas, fructuum perceptione privatur, et ejus acta irrita *sunt.* Capitula vero, Conventus, et alii quicumque eis obedierint, a beneficiis suis suspenduntur.

Q. Quandonam vacent beneficia, quae possidebat antea Electus?

R. Non vacare, nisi post confirmationem, atque subsecutam consecrationem. Quod si fuerit confirmatus Episcopus, sed Episcopatus possessionem consecutus adhuc post tres menses non est, vacant ejus beneficia, quoad titulum, non quoad administrationem, sicuti neque prioris Parochialis Ecclesiae possessio, et jurisdictio amittitur, priusquam Parochus capiat possessionem secundi beneficii incompatibilis.

Q. *Cuinam spectat jus eligendi?*

R. Ex Jure communi spectare ad Capitulum, vel Collegium, cap. 1. de electione etc., etiam si duo tantum; vel tres sint in Capitulo, vel Collegio. Quod si nemo adsit praeter unum, quia ceteri mortui, vel privati jure eligendi, etiam in illo jus universitatis permanet, licet seipsum eligere non potest, quia ambitionis notaretur, cap. 2. de postul. Praelator. Ex consuetudine etiam, vel ex privilegio potest aliis convenire jus eligendi; cap. *Cumana* 50. de election. etc.

Q. Quid si quis existens in quasi possessionem eligendi, conferendi, vel praesentandi, elegerit, contulerit, vel praesentaverit, et postea invenitur alium habere proprietatem talis juris eligendi.

Digitized by Google

R. Validam esse ipsius electionem, collationem, et praesentationem, dummodo intercesserit bona fides, ut ex Cap. *Querelam* de elect. etc. et ex Cap. *Consultationem* de jure patronat, ita ut qui a pacifico possessore electus, vel praesentatus fuit, praefertur alteri electo, vel instituto proprietatem habenti; et ratio est, quia possessor bonae fidei valide alienat fructus: electio autem, vel praesentatio, aut institutio sunt quasi fructus beneficii, aut Patronatus. Ergo etc.

Q. Quinam prohibentur potestate eligendi?

R. 1. Excommunicatus. 2. Suspensus ab officio. 3. Irregularis. 4. Qui in loco interdicto scienter celebravit. 5. Qui scienter eligit indignum, vel incapacem, pro illa vice tantum. 6. Qui eligit aliquem per abusum admissae saecularis potestatis per triennium. 7. Qui tribus mensibus non curavit eligere, pro illa vice tantum. 8. Impuberes, nam dantes suffragia in Cathedralibus, et Collegiatis debent esse saltem Subdiaconi. Pro Regularibus, qui adhuc Professi non sunt, et Laici conversi.

Q. Quot sunt modi eligendi?

R. Tres I. Per scrutinium, seu collectionem suffragiorum, in qua necesse est, ut major, ac sanior pars suffragantium in eumdem consentiat: secus scrutinium de novo fieri debet: Tamen advertendum, quod in scrutinio habet locum consuetudo legitime praescripta, ideoque aliquando ipsi standum.

II. Est per compromissum, si omnes electores potestatem eligendi uni, vel pluribus viris probis committant, qui Clerici esse debent. Quare potestas Compromissariis data revocari non potest, si res non sit integra.

III. Modus eligendi est, quando nemine discrepante, et una voce aliquis eligitur, quasi per Divinam inspirationem.

Q. Num possit quis eligere seipsum?

R. Per scrutinium non posse, Cap. *Cumana* 50. de elect. et elect. potest. Per compromissum vero posse, ita tamen, si sint quinque Compromissarii, et duo eligant tertium, hic tertius potest adjungere suffragium suum, et sic eligi: Glossa in cap. *Cum in jure* 33. de elect. et elect. etc.; ratio est quia per compromissum quis se proprie non eligat, sed aliis prius eligentibus consentit. In scrutinio tamen secreto, si quis se eligat, censetur ambitiosus, et eo ipso indignus.

Q. Quid si compromissarius Episcopum indignum eligat?

R. Ipso jure suspensum esse per triennium a beneficiis, quae obtinet in Ecclesia, quam offendit.

Q. Quid si quis impugnat electionem, Postulationem, aut Provisionem Episcopi, Dignitatem vel Canonicatum, et postea deficiat in probationibus?

R. Esse suspensum a beneficiis, quae in tali Ecclesia obtinet, Cap. 1. §. ultim. de Elect. in VI.

Digitized by Google

ADDITAMENTA EX S. LIGORIO

CUINAM POSSINT ET DEBEANT BENEFICIA CONFERRI (1).

Multa discutienda sunt. 1. An omnia Beneficia sint conferenda digniori-*bus?* Quoad Cardinalatus, et Episcopatus certum est, quod eligendi sunt digniores ut constat ex *Trid. sess. 24. l. 1. et ex Prop: 47 ex proscriptis ab Innoc. XI.* Et idem currit pro Beneficiis Curatis, ut habetur ex eodem Concilio *cit. cap. 2. et Cap. 18.* Major autem dignitas accipienda ex Majori Ecclesiae, aut fidelium utilitate, sed ceteris paribus praeferri de-*bet* qui pietate, aut prudentia praestat doctiori: nobilior, aut potentior, oriundus, senior, pauperior, et Sacerdos non Sacerdoti. Quomodo autem habendus sit concursus pro Ecclesiarum Parochialium collatione, ac de appellationibus ab irrationabili ordinarii judicio admittendis, vel rejiciendis vide in Bullar. Benedict. XIV. *tom 1. Bulla Cum illud 68. sub die 14 Decem: 1741.* Dubium vertutur circa Beneficia simplicia an peccet Episcopus eligendo minus dignum? Prima sententia *Soti, Nav. Sa, Sanch.* etc. quam probabilem putant. *Salm. Carden:* etc. negat eum peccare (nempe graviter, quia communiter non excusant saltem a veniali) dum dicunt quod Beneficia principaliter sunt instituta in communitatis utilitatem, unde modicum est damnum cum praefertur, non tamen indignus, sed dignus digniori. Excipitur tantum Canonicatus, quibus sit etiam adnexum officium Poenitentiarii, aut Instructoris. Hanc sententiam non puto improbabilem, sed existimo certe probabiliorem contrariam, quae etiam est communior cum *S. Thoma* (2) *Less. Lugo, Castrop. Holzom. Croix. Roncagl. Viva, Salm.* etc. Ratio, quia Beneficia, ut communiter dicunt DD. non tantum instituta sunt propter Ecclesiae utilitatem, sed etiam (licet minus principaliter) ob meritorum remunerationem. Ex quo Episcopus duplici ex capite peccat graviter conferendo ea minus dignis 1. quia laedit justitiam distributivam, attento jure, quod habent digniores, cum Episcopus non sit Dominus ut loquitur *S. Thomas*, sed simplex distributor Beneficiorum. 2. ob damnum quod Ecclesiae suae infert, dum ubi non praeferuntur digniores, pauci curant digniores se reddere, et hoc non est detrimentum parvi momenti in bonum commune. Limitant tamen *Nav. Sot. Less. Lugo*, etc. 1. si post haberetur dignior semel, atque iterum ad Beneficium simplex, et etiam ad aliquem Canonicatum, qui caret jurisdictione, aut functione magni momenti, 2. si Beneficium esset tenue. 3. si eligeret aliquem de familia fundatoris, ut ait *Tournely* cum *Silvio* 4. Si electus brevi renuntiarus esset Beneficium, *Holzman cum Pichler.*

Quaeritur 1. An Patroni etiam teneantur praesentare digniorem? Quoad Beneficia curata, certum est Patronos Ecclesiasticos, Patronos Episcopa-

(1) *Homo Apost. Tract. XIII. Punct. 1. §. 33. et seq.*
(2) *2. 2. quaest. 62. a. 2. ad 2.*

Digitized by Google

tuum (qui sunt Reges) ad hoc teneri ut declaravit Trident.: *Sess. 24. Cap. 1. et 18.* At idem procul dubio tenendum cum *Lugo Sanch. Croix, Viva, Ronc. Salm.* etc. quoad omnia Beneficia curata, dum in cit. Cap. 1. Concilium dicit quod quicumque Patronus tenetur praesentare ad curas animarum digniores. Et hoc confirmatur *ex eadem Prop. 47. Innoc.* XI., quae loquebatur de quocumque Beneficio curato. Si autem Beneficium fuerit simplex, ut diximus, probabilius est Episcopos teneri ad eligendum digniorem; ita dicimus de patronis, qui eos praesentare debent. Excipit *Lugo* tantum eos, qui conferunt Capellanias contra *Azor, Mol. Vasq.* qui hoc permittunt solum fundatoribus.

Quaeretur 2. An peccent Examinatores non deferendo ad Episcopum, quis sit inter Examinatos dignior? Negant *Lugo Castrop. Croix* etc. dicendo illos satisfacere, si tantum deferant Episcopo quos idoneos probant, dum Episcopi munus erit declamare quis eorum sit dignior: Sed probabilius, et communius affirmant *Azor, Nav., Ronc., Diana Salm.* etc. quia licet judicium ad solum Episcopum spectet, attamen hac propterea de causa Concilium statuit concursum, et Examinatores, ut ipsi digniorem proponunt, ut ita possit Episcopus melius judicare, et eligere. Examinatores autem debent jurare fungendi fideliter officiis suis ut praecipit Trident.: *Sess. 24.* c. 18. *de Reform.* Secus concursus est nullus ex *Decr. S. Congr. Conc. 2. Decemb. 1828.*

CAPUT III.

De jure Beneficiorum, et obligationibus.

Jus est, ut Ministri Ecclesiae percipiant alimenta de ipsius Altaris bonis. Aperte Christus apud Matthaeum ait, cap. 10. *Dignus est operarius cibo suo*, seu *mercede sua*, ut Lucas cap. 16. v. 7. expressit. Porro Innoc. III. utitur hac sacrarum literarum doctrina in cap. 6. de Praebendis: *Qui altari servit, vivere debet de altari, et qui ad onus eligitur repelli non debet a mercede.* Non datur merces ob pretium laboris, sed ad sustentandam vitam, ut magis, laborare possint in Evangelio Christi.

Q. Num Beneficiari dominium plenum adquirant de rebus, aut bonis Ecclesiasticis, seu beneficialibus?

R. Reditus Ecclesiasticos, quatenus prudentis viri arbitrio necessarii sunt beneficiario ad honestam, et decentem vitae substentationem, pleno jure ad ipsum pertinere (uti aliqui adserunt) ita ut si ex victu, aliisque competentibus impendiis aliquid propria parsimonia detrahat, de eo arbitratu suo disponere possit, verum in usus licitos.

Q. Quid venit nomine stipendii necessarii ad honestam, ac decentem vitae substentationem beneficiarii?

R. Venire non solum ea, quae requiruntur ad honestam, ac decentem vitae suae ecclesiasticam substentationem, sed etiam ea, quae requiruntur ad ejus familiam alendam convenienter, secundum Canonum regulam, suo statui, ad hospitalitatem exercendam erga consanguineos, amicos, peregrinos, quorum omnium quantitas aestimari debet tum ex personae, ac officii dignitate, tum ex redditum amplitudine, tum ex beneficiarii meritis,

Digitized by Google

ac laboribus, semper tamen prae oculis Canonum, et Conciliorum regula habita.

Q. Num possit beneficiarius ex reditibus beneficii vivere, cum aliunde habeat, unde vivat ex propriis?

R. Dissidium est inter Theologos, et Canonistas, tamen dicendum, quod si habeat bona patrimonialia, illa potest sibi ad alios usus reservare, et ex beneficii reditibus competentem sibi substentationem accipere: ratio est, quia qui altari servit, de altari vivere debet: unde Apostolus 1. ad Corinth. 9. ait: *Quis militat suis stipendiis unquam;* et infra: *Qui in Sacrario operantur, quae de Sacrario sunt, edunt.*

Q. Num de superfluis beneficiorum reditibus dominium ad beneficiarium spectet?

R. Maxime (uti ex dictis asserunt aliqui) quia beneficiarius acquirit indistincte dominium rerum beneficialium, tum illarum, quae requiruntur ad ejus substentationem, tum superfluarum: D. Thom. 2. 2. q. 185. art. 7. Porro Trident. Sess. 22. cap. 2., et sess. 24. cap. 12. decernit, quod si beneficiarius sit absens, vel officii omittat recitationem, fructus non faciat suos, hoc est dominium fructuum non adquirat. Ergo si praesens sit, et officium recitet, fructus faciet suos, hoc est dominium acquiret, secus lex poenalis Trident. esset nullius momenti, et frustra apposita (1).

Q. Num beneficiarius ex lege justitiae fructus superfluos beneficii in aliquem pium usum erogare teneatur, ita ut ad restitutionem tenealur, si eos in profanum usum expenderit?

R. Maxime, nam fructus beneficii sunt *patrimonium Christi, et pauperum, vota fidelium et pretia peccatorum*, quae dantur Ecclesiasticis sub tacita conditione, ut detractis ad honestam vitae substentationem ne-

(1) Ex S. Ligorio notandum 1. si fructus Beneficii supersunt Clerici sustentationi, certum est, quod ille tenetur eos pauperibus erogare; aut alii pio usui applicare, *ut communiter* admittunt DD. dum a Tridentino nihil aliud praecipitur, nisi ne *illos dilapident*, sed ut in pia opera applicent. Sed in hoc etiam excipiendus est cum *Lugo*, et *Lessio*, casus si adessent pauperes in gravi necessitate constituti: quorum pauperum ait *Viva* teneri Episcopos, Parochos notitiam exquirere. At cum desint hujusmodi pauperes, ait *Holzm. cum S. Thoma*, et aliis posse Beneficiorum reservare fructus perceptos pro Ecclesiae aut pauperum necessitatibus futuris.

Notandum 2. non teneri praeferre loci pauperes, ut dicunt DD. communiter, dum Canones disponunt pro pauperibus in generali. Limitant *Salm. et Holzm.* si in loco adessent pauperes in extrema aut gravi necessitate; Sed haec limitatio communius negatur, a *Molina Azor. et Bon. Nav*, Dummodo intelligendum et fructus distribuantur aliis pauperibus aeque indigentibus; et dummodo non constet aliam fuisse fundatorum voluntatem; et addit *Molina* dummodo aliud non postulet Bonum commune Dioecesis, v. g. si prospiciendum est alicujus Collegii educandorum pauperlati.

Notandum 3. Sub nomine pauperum comprehendi etiam conjunctos, si vere ipsi egentes ita sint, ut juxta status sui conditionem vivere nequeant quod expressum habetur in Trident: *Sess: 23. cap. 1.* Et hoc valet etiam si adsint pauperes egentiores, ut dicunt communiter *Tolet Molina et Viva* (contra Laym), quia propinquorum substentatio ad primum statum pertinet Beneficiatorum, quapropter dicitur universaliter cum *Azor. Castrop. et Croix* quod Clericus libere potest ex fructibus Beneficii alere se et suos! *Homo apostol. Tract. XIII. de Praecept. part. Cap. II. Punct. 2. de qualitate beneficiar. §. 46. et seq.*

Digitized by Google

cessariis, quae remanent ad pios usus erogent. Quare Bernardus Epist. 2. ad Fulcon scribit: *Quidquid praeter necessarium victum, et vestitum de altari retinens, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.* Et Ambrosius Epist. 3. ait: *Nihil Ecclesia, nisi Fidem, possidet. Possessio Ecclesiae sumptus est egenorum.*

Q. Num beneficiarius ex reditibus beneficii superfluis alere possit consanguineos suos pauperes?

R. Maxime, si sunt pauperes, ut patet ex Trident. sess. 25. cap. 1. de reformat. Et hoc verum est non solum si absolute sint pauperes, sed etiam considerato statu eorum, quem honeste non vero laute substentare non possunt. Excipe tamen si aliae longe graviores aliorum necessitates occurrant, quia tunc his providere tenetur.

Q. Num Clerici testari possint de reditibus Ecclesiasticis?

R. Minime, nec etiam ad pias causas, quia licet dominium habeant de iis, tamen hoc est, dum in vivis sunt, non autem post mortem disponendi, cap. *Relatum* 12. de Testam. Hinc reditus, et bona beneficialia, quae remanent, pertinent ad Ecclesiam, si defunctus ex Clericorum Congregatione fuit puta Canonicus, vel ad ejus successorem, si fuit Parochus, vel simplex beneficiarius. Excipe, si in Testamento beneficiarius relinquat alicui aliquod parum de fructibus beneficii, in remuneratione beneficiorum, dict. Cap. *Relatum*, ita ut nisi ea munera praestentur, incurratur vitium ingratitudinis. Excipe etiam si beneficiarius disponat de bonis suis patrimonialibus, vel quasi, quia cum de his plenum habeat dominium, ad libitum disponere potest, et si intestatus decedat, succedunt consanguinei, uti fusius disputabimus in Tract. de Testamentis.

Q. Num sit honesta consuetudo in aliquibus locis ut beneficiarii simplices arbitratu suo testentur de quibuscunque etiam superfluis reditibus beneficiorum, etiam ad causas profanas?

R. Licet aliqui affirmare non dubitant, tamen dicendum, quod honesta non sit, sed corruptela, et abusus. Sane abusus est illa consuetudo, quae Juri naturae adversatur, et Divino, uti est haec. Omnes Doctores fatentur peccare mortaliter beneficiarium, qui reditus superfluos in profanos usus expendunt, v. g. donando consanguineis, etc. Ergo a fortiori si id faciat tempore mortis, ubi dispositio de iis bonis interdicta omnino est. Quin nec Summus Pontifex (uti communius Doctores sentiunt) sine justa et rationabili causa id concedere possit, cum constitutus sit a Deo ad dispensandum, non vero ad dissipandum. Et si reperiatur concessum aliquando, ut a Julio III, Clericis in Curia Romana decedentibus, fuit hoc tantum permissive, et quoad forum externum.

Q. Num heredes, vel legatarii peccant contra justitiam, et ad restitutionem teneantur, si aliquid ex superfluis reditibus beneficiorum accipiant?

R. Maxime, nam redditus ecclesiastici, qui superflui sunt, ex naturali justitiae lege in pium aliquem usum erogari debent, quia cum tali onere, et tacito pacto a Fidelibus profecti sunt. Hinc si quis alio titulo eos accipiat, retinere in conscientia non potest, quia est contra mentem dominorum.

Q. Num fructus pendentes beneficii tempore mortis beneficiarii pertineant ad heredes beneficiarii, vel ad ejus successorem in beneficio?

Digitized by Google

R. Litigium est inter Doctores: alii enim dicunt spectare omnes ad successorem, nam beneficiarius usufructuario comparatur, sed usufructuarius non adquirit sibi fructus, nisi perceptos ante mortem, et pendentes relinquit proprietario successori, et domino fundi, L. *Arboribus*, D. de usufructu. Ergo etc. Alii vero asserunt fructus esse dividendos inter haeredes beneficiarii, et possessorem, qui in beneficio succedit, juxta portionem anni decursi: tamen prior opinio probabilior (1).

Q. Ad quid tenentur beneficiarii?

R. Tenentur ad recitationem quotidie Divini officii. Quoad hanc obligationem beneficiariorum, vide quae superius exposuimus in Tractat. de Relig. Tenentur beneficiarii ad habitum, et tonsuram Clericalem, si secus faciant, post monitionem privari possunt beneficio, uti statuit Clem. V. in Concil. Viennense, Clement. 2. de vita et honestate Clericorum, et Synodus Trident. innovavit hanc Constitutionem, sess. 24. de reform. cap. 6. Postea Xystus V. Const. *Cum sacrosanctum*, statuit, quod si beneficiarii incedant sine habitu, et tonsura, *ipso facto* incurrunt in privationem cujuscumque dignitatis, beneficii, aut pensionis Ecclesiasticae. Rigida videtur haec lex, sed ita est scripta. Tamen Doctores conveniunt, quod non una contraventione istam poenam *ipso facto* incurri, sed opus esse aliquod temporis spatium, ut explicat Benedictus XIV. Instit. 71. ad Clerum Bononiensem. Tenentur etiam ad residentiam beneficiarii, si postulet residentiam.

Q. Quid est residentia?

R. Residentia est assiduitas commorationis in loco beneficii causa servitii Ecclesiastici personaliter praestandi. Quare si Clericus in loco sui beneficii commoretur tantum, sed officium nunquam praestet, puta Canonicus nunquam ad Chorum, vel Capitulum veniat, non est censendus residere, quia frustranea est ejus residentia, quia fine, et effectu suo destituta. Si vero interdum deficiat ab officio, etsi culpabiliter licet peccet, tamen habetur tanquam residens.

Q. Quaenam beneficia residentiam requirant?

R. Spectato Jure communi omnia beneficia ad residentiam obligant, et colligitur ex cap. *Conquerente* de Cleric. non resident. Consuetudo tamen obtinuit, ut qui beneficio simplici gaudeant, non teneantur aliquando re-

(1) Concordatorum lege an. 1818 art. XVII. sancitum:

I. Quod suppresso *Monte frumentario* sive Regia Procuratione spoliorum, et redditnum Mensarum Episcopalium, Abbatiarum, aliorumque beneficiorum, Administrationes Dioecesanae in qualibet Dioecesi constituendae forent.

II. Sancitum hasce Administrationes duobus Canonicis constare, qui a Capitulo, sive Metropolitano, sive Cathedrali tertio quoque anno per suffragiorum pluralitatem, eligendi essent, ac renovandi, nec non Regio Procuratore ab Augustissimo Nostro Rege designando.

III. Decretum quod cuilibet Administrationi praeesset Episcopus, aut Vicarius generalis: Sede vero vacante Vicarius Capitularis.

IV. Demum statutum quod fructus percepti ex beneficiis vacantibus in favorem Ecclesiarum, Hospitalium, Seminariorum, aliosque pios usus erogari debeant, sero vata tamen dimidia parte redditnum Mensarum Episcopalium vacantium pro futur earumdem Episcopo.

Digitized by Google

sidere. Quare tenentur ad residentiam, qui obtinent in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis dignitates, Canonicatus, Praebendas: Trident: sess. 24. Cap. 12. de reform., ita ut non liceat abesse ultra tres menses a suis Ecclesiis.

Q. Num haec residentia sit de jure Divino, vel de jure humano Ecclesiastico?

R. In beneficiis saltem curatis esse de Jure Divino, uti clare demonstrant Bellarminus Epistola ad Theanensem Episcopum nepotem suum, Fagnanus in cap. *Ex parte* de Cleric. non residentibus num. 21 et seq. Espennius jur. Ecclesiast. part. 1. tit. 16. Cap. 8., et plerique omnes. Quin idem Trident. sess. 23. cap 1. de reform., licet expresse non definierit Episcoporum residentiam esse Divini Iuris, ad Divinum tamen Ius spectare videtur, ubi statuitur, quod Pastores Animarum obligati sunt ad personalem residentiam in Ecclesiis suis. Quare sibi salus Animarum ita exigit, Pastor gregem suum deserere non potest etiam cum periculo vitae suae, quia bonus Pastor Animam suam ponit pro ovibus suis.

Q. Quaenam sunt causae excusantes a continua residentia?

R. Posse ad quatuor capita revocari, ex citat. sess. 23. Cap. 1. de refor., ubi habetur: *Cum Christiana caritas, urgens necessitas, debita obedientia, evidens Ecclesiae, vel Reipublicae utilitas, nonnunquam abesse postulat.*

Ad Christianam caritatem refertur; si quis a loco beneficii discedat causa juvandi proximum auxilio indigentem, v. g. ut odia, et lites componantur etc.

Ad urgentem necessitatem refertur, si beneficiarius absit propter aeris intemperiem, vel corporis infirmitatem, vel ob persecutionem tyranni, ob capitales inimicitias, vel ad prosequendam litem super juribus beneficii etc.

Ad debitam obedientiam spectat, si beneficiarius absit mandato Papae, vel in Apostolicae Sedis servitio occupatus, Cap. 14. de Cleric. non resident., quia qui servit Ecclesiae universali, propriae Ecclesiae servit.

Ad utilitatem Ecclesiae, vel Reipublicae spectant, si Clericus absit ob negotium Ecclesiae, vel vocatus ad Synodum, vel causa studiorum. Ita tamen, ut beneficiarius possit abesse per quinquennium ad addiscendam Theologiam, cap. ultim. de Magistr., et eamdem docendam in aliquo publico, et probato gymnasio; quamdiu voluerit sine redituum privatione, cap. 12. de Cleric., non resident., patet etiam ex Trident. sess. 5. de reform. cap. 1. in quo habetur: *Scholares, qui in ipsis scholis student, privilegiis omnibus de perceptione fructuum praebendarum, et beneficiorum, in absentia ajure communi concessis, plene gaudeant, et fruantur.* Quod si curatus sit, etiam poterit abesse his de causis, majori tamen concurrente necessitate.

Q. Num Canonici Episcopo inservientes habeantur tanquam residentes?

R. Ex Cap. *Ad audientiam* de Cleric. non resident., duos Canonicos Episcopo inservientes haberi tanquam residentes, percipiuntque fructus suarum Praebendarum, et unum Canonicum Ecclesiae Collegiatae, si inserviat Praelato ejusdem Collegiatae, ut ait Abbas in Cap. *De cetero* eodem tit.

Q. Quid dicendum, si Clericus non resideat sine causa?

R. Jure decretalium beneficiarii absentes ab Ecclesiis ultra sex menses, beneficii privatione, suspensione, aut excommunicatione plectuntur, Cap.

Digitized by Google

II. de Cleric. non resident. Vid. Gonzalez ad hunc titulum. Parochi, et alii beneficiarii, quibus cura Animarum commissa est, si ultra duos menses, *et* sine Episcopi licentia absint, fructus suos non faciunt, et restituere tenentur ante Judicis sententiam, et ob contumaciam, tum censuris, tum denique beneficii privatione puniuntur, Trident. sess. 23. de reform. cap. 1. et Canonici, qui ultra tres menses Ecclesiis suis abfuerint, primo anno media parte redituum spoliantur, altero omnibus priventur, et si se non reddant Ecclesiis suis, rigore Canonum coercentur Trident. sess. 24. de reform. cap. 21.

Q. Quodnam tempus conceditur Curatis a Tridentino, ut abesse possint?

R. Singulis annis Episcopo conceditur trimestre, Parocho autem bimestre ob justam causam, et sine gregis detrimento, et de Episcopi licentia pro Parocho.

Q. Quid de distributionibus quotidianis?

R. Quod distributiones quotidianae sint portiones ecclesiasticorum reditu*um*, quae quotidie distribui solent iis beneficiatis, qui statis horis divino *officio* intersunt. Inter istas solent etiam adnumerari anniversaria, et alia ejusmodi emolumenta, quae ex certa fundatione Clericis interessentibus tantum distribui debent.

Q. Quid si in aliqua Ecclesia nullae sint distributiones, vel parvae?

R. Concil. Trident. statuit, ut tertia pars fructuum in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata assignetur pro hisce distributionibus.

Q. Cuinam debentur hae distributiones?

R. Praesentibus tantum, iis exceptis, quos vel infirmitas, vel justa corporalis necessitas excusat, vel evidens Ecclesiae utilitas, ita ut, si alii recipiant, earum dominium non adquirunt, uti expresse statutum fuit a Bonifacio VIII. in cap. unic. de Cleric. non resident. in VI, ubi adjungitur, quod ita observetur, non obstante quacumque remissione et condonatione ceterorum interessentium.

Tamen advertendum est I. Quod nomine fructus beneficii non veniant *distributiones* quotidianae, dummodo reditus beneficii non consistant in solis distributionibus, ut ex Cap. *De cetero* de Cleric. resident.

II. Qui legitime abest a residentia, licet consequatur fructus beneficii, non tamen obtinet distributiones quotidianas.

Q. Quid ad caput cum non deceat, *de electione in VI., ubi idem Bonifacius VIII. statuit, quod beneficiarius absens pro Ecclesiae utilitate fructus percipiat, sed non distributiones, dicens:* Quotidianis tantum distributionibus?

R. Hinc Textum loqui de Clerico, qui abest non solum ab Ecclesia, sed etiam a loco, et territorio beneficii ratione ejus utilitatis. Superior autem Textus loquitur de Clerico, qui abest a Choro, et inservit eidem Ecclesiae, Sacramenta ministrando, sacrificando, praedicando etc. Quod si alteri Ecclesiae inserviret, distributionibus carere deberet.

Digitized by Google

ADDITAMENTA EX S. LIGORIO

CAUSSAE EXCUSANTES CANONICOS A CHORI ASSISTENTIA (1).

Caussae excusantes totaliter Canonicos a Chori assistentia sunt tres: *Infirmitas rationabilis, corporis necessitas, et evidens Ecclesiae utilitas,* ut dicitur in *Cod. un. de Clericis non resid. in VI.* ita ut his stantibus causis, Canonici non privantur nec fructibus, nec distributionibus. Excusat igitur I. *Infirmitas,* intelligitur gravis, antea, quae probabiliter potest gravis fieri. Hinc excusantur senes, si non possunt sine gravi incommodo adire, aut interesse choro. Caeci tamen tenentur interesse, si sine gravi incommodo possent adire Ecclesiam, et ita pariter surdi: qui tamen supplere tenentur submisse recitando partem, quam non audiunt. Excusat II. *Necessitas corporis*; qua de re intelligitur excusare timor cujuslibet damni gravis. Ideoque excusantur, qui medicinas sumunt, aut ad balnea, aut ad salubriorem aerem proficiscuntur. Hic notatur 1. quod si quis fuerit injuste excommunicatus aut suspensus, aut si ei injuste denegetur absolutio, et propterea choro non interest, hic nec fructus, nec distributiones amittit. Notatur 2. quod si Ecclesia fuerit polluta aut interdicta; Canonici licet non assistant, lucrantur utrumque, modo ipsi causam non dederint interdicto, aut Ecclesiae violationi.

Excusat III. *Ecclesiae utilitas;* intelligitur modo sit gravis Episcopi, aut Capituli judicio; intelligitur non tantum utilitas Ecclesiae propriae, sed etiam Ecclesiae universalis, aut Dioecesis ut communiter dicunt *Concina, et Salmant.* cum *Pelliz. Castropal. Bonac. etc.* contra Holzm., qui non admittit bonum Ecclesiae universalis; sed immerito quia istius bonum, et praestantius, et in bonum particularis etiam confert. Propterea non carebit, nec fructibus, nec distributionibus. 1. Canonicus qui Romae, aut apud Principem degit ut jura sui Beneficii (non autem jus proprium ad Beneficium) patrocinatur, aut missus a Capitulo negotiorum Ecclesiae causa, aut missus ab Episcopo ejus nomine ad limina Apostolorum visitanda; aut si Episcopus eum ducit secum (cum possit etiam duos secum ducere) ad praefatam visitationem: aut si fuerit in Vicarium capitularem electus; si autem ab Episcopo sibi Vicarius fuerit creatus lucrabitur fructus non vero distributiones. 2. Canonicus Poenitentiarius, si ipse Confessiones excipit dum officium recitatur. *Trid. sess. 24. c. 8.* aut in Confessionali expectat eos qui confiteri velint, ut dicunt *Castrop. Bonac. Concin. Ronc. Salm. etc.* cum declaratione S. C. et idem dicit *P. Concina* de Canonico in locum Poenitentiarii suffecto, aut de alio qui tempore concursus ad illum coadjuvandum missus fuerit ab Episcopo. Idem dicunt de Canonico Curato dum suo ministerio fungitur *Castropal. et Concin.* qui hoc admittit (contra Bonacinam) licet Ec-

(1) *Homo apostol. Tract. XIII. Punct. II. de qualit. benefic. §. 52. et seq.*

Digitized by Google

cesia, cujus **curam habet** esset diversa, sed ipsius Dioecesis. 3. Canonicus Theologus qui **tempore officii** docet, aut concionatur, aut concioni faciendae vacat.

Lucratur **vero fructus**, sed non distributiones (nisi alia Consuetudo, ut dicunt *Pichler, et Concina*) 1. Canonici Examinatores examinantes, dum recitatur **officium. 2.** Visitatores Dioecesis 3. Duo illi Canonici, quos sibi Episcopus **adsciscere potest.** 4. Canonici qui docent in scholis (aut student de licentia **Episcopi per** quinquennium Theologiae), ut habetur in *Cap. in fin. Docentes, de Magistris.* Quod etiam extendunt communiter DD. cum Declar. S. C. **etiam ad** Grammaticam, *Castrop. Ronc. et Salmant.* qui rationabiliter **extendunt** etiam ad Logicam, et Philosophiam. Et etiam currit pro Parochis, **qui docent**, non autem qui student, ut dicunt iidem **AA.**

CAPUT IV.

De pluralitate beneficiorum

Q. Num licitum sit plura habere beneficia, qualiacumque sint, quorum unum sufficiat ad honestam vitae substentationem?

R. Minime, id enim repugnat juri naturae, et graviter illicitum, uti dicunt communiter Doctores, quia sic reditus Ecclesiae male, et inutiliter dispensatur, Divinus cultus imminuitur, et defraudatur voluntas testatorum. Excipe tamen si haec pluralitas aliqua justa causa, vel circumstantia cohonestetur. Quadruplex esse potest causa, scilicet necessitas Ecclesiae, utilitas ejusdem, et grande meritum beneficiarii; nam supponitur necesse habere, et bene uti.

Q. *Num licitum sit plura retinere beneficia Curata, vel plures dignitates, vel personatus, quando curam Animarum non habent?*

R. Esse graviter illicitum, et sub gravi prohibitum in Concil. Later. ab Innoc. III. Cap. 28. de Praebend. et novissime a Trident. Sess. 7. de reform. cap. 4., quia singula eorum perpetuam residentiam requirunt, et non potest idem in pluribus Ecclesiis residere. Quin in cap. *De multa* de Praebend. statuitur, quod si habens beneficium curatum, vel personatum, aliud tale receperit in perpetuum, vacet ipso jure primum, quod si illud retinere contenderit, altero quoque privetur, et in Extravag. *Execrabilis* de Praebend. additur, *quod ipso jure inhabilis existat ad Sacros Ordines, vel aliud quodcumque beneficium recipiendum.*

Q. Num ascendens ad Episcopatum possit retinere alia beneficia prius accepta, vel accipere alia de novo?

R. Minime, quia jura resistunt: nam habetur in Cap. *Cum in cunctis* §. *Cum vero* de elect., quod beneficia omnia electi in Episcopum, post ejus consecrationem, et possessionem ipso jure vacare, et in Cap. *Cum nostris* habetur, quod si Episcopo beneficium, etiam si simplex conferatur, electio, et provisio nulla est. Excipe tamen Episcopum titularem, Episcopum, qui renuntiavit, et Episcopum pauperem, si accesserit Pontificis dispensatio.

Q. Num possit quis obtinere duo beneficia uniformia sub eodem tecto, v. g. duos Canonicatus in eadem Ecclesia?

Digitized by Google

R. Minime, ut expresse habetur in cit. Cap. *De multa*, et Clem. unic. de Praebend., ita ut per assecutionem posterioris, amittat prius, et is, ad quem prioris beneficii collatio pertinet, statim illud alteri conferre potest, postquam institutus secundum recepit, quod si infra sex menses conferre negligat, ad alios devolvitur collatio. Imo si primum dimittere nolit, utroque privabitur beneficiarius, dicto cap. *De multa*.

Q. Num possit quis duo obtinere beneficia simplicia, sed incompatibilia, eo quia ambo residentiam postulant?

R. Minime, quia prohibetur a Trident. sess. 24. cap. 17. de reform.; nam alterutri necessario adesse debet. Hinc non potest quis duos habere Canonicatus diversarum Ecclesiarum, duas *Ecclesias* inter se longe dissitas, et personale servitium requirentes.

Q. Num possit quis plura obtinere beneficia saecularia compatibilia?

R. Maxime, dummodo fructus eorum non excedunt necessariam vitae substentationem. Trident. sess. 24. cap. 17. Inter beneficia compatibilia, observa, quod habentur beneficia difformia in eadem Ecclesia, v. g. Dignitas, et simplex Canonicatus, beneficium curatum, et simplex Canonicatus, quae proinde retineri possunt simul, nisi aliud Ecclesiae consuetudo disponat.

Q. Num beneficia incompatibilia possint fieri compatibilia per consuetudinem, ut eidem conferri possit?

R. Minime, quia talis consuetudo, uti abusus reprobatur in cap. 1. de Consuet. in VI., quatenus per illam introducitur in Ecclesia, paucitas Ministrorum, et diminutio proinde cultus Divini, contra beneficiorum institutionem.

ADDITAMENTA EX S. LIGORIO

DE PLURALITATE BENEFICIORUM (1).

Quaeritur, an possint unquam conferri plura Beneficia uni personae? Hic prius distinguenda sunt beneficia compatibilia ab incompatibilibus. *Compatibilia* sunt omnia simplicia, quae residentia non indigent. *Incompatibilia* autem alia sunt primi, alia secundi generis. *Primi generis* sunt omnia beneficia duplicia, quae hic num. 31. adnotata reperiuntur; nempe primo omnia Beneficia curata, et ea que sunt uniformia sub eodem tecto, ea nimirum quae eodem loco, et tempore in iisdem functionibus conveniunt; item omnes dignitates, personatus, et officia Ecclesiastica quae ibidem adnotavimus. Incompatibilia vero *secundi generis* sunt Canonicatus, et caetera Beneficia residentiam exigentia. Sed hic antequam ad punctum attingamus, advertere oportet, quod si quis duo Beneficia incompatibilia recipit, accepto secundo *ipso jure* vacat primum, et si ipse praesumat sibi

(1) *Homo apostol. loc. cit. § 40; et seq.*

Digitized by Google

retinere utrumque, *ipso facto* privatur utroque uti constat ex Tridentino sess. 7. c. 4. sess. 24. c. 1. et 17. Hoc est certum de Beneficiis incompatibilibus primi generis: dubitatur an idem valeat pro aliis secundi generis? Affirmant *Concin. Tourn. Spor.*, *et Salm.* cum *Azor. Gonzal. Fagn.* etc. Et probant ex eodem Trident. locis citatis, et ex quadam declarat. S. C., et idem dicunt *Salmant.* cum aliis etiam de Beneficiis simplicibus, licet residentiam non requirunt. Nihilominus *Laym. Busemb.*, et alii apud *Salm.* hoc negant cum Navar., qui dicit non constare de hac declaratione; et ad Tridentinum respondent Concilium in posteriore loco, ubi tantum disserit de vacatione, loquitur de Beneficiis curatis, non vero de aliis. Sed ut dicunt iidem *Salm.* et *Abelly* Papa potest dispensare, ut dumtaxat in casu evidentis necessitatis, aut utilitatis; secus (ut tenent *Bell. Panormit. Tol. Salm.*) qui plura hujus generis Beneficia reciperet, etiam ex Pontificis dispensatione, tutus non esset in conscientia.

Ceterum Beneficiorum etiam simplicium pluralitas certe Canonibus adversatur, modo primum Beneficium congruae substentationi sufficiat, ut declaravit Trident. *Sess. 24. c. 27.* ubi sic habetur: *Mandat ut unum tantum beneficium singulis conferatur. Quod si unum non sufficiat ad substentationem, liceat aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri.* Sed majus restat dubium, an pluralitas etiam simplicium sit vetita non tantum jure Canonico, sed etiam Divino. Alii absolute id negant, ut *Innoc. Lugo. Fill. Valent.* etc. Alii absolute id affirmant, ut *Panormit*, et *Tournely* cum aliis, et praecipue cum *Bellarm.* qui tenent Papam sine causa urgentissima dispensare non posse: et hoc tum quia non potest unus duabus Ecclesiis deservire, tum quia haec praesumitur fuisse voluntas fundatorum, ne quis, nisi de una Ecclesia curam habeat. Sed sententia communis, et tenenda cum S. *Thoma* (1), quam sequuntur *Azor. Less.*, *Laym.*, *Abel.*, *Holzm. Salm.* etc. dicit pluralitatem Beneficiorum utique esse illicitam, etiam jure naturali, *ita ut* ne Papae quidem dispensatione possint licite retineri, cum unum satis est ad substentationem. Et non tantum ob primam rationem allatam; quam ob secundam; tum etiam quia perturbaretur ecclesiasticus ordo propter tot rerum confusiones a Joanne XXII. in *Extrav. Execrabilis de Praeb.* adnotatas, nimirum quod admissa hac pluralitate, aliqui superfluis redundarent, et alii forsan digniores mendicare cogerentur: item quod cum Ecclesiae non haberent Rectorem peculiarem, facile illae debito obsequio defraudarentur: item quod qui plura habet Beneficia, nequit invigilare ad defendenda jura uniuscujusque Ecclesiae: item quia redituum copia cupiditas, et luxus fovetur. Nihilominus dicimus cum eadem sententia, quod hoc non ita illicitum, ut Papa ex justis causis nequeat dispensare. Hae autem causae sunt I. *Necessitas*, nempe ut docet *S. Thomas* (2) *si sit necessitas in pluribus Ecclesiis ejus obsequia* II. Utilitas, si Beneficiatus melius potest ipse solus, licet absens sua auctoritate, doctrina, et prudentia, quam alius praesens prodesse, ut ait idem Doctor Angelicus loco citato: *ipse possit plus deservire Ecclesiae, et tantummodo absens, quam*

(1) *Quodlib. 9. ad. 15.*
(2) Cit. art. 15.

Digitized by Google

alius praesens III. *Meritorum prerogativa*, eorum nempe qui prosunt Ecclesiae sua doctrina, instructione, aut scriptione cum dicatur in *Cap. De multa*, §. *fin. de Praeben. Nullus plures dignitates, aut personatus habere praesumat. Circa sublimes tamen, et litteratas personas quae majoribus Beneficiis sunt honorandae.*

CAPUT V.

De qualitatibus requisitis ad beneficium adquirendum

Q. Quaenam sunt qualitates requisitae pro beneficio assequendo?

R. Plures, quarum 1. Est aetas. 2. Clericatus. 3. Ut sit ex legitimo toro natus. 4. Coelibatus. 5. Morum probitas. 6. Scientia pro beneficii qualitate 7. Ut immunis ab impedimento Canonico, et ultima pro beneficio regulari, ut sit ejusdem Ordinis, vel saltem promittat esse.

Q. Quaenam aetas requiritur in beneficiis?

R. Pro beneficiis simplicibus jure antiquo sufficiebat septennium, nunc autem jure novo requiritur aetas 14. annorum. Trident. sess. 23 de reform. Cap. 6. Pro Canonicatibus simplicibus, et non habentibus adnexum ordinem Sacrum, etiam aetas 14. annorum, licet hi Canonici, usquedum non accedant ad Subdiaconatum, vocem non habent in Capitulo: Clement. 2. de aetat., et qualitat. etc., si sit Ecclesia Collegiata. Si vero sit Cathedralis, ad Canonicatum simplicem aetas requiritur viginti duorum annorum inchoatorum, nam nemo ad illum admittitur, nisi sit saltem Subdiaconus, Trident. sess. 24. de reform. cap. 12., Pro beneficiis duplicibus, quae non habent adnexam curam animarum, viginti duo anni requiruntur, et quidem completi, Trident. ibidem. Pro beneficiis curatis aetas vigintiquinque annorum, cap. 7. §. 2. de Elect., Trident. sess. 24. de reform. cap. 13., Pro Episcopatu aetas triginti annorum.

Q. Num Episcopus dispensare possit in hac aetate requisita ad beneficium?

R. Minime, ut patet ex Cap. *Praeterea* de aetate, et qualitate Ordinandorum.

Q. Num Episcopus possit dispensare super illegitimitatem?

R. Posse etiam cum illegitimo spurio, sed solum, ut ad minores ordines, et beneficia simplicia ascendat, quibus Ordo sacer non est adnexus, vel dignitas, aut personatus, aut cura, Gloss. in dict. Cap. 1. de filiis Presbyterorum.

Q. Quid si illegitimus fuit a Papa dispensatus pro sacris Ordinibus num censeatur dispensatus ad beneficia?

R. Minime, quia hoc exprimendum erat; potest tamen cum illo dispensare Episcopus, ut ad quaevis beneficia simplicia, et etiam Ecclesiae Cathedralis Canonicatum ascendat, nisi Consuetudo repugnet: Gloss. in dict. Cap. 1. de filiis Presbyter.

Q. Quomodo illegitimus dispensatus ad beneficia simpliciter intelligatur dispensatus?

R. Esse dispensatum solum ad beneficia simplicia, proinde non censetur dispensatus ad beneficia curata, neque ad dignitates, et personatus, nec denique ad Ecclesiae Canonicatum. Imo si sit dispensatus ad Ecclesiae Ca-

Digitized by Google

nonicatum, non intelligitur dispensatus ad Canonicatum Ecclesiae Cathedralis, quia Cathedralis non venit in odiosis sub generali nomine Ecclesiae. Ita etiam dispensatus ad Praelaturam, nec ad dignitatem Cardinalitiam. Cap. *Cum illis* de Praebend. in VI., et arg. cap. *Quamvis* eodem tit. in VI.

Q. Num filius illegitimus Clerici, possit in eadem Ecclesia, ubi ejus pater beneficium obtinet, vel obtinuit, aliquod aliud, licet dissimile beneficium obtinere, vel in eadem Ecclesia ex officio ministrare, aut pensionem obtinere super fructibus beneficiorum, quae Pater ejus obtinet, vel obtinuit?

R. Minime, quia, expresse prohibetur a Trident. sess. 25. cap. 15. de reform. ut ab Ecclesia Dei, et locis Deo consecratis paternae incontinentiae memoria deleatur. Quare excluduntur etiam ratione hujus constitutionis *filii* Clericorum naturales, qui ante Clericatum ex fornicatione nati sunt. *Non* vero nepotes, quia in odiosis nomine filiorum non veniunt nepotes, nec etiam filii illegitimi, quando recipiunt beneficium in Ecclesia, in qua Pater administravit, sed sine titulo beneficii, aut ipsi ministrare volunt in Ecclesia, ubi Pater habuit beneficium, sed ex devotione tantum, Cap. *Ad praesentiam* de fil. Presbyt.

Q. Quid de filiis legitimis Clericorum?

R. Hos posse beneficia in eadem Ecclesia cum Patre obtinere, Cap. *Ad haec* de fil. Presbyt., dummodo Patri in eodem beneficio immediate non succedunt, ut patet ex pluribus decretalibus cit. tit. Porro Trident. sess. 25. cap. 7. de reform. ait: *Cum in beneficiis Ecclesiasticis ea, quae hereditariae successionis imaginem referunt, sacris Constitutionibus sunt odiosa; et Patrum decretis contraria.* Quia hanc doctrinam ampliat Gloss. cum Doct. cap. *Ad extirpandas*, tit. eodem, dicens, quod nec Nepos, mortuo suo Patre, potest immediate succedere Avo in eodem beneficio, quia verificatur etiam hereditaria successio a Tridentino, et Textu reprobata.

Q. Num pater possit filio suo legitimo, vel illegitimo mediate, vel immediate in beneficio succedere?

R. Posse, quia nullo jure reperitur prohibitum. Verum non potest obtinere beneficium in Ecclesia, in qua ejus filius illegitimus de facto ministrat ratione officii, vel beneficii, vel beneficiarius est tantum.

Q. Num Clericus conjugatus obtinere possit beneficia?

R. Minime, quia ad beneficium requiritur coelibatus; unde solum ea obtinere potest, si castitatem voveat perpetuam, et unicam, ac virginem duxit uxorem, Cap. 2. de Cleric. conjug.

Q. Quid si Clericus beneficiarius contrahat matrimonium?

R. Si validum matrimonium contrahat, ipso jure amittit beneficium, quia Clericus conjugatus incapax est beneficii, uti Laicus, Cap. *Diversis*, tit. eodem. Et hoc verum est, etiam si uxor, matrimonio non consummato, Religionem ingrediatur, quia jus semel extinctum non reviviscit, etiamsi causa extinguendi postea cesset, argum. Plement. *Gratiae* de Rescriptis.

Quod si invalidum contrahat matrimonium v. g. quia est in Sacris, vel ex alio impedimento dirimente, dicendum, quod non ipso jure privatur beneficio, sed privandus est, quando est Clericus in Sacris. Quando vero est in minoribus ipso facto privatur beneficio licet invalide contrahat matrimonium; quia juri suo renuntiasse videtur. *At de hoc legatur Layman.*

Digitized by Google

Q. Quid si contrahat matrimonium spirituale, nempe Religionem profiteatur?

R. Ipso jure vacare beneficia ante habita. Tempore vero novitiatus reservantur beneficia novitio, nec nisi inter duos menses professionem antecedentes renuntiare potest. Trident. sess. 25. cap. de Regular.

Q. Num recipiens beneficium teneatur in conscientia habere propositum permanendi in statu Clericali, et Sacros Ordines suscipiendi?

R. Sive curatum sit beneficium, sive simplex, semper habere debet hoc propositum, saltem conditionatum, *nisi scilicet nova circumstantia mutandi voluntatem accesserit.* Quod si beneficium curatum sit, et illud quis accipiat sine animo intra annum a jure praescriptum ascendendi ad Sacerdotium, sed Parochialem Ecclesiam dimittendi, is non solum mortaliter peccat, sed etiam ad restitutionem fructuum perceptorum obligatur, Cap. *Commissa* de elect. in VI., quia sub tali tacito pacto, scilicet ascendendi intra annum ad Sacerdotium, Ecclesia dedit illi beneficium. Ubi advertendum, quod talis restitutio facienda est ante Judicis sententiam.

Q. Quid si quis a principio intendebat promoveri ad Sacerdotium, sed postea mutavit voluntatem, et voluit Paroeciam dimittere?

R. Non teneri ad restitutionem fructuum perceptorum ante mutationem voluntatis, sed teneri illos restituere, quos percepit post mutatam voluntatem; quia Ecclesia Parochialis tali conditione conferri censetur Clerico non Sacerdoti, ut si noluerit Sacerdos fieri intra annum, ex eo tempore perceptos fructus cogatur restituere Gloss. in cit. Cap. *Commissa.*

Q. Quinam excluduntur a beneficiis Ecclesiasticis?

R. Omnes qui irretiti sunt aliquo Canonico impedimento, uti sunt: 1. Nati ex injustis nuptiis. 2. Filii haereticorum, eisdemque faventium ad primum usque gradum ex linea materna, et usque ad secundum ex linea paterna, dummodo in haeresi decesserunt. 3. Conjugati. 4. Bigami. 5. Irregulares, quia ab ordinibus arcentur. 6. Simoniaci reales in materia beneficii, vel ordinis, et confidentiales. 7. Excommunicatione majori, vel alia Ecclesiastica censura innodati, donec absolvantur. 8. Caeci, et qui horas Canonicas recitare non valent. 9. Qui legitimam non habent aetatem, ut supra dictum est. 10. *Qui habent beneficium incompatibile, cum animo perseverandi.*

Q. Num peccet Provisor conferens beneficium Ecclesiasticum indigno, dum dignus haberi potest?

R. Maxime, peccat mortaliter, et patet tum ex gravitate poenarum, quae Canonico jure indignae collationi et electioni decretae sunt, tum ex incommodis, quae Ecclesiae proveniunt ex indigna collatione, vel electione. Ubi advertendum, quod aliquae qualitates, quae desunt in proviso, reddunt collationem, vel electionem non solum illicitam, sed etiam nullam ipso jure, uti legitima aetas, nativitas, Clericatus, coelibatus etc., vel si provisus moribus indignus sit, collatio est valida, sed rescindenda, praesertim si beneficium curatum sit, Cap. ultim. de aetat, et qualit., Cap. *Inter dilectos* de Excess. Praelat.

Q. Num invalide provisus teneatur in conscientia beneficium resignare?

R. Teneri in conscientia ante omnem Judicis sententiam beneficium re-

Digitized by Google

signare quia non habet titulum, unde retineat, neque jus in beneficio acquisivit.

Q. Num licet conferre beneficium digno, omisso digniore?

R. Illicitum graviter esse, licet collatio valida sit, et ob hoc impugnari non possit, quia talis collatio cedit in grave damnum Ecclesiae. Unde Concil. Trident. sess. 24. cap. 1. de reform. ait: *Alienis peccatis communicantes mortaliter peccant, qui nisi quos digniores, et Ecclesiae magis utiles, ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent.*

Adest etiam Prop. 47. proscripta ab Innoc. II. *Cum dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, qui nisi, quos digniores, et Ecclesiae magis utiles judicaverint, ad Ecclesias promovent.* Tridentinum, vel primo videtur per ly *Digniores* non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo, vel secundo locutione minus propria ponit *Digniores*, ut excludat indignos, non vero dignos, vel tandem tertio loquitur, quando sit concursus.

Nota 1. Parochiae, et alia curata beneficia, etiam si sint de jure Patronatus Ecclesiastici omnino per concursum conferendae sunt, et secundum praescriptum S. Concil. Trident. confirmatum a Pio V. in Constit. *In conferendis*, et a Benedicto XIV. in Constit. *Cum illud*, qui facultatem dederunt concurrentibus appellandi ab irrationabili judicio Episcopi ad Metropolitanum, vel si defuerit Metropolitanus, vel Exemptus, ad viciniorem Episcopum tanquam Sedis Apostolicae Delegatum.

Nota 2. Qualitas personae non absolute spectanda est, sed cum ordine ad Ecclesiae commodum, ut observat. D. Thomas 2. 2. qu. 63. ad 3. Hinc si quis minus sanctus, sed ob potentiam, nobilitatem, agendi industriam regendae Ecclesiae magis idoneus judicatur, is sanctiori merito praefertur; et e contrario juxta Ecclesiae exigentiam aliquando sanctior doctiori, et *nobiliori* praeferendus est.

Nota 3. Collator obligatur ad restitutionem, si ex provisione digni, praetermisso digniore, magisque idoneo, Ecclesiae, aliquod damnum eveniat; quia ex justitia tenebatur Ecclesiae providere de bono regimine, et administratione, ideoque ipse fuit injusta causa damnorum: *nec non tenetur ad damna causata digniori.*

Q. Quibus modis vacant beneficia Ecclesiastica?

R. Pluribus modis. 1. Per mortem naturalem beneficiarii. 2. Ex dispositione juris, v. g. si beneficiarius aliud incompatibile beneficium accepit, vel matrimonium contraxit, vel Religionem professus, vel commisit crimen, cui ipso facto adnexa est beneficii privatio, puta haeresim, schisma cum haeresi conjunctum, simoniam, apostasiam etc. 3. Sententia Judicis, ob crimen, cui talis inferenda poena a jure decreta est, puta per sacrilegium, per perjurium, per falsi crimen in litteris Apostolicis commissum, etc. 4. Per liberam renuntiationem.

Q. Quaenam differentia adest inter privationem beneficii ipso jure latam, et privationem quae per Judicis sententiam inferenda est?

R. Haec est, poena privationis ipso jure contracta, sententia Judicis declaratoria retrotrahitur ad diem commissi criminis, ideoque fructus ex tali die percepti sunt restituendi, ac si facta sit renuntiatio aut commutatio post

Digitized by Google

crimen, sed ante sententiam, in favorem tertii, rescinditur: aliter vero loquendum, quando privatio per Judicis sententiam inferenda est. Praeterea quando privatio beneficii ipso jure lata est, beneficium, quod adimitur, ante sententiam criminis declaratoriam, tanquam jure vacans, impetrari potest, quoad titulum, licet quoad possessionem debeat expectare Judicis sententiam. Secus vero si privatio beneficii a Judice inferenda sit.

CAPUT VI.

De Renuntiatione.

Q. Quid est renuntiatio?

R. Est spontanea beneficii dimissio justa de causa, et Superioris auctoritate facta.

Q. Quaenam sunt causae renuntiationis?

R. Plures sunt 1. Conscientia criminis quod post peractam poenitentiam impedit executionem officii. 1. Debilitas corporis. 3. Defectus scientiae. 4. Malitia plebis. 5. Grave scandalum. Et irregularitas contracta, Cap. *Nisi cum pridem* de renuntiat.

Q. Quotuplex est renuntiatio?

R. Duplex est, expressa et tacita. Expressa est illa, quae fit verbis expressis, et dupliciter fieri potest, scilicet pure, et conditionate: pure cum fit absque ulla conditione, vel pacto, conditionate, cum fit in favorem tertiae personae determinatae, vel cum alio pacto, aut conditione. Renuntiatio tacita habetur, quando renuntiatio colligitur ex facto aliquo illam significante, vel ex juris dispositione, uti si beneficiarius matrimonium contrahat, militiae det nomen, vel post curatum beneficium acceptum, intra annum non curat Sacerdotium suscipere.

Q. Quinam beneficiarii renuntiare possunt?

R. Ordinarie loquendo omnes beneficiarii sive pure, sive cum conditione dummodo justa accesserit causa.

Q. Num beneficiarius, qui crimen commiserit, ob quod beneficio est privandus, v. g. quia homicida, irregularis etc. possit valide sive pure, sive conditionate renuntiare beneficium?

R. Posse dummodo, renuntiet ante sententiam privationis. Hinc si quis ante latam privationis sententiam a Summo Pontifice impetret beneficium illud, valebit resignatio, et non impetratio.

Q. Quid si quis commisit crimen, ob quod ipso jure privationem beneficii incurrit, num possit beneficium resignare?

R. Valide posse resignare, vel permutare, licet postea resignatio, vel permutatio rescindi possit, sicuti rescindi potest, quando facta fuit resignatio, vel permutatio, lite pendente, et reo accusato nondum condemnato.

Q. Quid de Parocho, qui toto anno Sacerdotium recipere neglexerit?

R. Completo anno non posse amplius beneficium curatum resignare, vel permutare, quia desiit jus suum, antequam vero compleatur annus potest, quia adhuc habet jus in beneficio.

Digitized by Google

CAPUT VII.

De Jure Patronatus

Q. Quid est Jus patronatus?

R. Est jus temporale spirituali annexum, honorificum, onerosum, et utile, quod fundatoribus Ecclesiarum concessum est (1).

Q. Quomodo adquiritur Jus patronatus?

R. Tribus modis., nempe fundatione, aedificatione, et dotatione; unde illud: *Patronum faciunt dos, aedificatio, fundus.* Fundare dicitur, qui fundum, seu terrae solum dedit, quo Ecclesia constitueretur. Ædificare vero, qui Ecclesiam construxit propriis expensis. Demum dotare, qui annuos reditus sufficientes assignavit.

Q. Quotuplex est Jus patronatus?

R. Duplex est, Ecclesiasticum scilicet, et Laicum. *Ecclesiasticum* est illud quod Ecclesiae, vel personae Ecclesiasticae competit, vel ratione dignitatis, vel ratione officii Ecclesiastici, vel ratione fundationis, constructionis, vel dotationis factae ex bonis Ecclesiae. *Laicum* vero est, quod convenit personae laicae, vel etiam Ecclesiasticae, quia factum ex bonis propriis, sive patrimonialibus, sive quasi patrimonialibus. Jus patronatus tam Ecclesiasticum, quam laicum dividitur in personale, et reale. *Personale*, est illud, quod inhaeret personae, vel familiae sine ullo ad rem respectu. *Reale* est illud, quod adnexum est villae, fundo, feudo.

Q. Quaenam est differentia inter patronatum laicum, et Ecclesiasticum?

R. Haec est, nam 1. Patronus laicus intra quatuor menses a die vacationis cognitae praesentare debet Instituendum, secus ea vice amittitur jus praesentandi. Ecclesiastico vero dantur sex menses, aliter jus amittit: Cap. 1. de Jure Patr. in VI. 2. Patronus Laicus potest intra quadrimestre plures sive simul, sive successive praesentare, postquam praesentavit unum, potest alterum praesentare, et Episcopus eligit. Ecclesiasticus vero non, et unum dumtaxat praesentare potest, Cap. 24. de jur. patronat. 3. Si Laicus indignum praesentet, non amittit jus, sed cogendus est, ut idoneum praesentet, DD. ad cap. 4. de jure patronat. Si id tamen faciat Ecclesiasticus, illa vice privabitur, cap. 2. de excessib. Praelat.; et libera collatio efficitur.

(1) Quemadmodum Jure Civili res dispesci solent in *corporales*, quae tangi possunt, et *incorporales*, quae intellectu percipiuntur, ita Jure Canonico res dividuntur in *spirituales*, quae ut docet Anselmus (epist. 1. ad Cor. cap. 9.) *a Spiritu Sancto datae spiritum vivificant*, *et temporales*, quae vel cultui divino peragendo, vel Clericorum alimentis sunt destinatae. Bona autem ecclesiasticis beneficiis addicta improprie vel *spiritualia* dicuntur, quippe quae juxta Canones spiritualibus inserviunt, atque pro illis instituta sunt, veluti pro Sacramentorum administratione, celebratione divini officii, aliisque id genus.

Jamvero Jus patronatus temporale adfirmat Alexander III. (*in Cap. de jure 16. de jurepat.*), eo quod ex re temporali, scilicet a praediis, quae Deo dicantur, ortum ducit. Hoc autem jus spirituali dicitur adnexum ob quamdam societatem, quam illud cum re spirituali, idest cum Ecclesia inire videtur, ut opinatur Panormitanus: vel per *antecedentiam*, quia praesentatio antecedit exercitium spiritualis officii,

Digitized by Google

Q. Quae jura competunt Patrono?

R. 1. Spectare ad Patronum tum Ecclesiasticum, tum Laicum praesentare Episcopo Instituendum in beneficio vacante. Institutio enim beneficii vacaturi, sicut est promissio institutionis futurae, vel commissio praesentandi in futurum determinatam personam, irrita est, ut nullius roboris. 2. Spectare ad patronum honorem specialem, et ab aliis dissimilem in Processionibus, Sessionibus, etc. 3. Si patronus, ejusque filii ad inopiam vergant, alendi sunt ex reditibus superfluis beneficii patronati juxta facultates beneficii, et patroni qualitatem. 4. Patronus debet tueri Ecclesiam ejusque bona, ne dilapidentur (1).

Q. Quibus modis Jus patronatus transferri potest?

R. Quatuor modis, scilicet successione, donatione, permutatione, et venditione universitatis. Ita Glossa in Cap. *Cum saeculum*, de Jur. Patronat. (2).

CAPUT VIII.

De Pensionibus

Pensio definitur a Duareno lib. 6. de sacris Eccl. minister. cap. 4. *delibatio quaedam beneficii, qua ex eo, quod universum beneficiarii foret,*

quod Clericus Ecclesiae praestare debet, ut tradit de Marca (*Lib. VIII. de Concor. Sacer., et Imper. cap. 24*): vel denique, quia ordinatur ad spiritualia, nempe ad praesentationem Clerici, ut beneficio instituatur, ut docet S. Thomas (*1. 2. quaest. 100. art. 4.*).

Postremo Canonistae Jus Patronatus etiam spirituale dicunt, quia in christiana communione illud fundamentum habet, necnon in commercium sine labe simoniaca venire non potest, et Patroni in poenam admissi alicujus gravioris criminis eodem jure ecclesiastica lege privari possunt.

(1) Conventione novissima an. 1818 art. V. cautum quod dispositiones de Canonicatibus et Capituli Dignitatibus in eo latae in Canonicatus Jurispatronatus Regii, Ecclesiastici, aut Laicalis minime respiciunt.

Et art. VII., quo fuit constitutum de idonea Paroeciarum Congrua, Tituli Curati excipiuntur, quibus Juspatronatus inhaeret, illud oneris patronis relinquendo.

His adde Regium Diploma sub die XX. Julii anno 1818; quo expresse sancitum:

1. Dispositiones legis an. 1807. latae, ac reg. diplomat. an. 1808; et 1813; quae ad Jurispatronatus extinctionem spectabant, omnino abrogari.

2. Quaevis Jurapatronatus tum ecclesiastica, tum laicalia, licet curata, in patronorum jura redintegrentur juxta canonicas sanctiones cum omnibus juribus, quae utilia, onerosa, et honorifica dicuntur.

Cum vero exorta fuerit controversia an redditus privati Juris patronatus a die vacationis ad Dioecesanam spectarent Administrationem, a Supremis Concordati Executoribus fuit declaratum: « cujusvis beneficii redditus, sive jurispatronatus, » sive liberae collationis sub eodem respectu esse existimandos, adeoque praedia » iis titulis adnexa, utpote Deo dicata, eorumque fructus vacante beneficio Dioece» sanae Administrationi tribuendos esse. Excipiuntur vero legata pia, necnon pa» tronatus, quibus conditio inhaereat vel in ipsa erectione, vel posteriori instru» mento, qua diserte praescribitur vacantis beneficii in certos usus esse erogan» dos ». Hanc declarationem confirmavit Pius VII. an. 1818.

(2) Videsis *Commentarium de Jurepatronatus Cl. Caroli Gagliardi cum nostris additionibus vol. 2. edit. Neap. an. 1841.*

Digitized by Google

pars quaedam alicui confertur. Hinc differt a beneficio, quia per pensionem non dantur omnia jura beneficialia, et reditus, sicut per beneficium, sed aliqua portio. Pensio est ad tempus, beneficium vero perpetuum. Excipe tamen pensiones illas, quae aliquando a beneficio detractae dantur in perpetuas vicarias, aut commendas, quia illae proprie dicuntur induisse beneficii naturam.

Q. Quotuplex est pensio?

R. Duplex est, laica scilicet, et clericalis. *Laica* est (quae et etiam temporalis dicitur) illa, quae ob temporalem aliquam causam constituta; Laico *etiam* competere potest. *Clericalis* est illa quae in solos Clericos cadit, et duplex est, scilicet simpliciter clericalis, et est quae Clerico datur ob spirituale ministerium, v. g. Concionatori, Episcopi Coadjutori, Parocho etc., et mixta, quae fundatur in clericali statu, quatenus Clerico datur, non datur tamen ob spirituale ministerium, sed ob aliam causam, puta paupertatem, senectutem, etc.

Differt tamen pensio Laica a Clericali, quia prima nihil habet commune cum beneficio, secunda vero cum beneficio multum convenit: nam jus spirituale continet, vel saltem jus adnexum spirituali, et statum Clericalem requirit, quem non requirit prima. Praeterea prima potest emi, et redimi; secunda vero neque redimi, neque vendi potest, sed gratis debet remitti. Primae non est annexum onus Officii B. Virginis, secundae vero est annexum ex Bulla Pii V. *Cum Sacrosanta*. Prima non amittitur per professionem religiosam, vel per matrimonium, secunda vero amittitur (1).

Q. Quinam potest imponere pensionem in beneficio?

R. Summus Pontifex juxta de causa, cum ipse habeat plenissimam potestatem in beneficiis cap. 2. Praebend. in VI. Episcopus tamen in casibus specialibus, et necessariis aliquando potest, ob senectutem, aut paupertatem resignantis, ob litis compositionem etc. dummodo non fiat in perpetuum, et cum facultate transferendi ad alterum pensionem, sed solum *ob vitam* pensionarii. Et in tali casu obligatio solvendi pensionem ad successorem beneficiarium transit, quamdiu pensionarius vivit, dummodo pensio non fuerit designata causa litis componendae: talis enim pensio non transit ad successorem, sed extinguitur cum persona onerata, quia illa pensio induit jus personale, seu obligationem personalem inducens, quae non transit ad successorem, quippe de cujus utilitate non agitur, licet plerique contrarium sentiant.

(1) Conventione novissima an. 1818. art. XVII. sancitum, quod abrogata lege *Tertii Pensionabilis*, quod apud suppressi Montis Frumentarii Administratorem deponebatur, Pensionum reservatio secundum formas canonicas locum habere perget.

Adhaec eodem art. decretum, quod Ministri a Rege Nostro ad praedictas pensiones nominati Bullas ab Apostolica Sede obtinere debeant, vi quarum, pensiones quoad vixerint, percipere possint. Praeterea constitutum fuit quod Pensionario vita functo, Episcopatus, aut Beneficium ab onere persolvendae pensionis, qua gravabatur, penitus liberum fore.

Denique art. XVIII. ejusdem Conventionis decretum, Romanum Pontificem in perpetuum sibi reservare super aliquas Episcopales Mensas, et Abbatias Regni resignandas annuas pensiones in summam ducatorum duodecim millium, quas pro tempore suis subditis Status Ecclesiastici pro lubitu conferet.

Digitized by Google

Tamen advertendum, quod, ut Episcopus possit pensionem imponere, debet a sua spontanea voluntate dependere; nam si proponatur a resignante, vel a litem cedente', tunc non potest Episcopus, sed recurrendum ad Pontificem, imo nec Episcopus resignationem taliter factam recipere potest, quia sapit Simoniam, Cap. 7., et Cap. 21. de Transactionibus.

Q. Quaenam sunt causae imponendae pensionis?

R. Sunt plures 1. Si imponatur ad alimenta praestanda Clerico, qui morbo, vel senio confectus beneficium dimittit. 2. Si clericus sit indigens, et Ecclesiae valde utilis, et pensio datur, ut decenter vivat. 3. Ad dirimendas lites inter duos de beneficio contendentes, sed cum auctoritate Superioris, non partium conventione; secus simoniacum est. Cap. 7. de Trans. 4. In causa permutationis, si datur pensio ad servandam aequalitatem beneficii pinguioris dimissi, cum beneficio tenuiore accepto. Cap. 6. de rer. permut. Sed hic serio advertendum, quod haec duae ultimae causae non sunt legitimae, nisi quando resignatio, et permutatio fiat intuitu necessitatis, aut utilitatis Ecclesiae, secus simonia est, ut ait Urban. III. in Cap. 5. de rer. permut., nec est securus Pensionarius cum dispensatione Papae, quia Pontifex est dispensator, non dominus rerum Ecclesiasticarum.

Q. Quanta debet esse pensio?

R. Debet esse moderata juxta proportionem redituum, ne aliter beneficiarius remaneat expoliatus. Hinc habetur ex Trid. sess. 24. Cap. 13. de reform. quod Cathedrales Ecclesiae, quarum reditus summam ducatorum mille, et Parochiales, quae summam ducatorum centum non excedunt, nullis pensionibus, aut reservationibus fructuum graventur. Summae autem a Trident. statutae, computandae sunt ex fructibus certis, non vero ex incertis; quia sunt loco alimentorum, et venter non debet pendere ab incerto, et pensio non debet excedere tertiam partem fructuum beneficii, ut ait Conradus lib. 5. cap. 5. Et haec satis de beneficiis, et jure patronatus.

ADDITAMENTA

DE TITULO IN ORDINATIONE REQUISITO

Illa semper in Ecclesia viguit disciplina ab Apostolis fere inducta, ut omnes, qui in ordine ecclesiastico instituendi forent, suis Titulis adscriberentur (*). Id enim primis Aerae Christianae saeculis expresse cautum a Synodis Ancyrano (1), Neocesareense (2), et ab Oecumenica Chalcedonensi his verbis (3):

(*) Videsis nostras additiones ad Tractatum de beneficiis Caroli Gagliardi (*Lib. I. Tit. 2. pag. 22, edit. Neap. an. 1842.*), in quibus haud pauca de eodem Titulo produximus. Nunc hanc universam telam retexere, nec voluntas est, nec voluptas.

(1) *Can. XVIII.*

(2) *Can. XIII.*

(3) *Can. VII.*

Digitized by Google

Neminem ἀφολελυμενως *nec Presbyterum, nec Diaconum, nec omnino aliquem eorum, qui sunt in ordine ecclesiastico, nisi specialiter in Ecclesia civitatis, vel pagi, vel martyrio, vel monasterio is, qui ordinatur adsignetur.* Hanc porro veterem disciplinam omnino confirmavit tum Urbanus II. (1), tum Carolus M. in Capitularibus illius executionem mandavit, tum denique Synodus Lateranensis ab Alexandro III. coacta ad rem constituit (2): *ut Episcopus si aliquem sine certo titulo, de quo necessaria alimenta percipiat in Diaconum, vel Presbyterum ordinaverit, tamdiu necessaria ei subministret, donec in aliqua ei Ecclesia convenientia stipendia clericalis vitae adsignet. Nisi forte talis, qui ordinatur extiterit, qui de sua, vel paterna haereditate subsidia vitae possit habere*: quem canonem in promovendis ad Subdiaconatus ordinem Innocentius III. extendit (3).

His adde quod Jure novissimo Tridentini Patres Chalcedonensem constitutionem renovando, edixerunt, *ne quis deinceps Clericus saecularis ad sacros ordines promoveatur, nisi prius legitime constet eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad vitam honeste sufficiat, pacifice possidere* (4): quibus verbis illud colligi datur, quod beneficii collatio in promovendis ad ordines antiquae addictioni ad certum titulum respondet, in quo illi sacri ministerii partes explerent, et unde alimenta sumerent. De ecclesiastico patrimonio eadem Synodus decernit: *patrimonium vero, vel pensionem obtinentes, ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum.*

Quod vero spectat ad Conventionem initam inter Benedictum XIV., et Carolum III. olim Regem nostrum, in ea cautum (5) Clericos omnes ad sacros ordines titulo beneficii, vel Capellaniae perpetuae promovendos esse. Tum ibidem constituitur hanc sanctionem ad initiandos ad primam clericalem tonsuram protrahendam: hisce vero satis esset beneficium, Capellania perpetua, vel pensio ecclesiastica, cujus redditus, deductis oneribus, medietatem exaequaret redditnum patrimonii dioecesani: altera medietas vero in *collatione* Subdiaconatus suppleretur. Demum decernitur quod dumtaxat in vera *utilitate* Ecclesiarum Regni liceret Clericos patrimonii titulo promoveri, cujus redditus definiri placuit non citra ducatos neapolitanos 24; nec ultra 40. ex rebus immobilibus percipiendos.

Tandem Concordatorum Lege an. 1818. art. XXI. statutum, quod inspectis temporum circumstantiis, ne Ecclesiasticis ad vitam sustentandam necessaria desint, patrimonii sacri taxa ita augeatur, ut nec minor sit ducatis 50. nec 80. major. Tum in eo decretum quod clerici titulo ecclesiastici patrimonii ad sacros ordines promovendi fundos exhibeant hypothecae vinculo minime obnoxios, et Tribunal Civile Provinciae de pertinentia, et libertate bonorum judicet, ejusque sententiam Curiae Ecclesiasticae requirant: ea tamen non indigent illi omnes, qui beneficii, vel Capellaniae titulo ad ordines promoventur.

(1) *Can. II. dist 70.*
(2) *Can. II.*
(3) In Cap. XVI. *de Praeb. et Dignit.*
(4) *Sess. XXI. cap. 2.*
(5) *Cap. IV. n. 1. et seq.*

Digitized by Google

Rursus constitutum quod Clericis, qui Sacerdotio dedicantur beneficii aut Capellaniae titulo, cujus annuus redditus ad taxam praefinitam non pertingat, ex aliis praediis constituetur, quantum taxae integritas definivit. Excipiuntur vero illae Dioeceses, in quibus sacri patrimonii taxa in majori summa canonice constituta reperiatur, respectu quarum nihil innovetur.

Jamvero paucis abhinc annis nonnulla pro Regni nostri Dioecesibus constituta sunt, quae ad hujusmodi Titulum spectant, quaeque tum Sedis Apostolicae auctoritate, tum pientissimi Regis Nostri adsensu confirmata, novissima obtinent jura. Et sane Episcoporum Commissio delegata censuit.

1. Clerici omnes, qui in hujusce Regni Receptitiis Ecclesiis praefinitae portionis jure gaudent, dummodo fructus dioecesanam patrimonii taxam exaequent, ut beneficiarii ad sacros Ordines promoveri possunt.

2. Capellaniae amovibiles ad nutum, necnon illae, quarum redditus ex rebus mobilibus percipiuntur, Tituli canonici ad sacrorum Ordinum promotionem fieri nequent.

3. Capellaniae super immobilibus institutae, quae ad laicorum Confraternitates, aliaque venerabilia Loca pertinent, licet sint amovibiles, a promovendis tamen ad Majores Ordines ut tituli ecclesiastici exhiberi possunt, dummodo ipsi in publico instrumento ab omnibus, qui eidem Confraternitati adscripti sunt, vel a Locorum Administratoribus eligantur, ea simul adjecta conditione, ut perpetuo eodem titulo perfruantur.

4. In beneficiis, aut Capellaniis, quibus onus inhaereat singulis annis centum Missas celebrandi Titularis Dioecesanum Episcopum adire potest: is autem pro qualibet Missa detracta eleemosyna septem assium juxta taxam praefinitam, potest etiam, si velit aliquam deductionem Titulo inferre, ut ad sacros Ordines ille promoveatur.

5. Denique Regio Rescripto sub die V. Octobris an. 1839. id omne executioni mandari cautum, quod Supremi Concordati Executores opinati fuere, et jam ab utraque Potestate hisce verbis confirmatum:

Patrimonii sacri taxa in novissima Conventione an. 1818. art. XXI. definita pro illis Regni Dioecesibus, quae egestate laborant, et in quibus brevis sit Clericorum numerus spatio 15. an. ad ducatos 24; vel 25. reducatur. Elapso vero hoc temporis intervallo tum Sedis Apostolicae Nuntius, tum Rerum Ecclesiasticarum Minister Episcoporum postulationibus ad aliud tempus prorogandum indulgeant. Interea Supremi Concordati Executores ab utraque Potestate delegantur ad Antistitum petitiones excipiendas, et definitive declarandum quibusnam Dioecesibus jus illud tribuatur.

Digitized by Google

TRACTATUS XI.

LIBER I.

De Justitia et Jure

Juris vocabulum varium est, L. 11., et 12. D. de just. et jure. Nam 1. ab Isidoro cap. 2. dist. 1. accipitur pro *justo*. 2. Accipitur pro ipsa Lege tum humana, tum Divina. 3. Pro ipsa scientia jurium, sive legum, quare Ulp. in L. 1. D. de just., et jure, dixit: *Juri, hoc est scientiae legum, operam daturus, nosse oportet, unde nomen juris descendat.* 4. Pro loco, ubi Praetor jus dicere consuevit, L. penult. D. de just. et jure 5. Pro beneficio legi tributo, uti sunt *jura sanguinis, agnationis, jura naturalia etc.* Jus denique a justitia appellatum; nam eleganter Celsus definit: *Jus est ars boni, et aequi.* L. 1. D. de just., et jure.

Homo in humana societate vivens dupliciter considerari potest, vel tanquam pars ad partem, civis, inquam, ad civem, vel tanquam pars ad totum, Civis, inquam, ad Communitatem. Hinc duplex jus oritur, ideoque duplex justitia ex Arist. lib. 5. Ethic. 1., et 2. Ex prima, scilicet consideratione oritur justitia particularis, per quam quisque reddit, quod justum est, ac debitum comparti, ex secunda oritur justitia generalis, per quam quisque reddit, quod justum, ac debitum est Societati, cujus ipse pars est.

Q. *Quomodo definitur justitia?*

R. Definitur ab Ulpiano in L. 10. D. de just., et jur. *Constans, et perpetua voluntas jus suum unicuique tribuendi.* Dicitur *voluntas*, hoc est habitus voluntatis, seu habituale propositum voluntatis reddendi jus, cui spectat. Dicitur *constans*, hoc est firma quatenus propositum hoc firmum esse debet. Dicitur *perpetua*, non de perpetuitate actus intelligendo, sed de perpetuitate hujus propositi, seu dispositionis cordis tribuendi cuique suum. Dicitur *jus suum*, hoc est illud, quod justum est, sive debitum ad aequalitatem. Dicitur denique *unicuique*, quia justitia proprie dicta requirit diversitatem suppositorum.

Q. *Quid est justitia generalis?*

R. Justitia generalis, quae et legalis dicitur, quia versatur circa legem, seu justum, et legitimum, ut ait D. Thom. q. 58. art. 5., nam in Societate bene legibus constituta, omnia omnium virtutum officia praecipiuntur, sic definitur: *Virtus moralis, quae inclinat hominem, qui est pars communitatis ad praestanda ea omnia, quae communitati debita sunt in ordine ad bonum commune.* Haec dicitur generalis justitia, quia ordinatur ad communitatem, et respicit jus publicum, quod communitas habet ad actiones, et bona partium. Quae justitia est virtus specialis ab aliis distincta, quia habet speciale objectum, nempe bonum commune. Praeterea dicitur *generalis*, quia est complexio omnium virtutum moralium, ut ait D. Thom.

Digitized by Google

2. 2. q. 58 art. 6. Ad Societatem enim omnium virtutum officia pertinent, ut bene ordinata videatur. Unde Jurisconsultus in L. *Jus*. D. de just., et jur. in tali acceptione juris, hoc est justitiae, dixit, quod tria sunt praecepta juris: I. *Honeste vivere* II. *Alterum non laedere*, III. *Jus suum unicuique tribuere.*

Q. Num justitia legalis sit rigorosa justitia?

R. Maxime, quia versatur circa debitum stricte sumptum. Communitas enim, sive qui eidem praeest, habet verum jus exigendi a subditis ea, quae sunt bono communi necessaria, et vicissim in subditis est verum debitum, sive rigorosa obligatio ea praestandi, et id ex natura rei, nam sine tali jure in subditos Communitas stare non potest. Stampò, aliique.

Q. Num justitia sit proprie virtus moralis?

R. Maxime, nam dirigit, et perficit hominis voluntatem, et reddit unicuique quod suum est, quod utique naturae, et rationi est maxime consonum.

Q. Quodnam est objectum justitiae?

R. Objectum *materiale* justitiae est redditio debiti rigorosi. Objectum vero *formale* est illa specialis honestas, quae elucet in hac debiti redditione.

Q. Quotuplex est justitia particularis?

R. Duplex, scilicet, commutativa, et distributiva. *Commutativa* est virtus inclinans hominem privatum ad reddendum alteri privato, quod ei debitum est, servata aequalitate rei datae ad rem acceptam, quae dicitur aequalitas *arithmetica*, et perfecta: v. g. Centum mutuos accepi, centum reddere teneor. Dicitur *commutativa*, quia in commutationibus, et potissimum in contractibus versatur.

Justitia vero *distributiva* est virtus inclinans communitatem, sive ejus Principem, vel Superiorem ad bona communia distribuenda juxta meritorum proportionem subditorum. Hinc haec justitia servat aequalitatem *geometricam*, seu proportionis, quatenus illa sit servanda inter bona distribuenda, qualis proportio invenitur inter dignitates personarum, quibus distributio facienda est, v. g. si dignitas unius personae duplo superet dignitatem alterius personae, duplo plus illi debet tribui, quam alteri.

Q. Num specie differat commutativa justitia a distributiva?

R. Quod licet utraque justitia tum commutativa, tum distributiva sit vera species justitiae, quia utraque univoce participat rationem communem justitiae, quae est dare cuique quod suum est, ut advertit D. Thom., tamen specie differunt inter se. 1. Quod objectum formale utriusque est diversum; nam commutativa respicit aequalitatem *arithmeticam* dati, et accepti; distributiva vero aequalitatem proportionis, et *geometricam*. 2. Jus justitiae commutativae est jus rigorosum, seu proprietatis, sive sit in re, sive ad rem, fundatum in aliquo titulo, v. g. emptionis etc. Jus vero distributivae justitiae est imperfectum, fundatum in debito dignitatis, convenientiae, et habilitatis. Hinc ex justitia commutativa oritur obligatio restitutionis, non vero ex distributiva, nisi quando haec conjuncta sit cum commutativa, uti postea suo loco fusius explicabitur.

Q. Quid est justitia vindicativa?

R. I. Justitia vindicativa est virtus inclinans Superiorem ad reum pro merito puniendum. II. Haec justitia non est omnino distincta a justitia commutativa, et legali, sed ad utramque pertinet sub diverso respectu, nam qua-

Digitized by Google

tenus vindicta debetur laeso, vel Communitati ex officio a Principe, vel Judice, pertinet ad justitiam commutativam, et hinc, si denegetur vindicta, vel retardetur, vel augeatur, vel minuatur cum damno partium, oritur obligatio restitutionis, quatenus vero debetur vindicta Societati ratione legum propter bonum commune, pertinet ad justitiam legalem: interest enim Reipublicae, ut crimina puniantur.

Q. Quodnam peccatum est violatio justitiae?

R. Esse peccatum grave ex genere suo, nam quaelibet species justitiae est virtus magni momenti, unde solum excusari potest a gravitate, vel ratione inadvertentiae, vel ratione parvitatis materiae.

Q. Quid sit jus, quatenus sit facultas ad aliquid?

R. Jus formale, cui respondet debitum rigorosum, definitur: *Facultas legitima aliquid agendi, obtinendi, utendi*, etc. *cujus violatio injuriam constituit.* Dicitur *facultas*, idest potestas. Dicitur *legitima*, hoc est a lege concessa sive naturali, sive Divina, sive humana. Dicitur *aliquid agendi*, hoc est effectus juris, ut possit, qui illud habet aliquid agere etc. Dicitur denique *cujus violatio injuriam constituit*, nam injuriam mihi infert, qui sine justa causa me impedit, ne utar jure meo.

Q. Quotuplex est jus?

R. Duplex, aliud dicitur jus in re, aliud jus ad rem. *Jus in re*, seu jus reale est illud; per quod res ipsa obligata manet, ideoque parit actionem realem, quae vocatur rei vindicatio, v. g. Ajo *hanc rem esse meam. Jus ad rem* est illud, per quod descendit obligatio, et actio personalis. Vocatur *actio personalis*, quia proxime tendit in personam nobis obligatam ex contractu, delicto etc. ad rem tradendam, vel nobis aliquid faciendum. Hinc haec actio cohaeret personae, ita ut contra alium rei possessorem institui non possit, v. g. Si mutuo dedisti Titio centum aureos, quos ille Sempronio donavit, et tradidit, hoc casu actio personalis tibi contra Titium, non autem contra Sempronium competit. Sic etiam emisti equum, agrum etc. ante traditionem habes jus ad rem, seu ad obtinendam rem, hoc est, potes cogere venditorem ad rem tradendam: facta autem traditione, et re accepta, habes jus in re, a re obtenta, et tibi obligata, et proinde habes jus illum vindicandi, et repetendi a quocumque penes quem reperitur. Actio autem realis, quae oritur ex jure in re, est jus persequendi in judicio id, quod suum est, et dicitur *rei vindicatio*. Actio autem personalis est jus persequendi in judicio id quod tibi debetur.

Q. Quaenam sunt species juris realis?

R. Sunt dominium, usus, usufructus, servitus, emphyteusis, pignus, possessio, et haereditas.

CAPUT I.

De Dominii natura, et divisione.

Q. Quid, et quotuplex est dominium?

R. *Dominium est facultas disponendi de re aliqua, vel actione tanquam propria, nisi lege prohibeatur, et est duplex*, unum *jurisdictionis*, alterum *proprietatis*. Dominium jurisdictionis est potestas gubernandi sibi

Digitized by Google

subditos: actus autem gubernandi sunt praecipere, vetare, permittere, judicare, punire etc. De hoc dominio hic non disputabimus.

Dominium proprietatis est jus disponendi de re aliqua, tanquam sua, nisi lege prohibeatur. Dicitur *jus*, seu potestas disponendi de re aliqua. Dicitur *tanquam sua*, scilicet suo nomine, et arbitratu ac auctoritate. Dicitur *nisi lege prohibeatur*, nam dominii usus potest Lege, vel conventione impediri, sic Lege impediuntur pupillus, et maritus, ne disponant, ille de re paterna, hic de fundo dotali. Conventione impeditur dominium, v. g. si donatarius accepit rem sub lege non alienandi, vel legatarius accepit rem legatam, et relictam a testatore cum conditione etiam non alienandi.

Q. Quotuplex est dominium proprietatis?

R. *Duplex: Altum, et Humile. Primum residet penes Supremam Potestatem, et est potestas disponendi de re, et actione Subditorum in ordine ad bonum commune. Secundum penes est privatas personas relate ad sua bona, actiones proprias*, et triplex est: plenum, directum, et utile. *Plenum* est jus, quod habet dominus utendi, fruendi, et liberam potestatem de re disponendi. *Directum*, est dominium nudae proprietatis, idest, sine jure percipiendi fructus, et emolumenta rei suae, uti est dominium, quod habet dominus in fundo tradito in emphyteusim; quia ipse concessit fundum utendum, fruendum in perpetuum sub certo annuo canone, reservata sibi proprietate. *Utile* est jus ad emolumenta et fructus sine proprietate rei, uti est dominium, quod habet emphyteuta in fundo emphyteutico.

CAPUT II.

De variis Dominii adquirendi modis

Q. Quomodo adquiritur dominium?

R. Dominium adquiritur vel jure gentium, vel jure civili, vel *privata hominum voluntate*. Modi adquirendi dominium jure gentium sunt *Occupatio*, *Accessio*, et *Traditio*. Modi dominium jure civili adquirendi sunt usucapio, seu praescriptio, donatio, legatum fideicommissum, haereditas etc. *Privata vero voluntate adquiritur dominium per contractum, vel quasi contractum*. Hic tantum modos adquirendi dominium Iure gentium videbimus, de posterioribus infra disseremus (1).

§. I. *De Occupatione*

Q. Quid est occupatio?

R. Occupatio definitur ab Hubero, lib. 2. tit. 1. §. 18. *Adprehensio rerum corporalium nullius, cum animo sibi habendi*. Hinc acquirimus ea occupatione quae sunt in negativa communione, hoc est, ea, quae vel a nemine fuerunt adprehensa, vel derelicta a domino eo animo, ut nolit esse

(1) Jure novissimo Cod. LL. Civ. bonorum proprietas (quam voculam dominio substituendam esse cautum) adquiritur, vel transmittitur donatione inter vivos, testamenti factione, aut vi stipulationum: item accessione, et praescriptione: art. 632; 633; 635; 636; et 2125.

Digitized by Google

amplius in suo patrimonio. L. 5. D. pro derelictis. Ad occupationem requiritur animus, et adprehensio corporalis, quia sine istis occupatio esse nequit, §. 12. Instit. tit. adquir. rer. dom. (1).

Q. Quot sunt species occupationis?

R. Plures sunt, nempe venatio, aucupium, piscatio, occupatio bellica, et inventio.

Q. Quomodo adquiritur dominium ferarum, et animantium?

R. Vel animantia sunt, quae sua natura mansueta sunt, ut canes, oves, gallinae, etc. Et haec, licet longius a conspectu domini effugerunt, ad dominum pertinent, et emortuorum pelles, et carnes, etc. ad eundem spectant, L. *Pomponius*, D. de adquir. rer. dom. et §. *Gallinarum*. Instit. eod. tit. Vel animantia natura fera sunt, sed per consuetudinem cicurata, uti cervi, pavones, columbae, accipitres etc. et haec spectant ad dominum dum consuetudinem ad ipsum revertendi retinent, vel ejus custodia coercentur: quod si consuetudinem revertendi reliquerint, et ad naturalem feritatem rediisse censeantur, fiunt primi occupantis, §. 15. Instit. eod. tit. Idem dicas de apum examine. Vel animantia sunt, quae cicurari non possunt, ut apri, pisces etc. et fiunt primi occupantis, ubicumque accipiantur, et dominium eorum retinetur, quamdiu ipsius custodia coerceantur, uti cervi in vivariis, apes in alvearibus, pisces in lacubus etc. Quod si ad naturalem libertatem redierint, cessat dominium.

Dixi, *ubicumque accipiantur*, nam ferae bestiae non sunt fructus fundi, ideoque non spectant ad fundi dominum, sed ad capientem, licet eas in alieno fundo ceperit, sed potest dominus fundi prohibere, ne quis in proprium fundum ingrediatur, imo agere contra eum actione injuriarum, L. *Injuriarum* §. ult. D. de injuriis.

Ex his collige: I. Quod peccat quis, et ad restitutionem tenetur, qui columbas alieni columbarii occidit, aut aliqua illecebra, vel modo ex alieno *ad proprium* columbarium advocare studet, nam illae sub dominio proprii *domini* sunt, adeoque habet dominus jus ad earum conservationem, et possessionem, nec obstant, quod talia animalia damnum inferat, quia vel satis leve est, vel licet grave sit, ex publica tamen consuetudine tolerandum. Sed melius est stare consuetudinibus locorum.

II. Quod si aves a cavea ad montem avolent, vel pisces e stagno in flumen irruant, tuae fiunt, si a te capiantur. Excipiuntur tamen ab aliquibus DD. falcones, milvi, quae licet desinant reverti, non desinunt tamen esse domini, licet debeat dominus dare praemium pro captura.

Q. Cujusnam est fera bestia ab uno vulnerata, et ab alio capta?

R. Cum ad adquirendum dominium ferae non sufficiat vulneratio, sed requiritur adprehensio vel manibus, vel instrumentis facta, L. 5. §. 1. D. de *adquir.* rer. dom., dicendum, quod pertineat ad capientem, non autem ad vulnerantem, §. 13. Instit. eod. tit. Verum concludunt Doctores, quod si fera ita vulneretur, ut certo venator illam capturus sit: et eo animo pergit illam persequi, ad venatorem spectat, qui vulneravit, licet alius capiat. Si

(1) Occupatio in rebus mobilibus dumtaxat locum habet. In immobilibus enim esset quidem rei alienae invasio a Jure penitus interdicta, variisque poenis luenda: art. 426; et 428. Cod. LL. poenal.

Digitized by Google

vero dubium sit, num venatoris manus effugere posset, dividenda est fera pro rata dubii.

Q. Num liceat venari, vel piscari in fundo alieno ?

R. Si fundus alienus apertus est, licitum esse, per se loquendo, quia ferae in fundo aperto non dicuntur possideri, neque sunt in dominio domini fundi, ideoque communes, et occupantis fiunt. Dixi, *per se loquendo*, nam dominus fundi prohibere potest, ne quis fundum ingrediatur suum, et in eo venetur. Si vero fundus alienus est clausus, et bene circumseptus, ibi venari non est licitum, quia injuria domino infertur, sub dominio cujus ferae sunt, dum ibi detinentur, adeoque praeter peccatum, tenetur venator ad restitutionem ferae occisae.

Ubi nota, quod quando venatio prohibita est, vel a domino in proprio fundo, vel a Principe in fundo communi, aut a Magistratu, venator peccat graviter, vel leviter juxta proportionem injuriae, quam vel Principi, vel domino infert, et ad damna tenetur.

Q. Quomodo peccet, et an teneatur ad restitutionem is, qui venatur, vel piscatur contra justam prohibitionem ?

R. Si venatio prohibita sit ratione status, puta Clericis, Monachis etc., de quibus dicetur infra, vel temporis, puta die festo, et jejunii, hoc est, quando ratione venationis omitteretur Sacrum, vel violaretur jejunium, ordinarie loquendo, est peccatum mortale, nam habetur scandalum, vel contemptus, vel alterius gravis praecepti violatio. Vel prohibita est ratione publicae utilitatis, puta in illis mensibus, in quibus ferae sunt gravidae, non est peccatum mortale, modo non habeatur notabile damnum bono publico.

Tamen animalia capta sunt sua, quia ferae nullius erunt, ideoque fiunt primi occupantis: ratio est, quia leges in hisce casibus non prohibent ipsam acquisitionem ferarum, sed usum venationis. Quo fit ut venator non teneatur ad restitutionem ferarum captarum, etiamsi istrumentis vetitis ceperit.

Not. Si quis aquas inficeret, unde contigeret magnam piscium vim mori, vel alio modo grave damnum inferret, teneretur ad restitutionem damni faciendam illis, qui jus habebant piscandi, quia censetur illud jus graviter laesisse, et spem lucri, et oblectationis eripuisse. Idem dicendum, si aliquod damnum inferat venando, ut si segetes conculcaverit, si sepimenta dissipet, etc. (1).

Q. Num Clericis licita sit venatio, aucupium, et piscatio ?

R. Licet omnibus spectato Iure Naturae venatio licita sit, tamen Clericis, et Religiosis jure canonum prohibita est venatio saltem clamorosa, quae fit cum strepitu canum, et armorum, uti constat ex Cap. 1. de Cleric. venator., et ex Trident. sess. 24. cap. 12. de reform., quia talis venatio per se dedecet statui Ecclesiastico, et revocat a spiritualibus occupationibus. Verum, licet aliqui Theologi Clericum venationi clamorosae vacantem peccati mor-

(1) Leges Romanae quas Auctor Noster de venatione, quae tum aucupium, cum piscationem complectitur, in medium protulit, vigent etiam Jure Novissimo in Utriusque Siciliae Regno sub conditionibus dumtaxat Lege lata praescriptis sub die XVIII. Octob. an. 1819., qua cautum venationem proprietatem esse ad Fiscum pertinentem. Quamobrem respectivi Administratores nonnullis in dies potestatem faciunt animalia, quae in negativa communione sunt, quaeque naturali sua libertate per Coelum, terram, et mare vagantur certis in locis capiendi.

Digitized by Google

talis absolute damnare non audent, nisi spectatis circumstantiis temporis, frequentiae, scandali etc: Tamen, quia gravis est Ecclesiae prohibitio, et fere semper periculosa, non excusarem a peccato mortali. Dixi, *Clericum*, nam Religioso magis, magisque dedecet venatio praesertim clamorosa. Clem. I. de stat. monachor. Venatio tamen non clamorosa, et piscatio moderata ad honestam recreationem, absolute loquendo, ab omnibus, tamquam licita permittitur, si rara sit, et moderata. Communiter.

Q. *Quomodo adquiritur dominium rerum inventarum?*

Ante resp. sciendum ex D. Thoma 2. 2. q. 66. art. 5. ad 2. et 3, quod res inventae triplicis generis sunt: aliae, quae nunquam dominum habuerunt, uti insula in mari nata, gemmae, et lapilli in littore maris, aliae sunt, quae dominum habuerunt, nunc autem domino carent: vel quia pro derelictis habentur a domino, uti thesaurus etc., aliae, quae actu habent dominum, sed ignoratur, uti loculus pecunia plenus in via repertus, his dictis:

R. I. Quod bona inventa primi generis, quae scilicet nunquam dominum habuerunt, haec primi occupantis fiunt; quod enim antea nullius est, naturali jure occupanti cedit, L. 5. §. 1. D. de adq. rer. dom.

R. II. Quod bona secundi generis, scilicet derelicta, etiam sunt primi occupantis, §. 46. Instit. de adq. rer. dom., nam res derelicta statim desinit esse domini, et fit nullius, et quod nullius est, occupanti cedit. Bona autem derelicta dicuntur ea, quae dominus eo animo abjecit, ut ea in numero rerum suarum non amplius esse velit, dicto §. 46. Sic pro derelictis habentur: *Principum missilia, merces in mare jactae vel a fluctibus ereptae*, aut alio modo amissae, quas dominus sciens, ubi sint, negligat recuperare, cum facile possit.

Q. *Num censeantur bona derelicta ea, quae sunt bona naufragorum, vel quae oborta tempestate levandae navis causa in mare jecta sunt a nautis, vel quae abjiciuntur causa incendii?*

R. Minime: sed permanent esse dominorum, adeoque ipsis sunt restituenda, quia non animo amittendi deficiuntur, sed causa vitandi naufragii, L. 9. § ult. D. de adquir. rer. dom. et L. 1. C. de naufragiis. Quin reprobatur omnis consuetudo contraria. Idem dicendum de rebus, quae iter facientibus decidunt de curru, de equo etc., et ratio est, quia a omnia dominus cupit remanere in rebus suis, quantum fieri potest. Ubi advertendum, quod adest excommunicatio contra surripientes bona naufragorum Christianorum, concurrentibus his conditionibus. 1. Ut bona sint christianorum fidelium. 2. Ut sint naufragantium. 3. Ut surripiantur in mari, vel in littore maris. 4. Ut surripiantur in notabili quantitate sufficiens non solum ad culpam gravem, sed etiam ad excommunicationem Pontificis, Cap. *Excommunicationi* de Raptor. (1).

(1) Res levandae navis caussa ejectae, necnon bona naufragorum in littoribus inventa occupari nequeunt, cum illorum domino potestatem faciat lex novissima Cod. Civ. spatio trium annorum ea revindicandi: art. 215: ac proinde qui hujusmodi bona intercipit, furti qualificati poena multandus: art. 413. n. 3. LL. poenal. His adde quod Lege lata sub die 1. Junii an. 1817. sacitum, quemvis, qui bona isthaec invenerit, teneri ea vectigalium Administriori sub poena duc. 120. denunciare.

Digitized by Google

Q. Num inter bona derelicta computanda sint illa bona, quae certo apud dominum erant peritura, puta incendio, naufragio etc. et aliquis periculo suo eripuit?

R. Minime, sed dominis restituenda sunt, pretio tamen pro labore, et periculo persoluto. Eruitur ex L. *Pomponius* D. de adquir. rer. dom., ubi de animali erepto de ore lupi, statuitur illud pertinere ad dominum, quia quicquid adversae fortunae superest, domini est, ejusque bonae fortunae est, quod per alium periculo sit erepta. Neque dicas, quod talis res e periculo erepta fructus sit industriae eripientis, nam aliter periisset, quia alienam, et non suam rem servavit eripiens, at talis conservatio non efficit, ut res eripientis fieret, sed pro industria praemium accipere meretur, quod praemium propterea jure exigere potest, et usquedum non detur, potest rem retinere loco pignoris. Ita Lessius.

Q. Quid dicendum de thesauro invento?

R. 1. quod thesaurus sit vetus quaedam depositio pecuniae vel similis rei, cujus depositionis, et domini nulla est memoria, aut cognitio. L. unic. C. de thesaur.

R. 2. Pro thesauro invento, haec statuta in jure Civili reperiuntur in §. 39. Instit. de adquir. rer. dom. 1. Si thesaurum quis inveniat in proprio fundo sine arte magica, thesaurus est inventoris. 2. Si in loco alieno, et videndum, si inveniat casu fortuito, dimidium est inventoris, et dimidium domini fundi, si data opera, totus thesaurus Domini erit. 3. Si arte magica thesaurus inveniatur, totus est Fisci. L. 63. Dig. de adquir. rer. dom., et dict. L. unic. C. de thesaur. At hodie ex vetustissima consuetudine, quae non solum viget in nostro Neapolitano Regno, verum etiam dici potest juris Gentium, Fiscus sibi vindicat thesauros, uti refert Tapia in Tract. de Jure Reg. Neapolit. tit. de invent. thesaur. (1).

Q. Quid si quis sciens in alieno agro thesaurum conditum esse, agrum emat eodem pretio ac si in illo thesaurus non adesset, num fiat dominus thesauri, dato quod postea illum eruat?

R. Maxime, quia nullam venditori ignoranti injuriam fecit, quia cum thesaurus in fundo non natus, sed positus fuerit, pars, vel fructus fundi non censetur, neque ad dominium alicujus pertinet, antequam eruatur, erutus autem a Domino fundi, eidem mox adquiritur; cum ergo emptor post traditionem fundi dominus existat, jus habet eruendi, et dominium sibi adquirendi latentis in eo thesauri. Vid. D. Thom. 2. 2. q. 66. art. 5. ad 2.

Q. Quid si quis alteri vestem vendat, in qua aurum, vel quid simile inveniatur in ea repositum, quod venditor nesciat, num emptor postea reperiens, illud facat suum?

R. Minime, sed dominus ejus est, qui posuit, vel haeredes ejus, quia in venditionis contractu non venit aurum propter ignorantiam, ut habetur in L. *A tutore* D. de rei vind. quia quamvis emptor triennio cum bona fide possederit, nesciens aurum absconditum esse, dici tamen nequit, eum prae-

(1) Jure novissimo Cod LL. Civ. art. 636. cautum quod thesaurus in praedio nostro inventus, nobis adquiratur: si vero in loco alieno, ex dimidia parte inventori, ex reliqua jure accessionis domino cedat. Si tandem in praedio emphyteusi subjecto reperiatur, tunc dimidiam portionem vindicet inventor, reliquam aequa lance emphyteuseos dominus, et emphyteuta inter se dividant: art. 1686.

Digitized by Google

scriptione dominium acquisivisse. Is enim, qui nescit, non possidet aurum quamvis possidet vestem in qua est aurum, ut in re simili ait JCtus: in L. 3. D. de adquir. posses. *Sine possessione autem nulla est occupatio.*

Q. Ad quem pertinent res inventae tertii generis, scilicet bona ab uno perdita, et ab alio inventa?

R. Pertinent ad proprium dominum, quia perdendo, dominium non abjecit dominus. Quare inventor illa domino restituere tenetur. Quod si nesciat, quis sit dominus, diligentiam tenetur adhibere majorem, juxta rei valorem, ut inveniat dominum. At si dominus reperiatur, gratis ei reddenda est res sua; retentis tamen expensis, et laboribus, si fuerunt, vel accepto eo, quod dominus gratis dare voluerit.

Q. Cujusnam sunt bona inventa, si post adhibitam diligentiam, dominus non inveniatur?

R. Spectato Iure Naturae, posse inventorem retinere, quia idem est non habere dominum, quam habere, et non apparere: sed illa, quae dominum non habent, fiunt inventoris, ergo etc. Ita Sotus, Danes, aliique. Sed spectata communiori Doctorum sententia, ac praxi piorum hominum, ac constitut. Concil. Mediolanensis IV. dicendum, quod talia bona eroganda sint in pauperum eleemosynas, vel alios pios usus, quia cum rei deperditae dominus ejus dominium non amiserit si ipsimet domino restitui non potest talis res, restituenda est eis, quibus ipse vult, est autem praesumendum, velle eum, quod in pauperes erogetur, vel alios pios usus pro satisfactione suorum peccatorum.

Not. Usque dum adest spes reperiendi dominum, debet omnimodo inventor servare rem. Ai si bona fide, idest putans rem ad se pertinere alienaverit post sufficiens tempus, et postea reperitur Dominus, nihil ipsi tenetur restituere, nisi quatenus inventor factus sit ditior, et si erogata fuit pauperibus, pauperes, comparente domino, tenentur restituere rem, si extat; si vero consumpta fuit, tenentur in quantum facti sint locupletiores.

§. II. *De Accessione*

Q. Quid est Accessio, et quotuplex?

R. Accessio est illa, qua res una principalis trahit alteram ut sibi junctam, et quasi partem sui. Dividitur in naturalem, industrialem, et mixtam, quatenus accedit rei nostrae incrementum vel beneficio naturae dumtaxat, vel industria nostra, vel industriae simul, et naturae adjumento.

Q. Quaenam sunt species accessionis naturalis?

R. Plures sunt, foetura scilicet, alluvio, vis fluminis, insula in flumine nata, et alvei mutatio. Ad nativitatem animalium quod attinet, quidquid ex animalibus nostris nascitur, nostrum est, quia partus sequitur ventrem, L. 5. D. de rei vind., et antequam edatur, est portio maternorum viscerum, L. 1. D. de ventr. inspic, et locum habet non solum in bestiis, verum etiam in ancillis. Per alluvionem adquiritur dominium ejus, quod vi aquarum paulatim uni fundo detrahitur, et alteri adjicitur, et est domini fundi cui fit adjectio. Dixi *paullatim*, seu insensibiliter, nam si partem tui praedii notabilem repentina aquarum tempestas adjecerit meo fundo, ea tibi remanet, ut ait Cajus in L. *Adeo* §. 4. D. de adq. rer. dom. (Excipe si arbor adjecta

Digitized by Google

longo tempore fundo meo haeserit, ibique radices egerit, nam tunc videtur mea facta esse arbor, dict. L. *Adeo* §. 2. eod. tit.). (1).

Q. Quaenam sunt species accessionis industrialis?

R. Sunt plures, scilicet adjunctio, specificatio, et commixtio. Adjunctione adquiritur dominium illarum rerum, quae rebus adjunguntur nostris: puta per intexturam, inaedificationem, scripturam, picturam etc., quia accessorium cedit principali. Inaedificatione, si scilicet, quis aedificavit in fundo alieno, aedificium erectum cedit domino fundi, qui tenebitur materiam, et operas solvere, si illa bona fide aedificaverit, quia bona fides non patitur, ut soli dominus cum inaedificantis detrimento locupletetur. Si vero mala fide aedificaverit, scilicet, sciens esse fundum alienum, amittit aedificans dominium materiae, et operum, etiamsi domus diruatur; quia aut donasse, aut temere aedificasse censetur, L. 7. §. 12. D. de adq. rer. dom., nisi probet se non animo donandi aedificasse, L. 2. C. de rei vind. Praeterea si quis in fundo suo aedificet de materia aliena, omne cedit solo ex generali axiomate: *Quod solo inaedificatur, solo cedit.* §. 29. Instit. dict. tit.; sed iste tenetur reddere duplum pretii illius materiae; quin diruto aedificio, potest dominus sibi materiam vindicare, si ei nondum satisfactum sit, dict. L. 7. D. eod. tit. Quod si Titius ex Caii materia in fundo Petri aedificet, aedificium cedit Petro; potest tamen Caius petere aestimationem materiae suae, vel eam vindicare, si diruatur aedificium.

Scriptione, dum scilicet, quis in aliena charta, vel membrana scribit. Literae, licet aureae sint, et istae cedunt domino chartae, vel membranae. Quare si in charta Titii, historiam scribas, ejus scriptionis Titius dominus fiet, licet teneatur tibi impensas scripturae solvere, L. *Qua ratione*, §. *Litterae* D. de adq. rer. dom., sed quia hodie charta, et membrana viliora sunt, ideo existimandum est, quod cedant scripturae, quae pluris, aestimatur, licet scriptor chartae pretium solvere tenetur, vid. Gloss. in dict. L. *Qua ratione*.

Pictione, scilicet, si quis in tabula aliena pingat, tabulam facit suam ob

(1) Jure novissimo Cod. LL. Civil. cautum:

1. Fructus tum naturales, tum industriales, et civiles, necnon animalium partus jure accessionis domino cedere: art. 472.

2. Quod per alluvionum agro flumen adjicit, idest quod ita paulatim adjungitur, ut intelligi non possit quantum quoquo temporis momento adjiciatur, ei statim adquiritur, cujus agro adjectum est: art. 481.

3. Si aut vi fluminum, aut alio quodam naturae casu alicujus agri pars ad alium transferatur, huic non prius adquiretur, quam post annum, cum hoc temporis intervallo ea a domino vindicari possit: art. 484.

4. Quum flumina, quae navigationi sunt idonea inter Majestatis jura censeantur, hinc insulae, quae in iis nascuntur, Fisco cedunt, dummodo titulus, aut praescriptio in contrarium non extet: art. 485.

5. Insulae in medio flumine natae, quod transvectioni est impar, eorum sunt, qui utrinque prope ripam praedia possident: art. 486.

6. Si flumen superius divergens, et inferius congregatum in insulae formam agrum redigat, ipse prioris domini manet, licet illud transvectioni sit aptum: art. 487.

7. Alveus, quem flumen derelinquat iis cedit, quorum praedia illud occupat ratione indemnitatis: art. 488.

Digitized by Google

nobilitatem artis, uti cavit Iustinianus in §. 34. Instit. de eodem titulo, licet tenetur domino tabulae de damno (1).

Q. Quomodo adquiritur dominium per specificationem?

R. Specificatione adquiritur dominium, quando ex aliena materia suo nomine quis novam speciem facit. Sed in hoc casu videndum, num species ad pristinam formam materiae possit reduci, vel non. Si ad pristinam formam possit reduci res pertinet ad dominum materiae, quia in iis, quae ad initia reduci possunt, materia est potentior forma, L. 78. §. 4. D. de Legat. 3. Si vero ad pristinam reduci non potest, pertinet res ad eum, qui *speciem* formavit, L. 7. §. 7. D. de adq. rer. dom., si bona fide usus sit re aliena, existimans scilicet, esse suam, licet vero domino datur actio pro valore suae materiae; Si vero mala fide egit, res a pristino domino vindicari poterit, L. *De eo* §. *si quis* D. ad exhibendum (2).

Q. Quomodo adquiritur dominium per commixtionem, seu confusionem?

R. Confusione adquiritur dominium, si duorum dominorum, materiae, utriusque consensu, aut casu confusae fuerunt, totum corpus ipsis commune efficitur, v. g. si duorum vina confusa fuerint, ad utrumque dominum pertinebunt. Quod si materiae confusae amissa propria specie transiverint in aliam speciem, v. g. vinum, et mel in mulsum etc., qui speciem fecit absque alterius consensu, fit eius dominus per specificationem, ut supra dictum est; verum tenetur solvere pretium partis confusae absque proprii domini voluntate, L. 5. De rei vind.

Commixtione, si scilicet duorum dominorum materiae commisceatur, v.

(1) Jure novissimo Cod. LL. Civ. cautum:

1. Quod in mobilium accessionibus Judex naturali aequitate magistra, controversias inter illarum dominos exorientes dirimat: art. 490.

2. Si vero rerum conjunctio ita fiat, ut unum corpus evadant, licet eae sejungi *possint* salva cujusque natura, et integritate, sancitum quod ratio ipsa suasit, accessorium principali cedere: utque indemnitati cujusvis consuleretur, pretium rei, quae accessit, domino persolvatur: art. 491.

3. Res principalis ea dicitur, ad cujus usum, ornatum, atque complementum alia adjungitur: art. 492.

4. Si autem res conjuncta longe pretiosior alia esset, tunc illius domino actio datur adversus eum, qui adjunctionem fecerit materiam suam vindicandi. art. 493.

5. Quoties arduae existimationis foret quid accessorium, quid principale, Judex ex pretio, vel rei magnitudine, si utriusque fere aequale sit pretium, sententiam ferat: art. 494.

(2) Jure novissimo Cod. LL. Civ. cautum.

1. Qui ex aliena materia novam speciem suo nomine fecerit, licet ad priorem *formam* ea redigi possint, materiae dominus speciei dominium consequatur cum onere *specificanti* suae industriae pretium solvendi: art. 495.

2. *Si* artificis industria sit longe majoris existimationis aliena materia, tunc ob artis dignitatem ipsi novae speciei dominium adjudicetur, pretium materiae domino solvendo: art. 496.

3. Quoties cujusvis materiae domino potestatem faciat lex novam speciem adquirendi, quippe quod illo inscio ad quodvis opus efformandum fuit adhibita, optio huic quoque datur, aut rem suam vindicandi, aut ejus existimationem. art. 501.

4. Tandem qui aliena materia inscio domino utatur, et ad indemnitatem, et ad poenam, si competat, adigatur: art. 502.

Digitized by Google

g. frumenta etc. acervus communis erit; si vero commixtio fiat absque eorum voluntate, tunc singulis competit in rem actio, seu quisque potest vindicare materiam suam, quatenus discerni possit, quid sit cuiusque, *L. Idem Pomponius* D. de rei vind., et §. 28. Instit. de adq. rer. dom. Idem dicendum de gregibus ovium, si commisceantur.

Not. I. Quod differt commixtio a confusione, quod in illa corpora separata inter se manent, secundum substantiam, in hac corpora in unum coeunt, §. *Quod si frumentum* Instit. tit. de adq. rer. dom.

II. Si aliquis commiscet pecuniam suam cum aliena, ipse adquirit dominium pecuniae, licet faciat hoc inscio, vel invito domino, dummodo pecunia non possit discerni a sua, uti habetur in L. 1. *alieni* D. de solution. Tenetur tamen aequalitatem restituere pecuniae, quia nemo potest locupletari cum aliena jactura (1).

Q. Quaenam sunt species accessionis mixtae?

R. Plures sunt, scilicet plantatio, satio, et perceptio fructuum.

Plantatione adquiritur dominium, scilicet si arbor in alieno fundo plantatur statim ac radices egit, cedit domino fundi, quia a terra alimentum accepit, et est pars fundi, L. *Adeo* §. ultim., L. *sed si meis*. D. de adq. rer. dom. Idem dicendum de satione, §. 32. Instit. eod. tit. Pretium tamen est solvendum, tum plantae, vel seminis, tum impensi laboris, praesertim quando bona fide factum est, vel negotium utile gestum est pro domino fundi, dicit. L. *Adeo*. Qui tamen ex alieno fundo arborem in suo transplantavit, licet adquirat dominium arboris, si radices egerit, tenetur tamen de damno, et pretio arboris: si autem radices non egerit, poterit a domino vindicari. Quod si arbor in confinibus posita in duorum dominorum fundo radices egerit, communis erit ambobus, si vero arbor in unius fundo posita in alterius vicinum fundum radices aliquas egerit, ejus erit arbor, in cujus fundo radices immiserit. L. *Si plures* §. ult. D. arbor. furt. caesar. (2).

(1) Jure novissimo Cod. LL. civ. cautum:

1. Si materiae commixtae rursus separari possint, cum illae in sua substantia durent, nihil quidquam mutetur dominium, ac proinde suo quaeque domino vindicentur: art. 498.

2. Si vero materiae confundantur, ita ut secretioni sint impares, tunc communes fiant, suorumque quisque corporum retineat dominium in ea quantitate, qualitate, et pretio, ut antea erant: art. cit.

3. Quoties unius materia longe praestantior esset alia respectu qualitatis, vel pretii, tunc res commixtas is vindicet, alienae materiae pretium domino persolvendo: art. 499.

4. Cum res inter dominos communes fiunt, tunc ut singulorum utilitati prospiciatur, illas sub hasta exponendas Judex decernat: art. 500.

(2) Cod. noviss. LL. Civ. art. 477. confirmatur axioma Juris Romani: *quidquid solo implantatur, vel inseritur, solo cedit* (*L. 9. pr. ff. de adquir. rer. domin.*), ac proinde cautum.

1. Dominum soli, et superficiei, et inferioris praedii partis dominium vindicare.

2. Quasvis plantationes, constructiones, aliave opera, quae in praediis extant a Jure praesumitur suis impensis a domino facta, donec oppositum demonstretur: art. 478.

3. Qui in alieno solo plantas, seminave inseverit, vel constructiones, aliaque opera fecerit, potest a domino cogi ad isthaec destruenda, nullumque ei ad impensa-

Digitized by Google

De perceptione fructuum disputabimus in Tractatu de Restitutione.

§. III. De Traditione

Q. Quid est Traditio?

R. *Est datio possessionis*, argum. L. 3. de act. Em., et L. 28. D. de verbor. obligat., *seu, est datio rei corporalis justo titulo ab eo, qui animum, et jus alienandi habet.*

Triplex est, alia *realis*, quae naturalis datio appellatur, et in re mobili est de manu in manum translatio: *in rebus, quae non facile moveri possunt, exhibitione praesenti expeditur*, L. 1. ff. de adquir. posses.; *in re immobili ipsa pedum illatione* L. 3. ff. de adquir. rer. dom. *Alia ficta, quae et brevi manu, vel longa manu fieri dicitur, est qua fictione juris res in alium translata intelligitur, licet de manu in manum translatio non intercedat, et brevi quidem manu traditio fit, in transferendo ad eum dominio, qui rem jam tenet, puta deposito, commodato: longa vero manu, cum a longinquo, ut e monte, e tecto, e turri locus ostenditur, qui tradendus est.* Alia est *Symbolica*, seu civilis, quae fit vel per instrumentum, vel per traditionem clavium, aut aliam similem actionem lege, vel consuetudine institutam.

Q. Quomodo adquiritur dominium?

R. Vel agitur de rebus, quae nullum dominum habent, et requiritur sola rei apprehensio, sive occupatio facta animo faciendi rem suam, uti supra diximus. Vel agitur de rebus, quae dominio alicujus subjectae sunt, et jure naturae requiritur consensus mutuus, signo externo manifestatus; jure tamen civili requiritur titulus, et traditio. Prima pars patet, nam principium translationis dominii est voluntas domini addicentis alteri rem suam. Ergo semper ac habetur ex parte domini haec voluntas, et ex parte alterius habeatur consensus recipiendi illam rem, dicitur Iure Naturae translatum dominium. Probatur secunda pars ex L. 32. D. de acq. rer. dom. ubi Paulus JCtus ait: *Nunquam nuda traditio transfert dominium, sed ita si venditio, aut alia justa causa praecesserit, propter quam secuta sit traditio.*

Titulus autem hic intelligitur causa, seu ratio, propter quam dominium ab uno ad alium transfertur, qualis est venditio, donatio, legatum, derelictio etc. Praeterea titulus non transfert dominium, sed tantum jus ad rem tribuit: dominium transfertur per traditionem.

Q. Num in omnibus rebus requiritur traditio?

R. Minime, sed dantur aliqui casus, in quibus traditio non requiritur, sed sufficit solus titulus ad adquirendum dominium de jure civili. Sic acci-

rum restitutionem comparatum est auxilium: immo si quid damni intulerit, dominum reddat indemnem: art. 480.

4. Quod si isthaec opera dominus velit sarta tecta servare, tunc et rerum existimationem, et mercedem artificum dumtaxat solvere tenetur, nulla habita ratione incrementi, quod praedium acceperit: art. cit.

5. Arbor in communi sepe posita utriusque domini, cujus ex terra et enascitur, et alitur, communis sit: immo cuique potestatem facit lex et illam evellendi, necnon et ramos, et radices, quas in praedio egerit penitus caedendi: art. 593; et 594.

Digitized by Google

dit in haereditate cujus dominium acquiritur ipsa aditione, hoc est acceptatione haereditatis absque ulla traditione. Ita etiam in legatis, in beneficiis, vel in donatione, venditione, aliove simili contractu in favorem Civitatis, Ecclesiae, piorum Locorum inito ob eorum speciale privilegium, L. ult. C. de sacros. Eccles. *Item donator sine traditione adquirit dominium bonorum quae donavit sub conditione, ut ipsi alimenta praestentur, statim ac conditio praestationis a donatario non adimpleatur.* L. 1. Cod. de donat. quae sub modo etc. *Tandem idem dicendum in pactis hypothecae, in servitutibus negativis*, in rebus familiae erciscundae, *sive in actione, quae datur cohaeredi adversus cohaeredem ad dividendam rem haereditariam*, communi dividundo, *sive actio, quae datur socio, qui incidit in societatem rei singularis, sine consensu, ut res communis dividatur, uti si duobus eadem res sit legata, et denique finium regundorum.*

Legatarius alicujus rei determinatae, statim ac haeres haereditatem adit, rei legatae dominium, adquirit. L. *si ager* D. de rei vind., *sed si damnum* §. 2. de pecul. cum concord., quin Gloss. ad hunc titulum existimat, quod fictione juris dominium hujusce rei legatae transeat in legatarium tempore mortis testatoris: itaut fructus ex eo tempore eidem debeantur. Si vero legatum sit in specie indeterminata, v. g. centum aurei, vel sex vini dolia, tunc legatario conceditur actio hypotecaria, ob realem actionem, quam habet in bonis defuncti, ut ex iis legatum sibi solvatur ad quemcumque possessorem deveniant. L. 1. C. comm. de Legat (1).

CAPUT III.

De Subjecto Dominii

Q. Quodnam est subjectum dominii, seu quinam sunt dominii capaces?
R. Quod sola natura intellectualis dominii capax est. Ratio est, quia

(1) Quum traditio sit dominii per possessionis translationem alienatio (*L. 20. C. de pactis*), eaque tale ad accipientem transferat jus, quale fuit apud eum, qui rem tradidit (*L. 20. §. 1. D. h. t.*): hinc illius vis, et auctoritates cum a *personis* pendet gerentium, tum a *caussa* possessionis transferendae, tum a *modo*, quo ea perficitur.

Et a *personis* quidem, ita ut is sit tradens, qui et rerum, sive ad se, sive ad alium pertinentium habeat alienandarum facultatem (*L. 20. pr. D. h. t.*), et dominium in accipientem transferre velit (*L. 9. §. 3, et h. D. h. t.*): accipiens vero cum jure gaudeat ejus rei adquirendae, tum eo animo sit, ut sibi, aliive adquirat (*L. 13. pr. L. 20. §. 2. D. h. t.*). *Caussa* etiam justa esse debet, idest dominio transferendo per se quidem habilis (*L. 31. pr. D. h. t.*) Ad *modum* denique spectat traditio, quam vocant DD. *longa manu, brevi manu, et symbolicam*: quae omnia passim Jure novissimo Cod. LL. Civ. confirmantur. Videsis art. 1077, 1450., et 1085.

His adde quod art. 1451. cautum immobilia exhibitione clavium, vel titulorum tradita censeri: mobilia vel rei translatione e manu in manum, vel exhibitione clavium praediorum, in quibus res extant, vel denique nudo partium consensu, quoties tempore venditionis tradi nequeant, vel jam ex alia caussa emptor illa possideat art. 1452.

Postremo incorporalium jurium nulla fieri potest traditio, sed dumtaxat quasi traditio, cujus loco est instrumentorum exhibitio, vel emptoris usus, et exercitium, venditore consentiente art. 1453. Adhaec sancitum quod si nulla intercesserit stipulatio, tunc eo loco, in quo tempore venditionis res extabant, tradantur: art. 1455.

Digitized by Google

dominium est facultas de re aliqua suo arbitratu disponendi, talis autem facultas sine libertate arbitrii, et sine intellectu haud consistit. Ergo etc. Ex his infertur 1. Quod Deus solus supremum, et absolutum in omnes res creatas dominium habet. Homines vero gaudent dominio in res corporales inferiores. Dixi *inferiores*, quia non est homo dominus Caelorum, Astrorum, etc. utpote de quibus disponere non potest. Quin nec etiam de omnibus rebus inferioribus habet dominium proprie dictum post Adae peccatum, quia non habet liberam facultatem de iis ad libitum disponendi, uti de piscibus, volatilibus, feris etc., unde de iis habet dominium tantum *remotum*, scilicet jus capiendi, occidendi etc.

Q. Utrum parvulus habeat dominium ante usum rationis?

R. Maxime, quia licet parvulus careat usu rationis, et exercitio liberi arbitrii, quod requiritur ad usum dominii adquirendi, non est tamen necesse *ad* dominium ipsum habituale, quod immediate fundatur in potentiis. *Quod* si non possit habere administrationem in rebus suis, non provenit ex aliqua lege prohibente, sed solum ex tenella aetate, et quoad hoc supplet Respublica per Tutores, Curatoresque (1).

Q. Num possit habere filius familias dominium in aliquibus bonis?

R. Maxime habet dominium in illis bonis a lege statutis, licet filiusfamilias maneat sub patria potestate (2).

Q. Quid est patria potestas?

R. Et jus, quod habet Pater, vel Avus paternus quoad aliquos effectus in liberis, aliisque descendentibus per lineam masculinam legitimis et naturalibus. Nam filii, et filiaefamilias in Patris non solum, sed etiam nepotes, neptesque, et ceteri ex filiis nati in Avi potestate sunt, nam filius, qui ipse est in potestate, liberos in potestate sua habere non potest, L. 21. D. ad L. Jul. de adult. Matri quamvis competat aliquod jus in filios, puta corrigendi, moderate verberandi etc. non habet tamen patriam potestatem, *quia* jure civili prohibetur. Praeterea pater, et Avus habent patriam potestatem solum in filiis legitimis, nam in iis, qui nascuntur ex injusta copula in potestate patris non sunt, L. 23. D. de stat. homin., sed *sui juris* sunt (3).

(1) In Codic. novis. LL. Civ. axioma Juris Romani humanitatis caussa receptum confirmatur: *is, qui nasci speratur cum de ipsius jure quaeritur, pro superstite est* (*L. 231. ff. de verb. sign.*), hinc nascituri adhuc utero materno latentes omnia jura in tempus nascendi integra retinent, dummodo vivi, et perfecti nascantur, et legitimo connubio fuerint concepti. Quamobrem art. 315. cautum mortuo patre ventri praegnanti Curatorem a Consilio-familias eligendum, ut illius jura sarta tecta tueatur: in ejus vero nativitate Mater ipso jure sit Tutrix, aeque ac Curator subrogati tutoris officium gerat.

(2) Jure novissimo Cod. LL. Civ. filiorum bona patri non cedunt. Is enim solummodo administrationem eorumdem gerit, cujus etiam rationes reddere debet: art. 312; 291; et 293. Usufructus tamen illarum rerum, quas filius proprio marte non adquisiverit, aut ei legati, vel donationis conditionatae titulo pervenerint, quod pater iis non fruatur, usquedum aetatem filius expleverit an. XVIII; aut fuerit emancipatus, patri relinquitur. Mortuo patre, harum rerum usufructus pro medietate Matri cedit, et protrahitur usque ad annum XXI; dummodo ipsa ad secunda vota non transierit, quo casu jus omne amittit: art. 289., et 300.

(3) Inspecto Jure Naturae, ut censuit Plutarchus (*Lib. de prol. amor.*), utriusque parenti in liberos jus aequum est. Qua de re, licet ex regulis Juris Romani pote-

Digitized by Google

Q. Quomodo solvitur patria potestas?

R. Variis modis, scilicet 1. Per mortem naturalem patris, vel filii, princ. Instit. tit. quibus mod. jus patr. etc., quia mors omnia jura solvit, ergo et jus Patriae potestatis. Mortuo quidem patre, filii, filiaeve omnimodo efficiuntur sui juris: mortuo vero Avo, nepotes, neptesve ita sui juris fiunt, si in potestate patris sui non sint recasuri, eo vel emancipato, vel mortuo. 2. Per deportationem in insulam patris, vel filii, §. 1. Instit. tit. eod. Deportati enim Romanam Civitatem amittebant, unde Peregrini, L. 6. §. 1. D. de haered. instit. 3. Per dignitatem filii, puta, si sit factus Patricius, Consul, Praefectus Urbis, Episcopus etc. §. 4. Instit. tit. eod., et Nov. 81. cap. 1. et 3. 4. Per emancipationem filii, quae definitur: *Relaxatio patriae potestatis coram competente Judice*, L. ult. C. de emancip. 5. Per lapsum patris in haeresim, vel si pater secundas nuptias incestas ineat, si liberos exponat, si eorum pudicitiam prostituat, si in eos contra pietatem saeviat.

Advertendum tamen est, quod licet per superiores modos tollatur patria potestas, non tamen aboletur reverentia, et observantia Parentibus debita a liberis Jure naturali, quae non potuit tolli per civile.

Q. Quid est peculium filiorum familias?

R. Peculium est pusillum patrimonium, quod filiusfamilias habet separatum a rationibus Patris, L. 5. §. 4. D. Pecul. Duplex est hoc peculium scilicet Paganum, et Militare. *Paganum* dispescitur in profectitium, et adventitium, *Militare* in castrense, et quasi castrense.

Q. Quid est peculium castrense, et quasi castrense?

R. Castrense est illud, quod adquirit filiusfamilias occasione militiae armatae, L. 2. D. de castr. pecul. Ad hoc peculium pertinet totum illud, quod Pater cunti filio ad militiam donat, haereditatem a commilitone relictam, vel legatum, quidquid ab hostibus captum, et etiam illud quod emitur a filio pecunia castrensi, L. 11. D de castren. pecul., et L. 4. C. eod. tit. Quasi castrense est illud, quod filius adquirit occasione militiae togatae, L. 14. C. de Advocat., et L. 6. D. de re judic. ad quod pertinent omnes sumptus a patre facti filio causa studiorum, adquisita ex advocatione, vel aliarum artium liberalium exercitio, omnia donata a Principe, vel Augusta, L. 7. C. de bon. quae liber. Praeterea ad hoc refertur peculium clericale, nempe omne id, quod adquiritur a filiofamilias post Clericatum, sive ex beneficio, sive ex officio ecclesiastico, sacrisque functionibus, sive

stas in liberos unice patri competat (*L. 1. §. 2. ff. de obs. par.*), attamen Cod. noviss. sapienter cautum utrique parenti eam deberi: art. 288: constante vero matrimonio dumtaxat a patre exerceri: art. 289: absente tamen patre art. 145; vel si voluntatem suam in filiorum nuptiis ille aperire nequeat, a matre vindicari: art. 164. Isthaec potestas in filios tum legitimatos, et adoptivos: art. cit. 289; tum in naturales respectu parentis, qui recognitionis actu illos donaverit, sese exerit: art 272. et 310.

Postremo cum filius aetatis suae annum XXV. expleverit, aut fuerit emancipatus, vel matrimonium iniverit, aut per oeconomiam separatam vivere incoeperit; quia finis patriae potestatis, nempe educatio, cessat, ea quoque solvitur. art. cit. 288. Videsis Tit. IX. Cod. Civ. art. 270. et seq., quibus jura, quae patriae potestati inhaerent singulatim confirmantur.

Digitized by Google

aliunde sit adquisitum, quod alias esset adventitium, Authent. *Presbyteros* C. de Episc. et Cleric. Dixi *post Clericatum*, quia bona ante Clericatum adquisita, post Clericatum ejusdem remanent naturae.

Q. Quid est peculium profectitium et adventitium ?

R. Peculium profectitium est illud, quod adquirit filius e re, et substantia Patris, vel ejus contemplatione, §. 1. Instit. tit. per quas person. cuiq. adquir. Hinc si amicus Patris mei reliquit mihi fundum, hoc profectitium peculium nominatur. Adventitium est illud, quod adquirit filiusfamilias ex alia causa, puta, ex liberalitate extraneorum, matris, vel ex propria industria, vel prospera fortuna, veluti ex thesaurorum inventione etc. §. 1. Instit. eod. (1).

Q. Num filiusfamilias habeat in hisce peculiis dominium ?

R. De peculio castrensi, et quasi castrensi potest disponere pro lubitu filiusfamilias, modo sit pubes, ideoque statuere de istis contractus, et ultimas voluntates potest, L. 37. C. de inoffic. testam., quia in hisce peculiis Filiifamil-vice patrumfamil. funguntur. L. 2. D. de SCto Macedon., et in pleno jure filiorumfamil. sunt, princ. Instit. quib. non est perm. fac. testam . . De peculio profectitio filius non potest disponere, quia in pleno jure patris est. Hinc illud filio adimere potest pater pro lubitu, L. 4. §. ult. D. de dol: mal, except., ut patre mortuo filius conferre cogitur cum fratribus suis, et in divisione haereditatis, L. 12. C. de collation. Tamen ne inutile sit filio hoc peculium, habet ex eo aliquam utilitatem, nam, 1. Publicatis bonis patris, non aufertur peculium profectitium, L. 3. §. 4. D. de Minorib. 2. Emancipato filio, et a patre non adempto, filius illud retinebit, L. 31, §. 2. D. donation.

De peculio adventitio nec etiam filiusfam. potest disponere, quia licet ille habeat proprietatem, pater tamen retinet usumfructum, et plenissimam ejusdem administrationem, . L. 6. C. de bon. quae liber., adeoque non potest eum administrare, nisi ex patris consensu: at si pater emancipet filium, potest retinere medietatem hujusce peculii, et si expresse non retinet, ipso jure cedere patri jussit Justinianus, in L. 6. §. 3. C. de bonis, quae liber.

Q. Num dantur casus, in quibus potest filiusfamilias disponere inter vivos de peculio adventitio ?

R. Dantur I. Si relictae sint res filiofamilias ea lege, ne ususfructus patri deferatur, Nov. 117. cap. 1. *dummodo non sint relictae a Matre, vel Avia Materna pro legitima.* II Si filius renuente patre haereditatem adit, L. 8. C. de bon. quae liber. III. Si filius succedit in haereditatem defuncti fratris germani, simul cum Parte. Nov. 118. cap. 2. IV. si Pater cedat filio usumfructum, *vel solus usufructus filio relictus sit, aliter filius nihil haberet.* In istis casibus potest pro lubito filiusfamilias disponere hoc peculium inter vivos, non autem causa mortis; quia licet habeat proprietatem

(1) In Utriusque Siciliae Regno locum non habet peculiorum distinctio: filius enim familias in omne, quod sua industria adquirit, sibi vindicat: art. 295. Priusquam vero aetatis suae annum XXV. is expleverit, dumtaxat res a se adquisitas, quae peculio castrensi respondent, alienandi habet potestatem: art. cit. 295.

Digitized by Google

et usumfructum hujusce peculii, non fungitur tamen vice Patrisfamilias, et hoc peculium vocatur *irregulare, plenum, et extraordinarium.*

Q. Quo jure rerum divisio, ac proprietas instituta fuit?

R. Instituta fuit Jure gentium, nam ut D. Thom. testatur 2.2. q. 66. art. 1. Jure naturali, ac primaevo communis erat rerum possessio, atque dominium, siquidem in statu innocentiae, in quo pax summa erat, nulla poterat esse causa, et necessitas dividendi. Verum homine in peccatum lapso sicut terra germinare coepit spinas, tribulos, et nihil boni afferre, nisi coleretur sudore, et laboribus, ita etiam viventes in laboribus segnes plurimi, debiles aliqui, et omnes denique insatiabili rerum desiderio aestuantes, visi fuerunt, ideo omnibus gentibus expedire visum fuit ad communem egestatem, animorum dissentiones tollendas, et alia rerum mala cavenda, rerum divisiones instituere, ac proprietates, unde Clemens Romanus relatus in Can. *Dilectissimi* 12. qu. 1. ait: *Communis enim usus omnium, quae sunt in hoc mundo, omnibus esse hominibus debuit, sed per iniquitatem alius dixit, hoc esse suum, et alius illud, et sic inter mortales facta divisio est.* Hinc est, quod in aliqua bene instituta Religione, in qua partim ex vigilantia Superiorum, partim ex subditorum virtute, nulla perturbatio timetur, ad majorem Status perfectionem, bona omnia sunt communia, ita ut omnibus dominium commune sit; nulli autem proprietas conveniat.

Huic doctrinae objici posset Clement. *Pastoralis,* de re judic. et cap. *Super eo* de usu., scilicet quae Juris naturalis sunt, hominum potestate, ac jure tolli nequeunt, vel mutari, sed Jure naturali communis erat omnium rerum proprietas, et possessio. Ergo tolli non potuit, et mutari Jure gentium.

Sed respondetur cum D. Thoma 2. 2. q. 94. art. 3. ad 3; et 2. 2. q. 66. art. 2. ad 1. quod duobus modis aliquid esse potest de jure naturali, videlicet praeceptive, et permissive, Illud dicitur de Jure naturali praeceptivo, cujus opposito Jus naturale resistit, ideoque humana lege statui non potest. Illud dicitur de Jure naturali permissivo, cujus opposito Jus naturale non resistit, quamvis etiam illud non statuat, sed permittat hominum voluntate superaddi. Hinc licet erat de Jure naturae bonorum omnium communis possessio, erat tamen de Jure naturae permissivo, ideoque potuit homo illam mutare, et superaddere rerum divisionem, quae non erat contra naturam, ad tollendá mala.

Nota. Quod Jus gentium reliquit bonorum omnium communem possessionem in casu necessitatis extremae, et hinc affatum illud: *In extrema necessitate omnia sunt communia.* Aliqua etiam omnibus communia remanserunt Jure eodem gentium: scilicet aer, imber, mare, littora maris, flumina, portus etc., unde in istis piscari, navigare etc. omnibus jus commune est, modo non vetitum sit a lege positiva Principis, ita etiam ex publico flumine navigabili aquas derivare, vel in publico flumine aedificare, omnibus sine Principis licentia, prohibitum est, L. 1. D. de flumin.

Porro quaedam aliae res nullius sunt, ut liber homo, item ferae bestiae, scilicet Cervi, Apri, Volucres, Pisces etc., in quibus postremis locum habet id, quod habetur in §. *Ferae* Instit. de adq. rer. dom, *Quod nullius est, id naturali ratione conceditur occupanti.*

Digitized by Google

§. II. *De Objecto Dominii*

Q. Quid est dominii objectum, seu materia dominii?

R. Sunt omnes res, quae usibus humanis subjiciuntur, uti agri, montes, flumina, plantae etc. Deus enim dedit homini dominium super haec, dicens: *Replete terram, et subjicite eam, et dominamini piscibus maris, et volatilibus Coeli, et universis animantibus, quae moventur super terram:* Gen. 2.

Q. Num homo sit dominus suae famae, et honoris?

R. Maxime, ut ait D. Thomas. q. 64. art. 5. *Hominem licite posse disponere de seipso, quantum ad ea, quae pertinent ad hanc vitam, sed transitum de hac vita ad aliam non subjacere libero ejus arbitrio.* Praeterea homo famam, et honorem, post vitam divinitus acceptam sibi adquirit, et auget, sicut res ceteras, ergo est illius dominus, ut ceterarum. Adhaec, nisi esset dominus, non posset ejus restitutionem condonare (nemo enim condonare potest, quod non est suum): atqui certum est posse condonare ejus restitutionem. Ergo etc. Hinc potest se infamare, dummodo non vergat damnum alterius, et ex aliqua justa causa. Si id ageret sine causa, peccaret contra caritatem sui ipsius, itaut si esset in re gravi, esset lethale. Et si esset cum damno alterius, peccaret contra justitiam, puta si adesset damnum suae Communitatis, vel familiae, vel si adesset scandalum.

Q. Utrum homo cadat sub dominio alterius hominis?

R. I. Jure Naturae non habet homo dominium in alterum hominem. Ratio est, quia omnes homines naturae conditione sunt pares, cum sint ejusdem naturae, ex eodem Parente, et ad eundem finem conditi, et quamvis quidam a natura sint magis apti ad imperandum, alii ad serviendum, nemo tamen natura est servus proprie, cujus signum est, quod in statu naturae integrae nulla futura fuisset servitus, quia servitus est poena peccati, Vid. *August.* lib. 19. de Civit. Dei Cap. 15. et Gregor. lib. 21. Moralium cap. 11. Jure tamen gentium, et civili potest quis effici servus, idque multis modis, ut infra dicemus, patet ex Script. Exod. 21., Levit. 25, Deut. 20. et 21., et Apost. 1. ad Corinth. c. 7. *Servus vocatus es? non sit tibi curae.* Unde constat etiam, Christianos posse esse servos non solum Gentilium, sed etiam Christianorum. Vid. Gratian. diss. 54.

Q. Num homo sit dominus vitae suae, et membrorum?

R. Minime, quia homo non est dominus vitae suae, et membrorum, sed simplex usuarius, dominium vero hominum est solum apud Deum. Vid. Sot. lib. 5. de just. q. 2. art. 3; patet ex Scriptura, Deut. 32. *Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus praeter me, ego occidam, et ego vivere faciam:* hoc est habeo jus, potestatemque occidendi: et Sapient. 16. *Tu es Domine, qui vitae, et mortis potestatem habes.*

Q. Quibus modis adquiritur dominium in servos, seu mancipia?

R. Quatuor modis, seu titulis, scilicet jure belli, nativitate, justa condemnatione, et emptione. De his modis, vid. Doctores juris civilis.

Digitized by Google

CAPUT IV.

De usufructu, Usu, et Habitatione

Hic loquimur de usufructu non conjuncto cum proprietate, sed sejuncto, itaut ad aliam personam rei proprietas, et ad aliam ususfructus pertineat. Hinc, si quis, relicta haereditate Titio, praedii usumfructum uxori legaverit, proprietas fundi ad Titium spectabit, ususfructus autem, idest plenum jus fructus omnes, seu natos, seu nascituros percipiendi ad uxorem, L. *Item si fundi* D. usufruct.

Q. Quid est ususfructus?

R. *Est jus alienis rebus utendi, fruendi, salva rerum substantia*, L. 1. D. de usufruct. Dicitur *jus*, quia non loquimur hic de usu actuali, sed ipso jure utendi, fruendi. Dicitur *utendi*, ut excludatur jus, quod habet creditor in pignore, vel hypotheca, vel depositarius in deposito; hi enim non possunt uti rebus illis, quod si utantur invito domino, tenentur ei restituere aestimationem usus. Dicitur *fruendi*, ut excludatur nudum jus utendi re aliqua, quod non extendit se ad fructus ejus percipiendos quod praestat ususfructus, quo non solum datur potestas utendi re illa, in qua constitutus est, puta in agro, domo, equo etc., sed etiam fruendi, hoc est percipiendi omnes fructus. L. 7. D. de usufruct., itaut hoc ipso, quo eos colligit, in eis plenum adquirat dominium, nam usus ad necessitatem, fruitio ad voluptatem, Vid. Senec. de vit. beat. cap. 10. Si tamen fructuarius priusquam fructus collegerit moriatur, adquiruntur domino proprietatis, non haeredibus fructuarii, L. 8. D. de ann. legat., quia extincta persona extinguitur etiam ususfructus, uti servitus personalis. Dicitur *rebus alienis*, ut excludatur jus utendi, et fruendi, quod quisque habet in re sua. Dicitur denique *salva rerum substantia*, quia fructarius debet rem integram proprietario reservare. Quo fit, quod ususfructus non possit constitui in rebus, quae usu consumuntur, ut in vino, oleo etc.

Q. Quaenam sunt obligationes fructuarii?

R. Plures esse I. Si habet usumfructum gregis, vel armenti, quamvis possit uti, frui lacte, lana, foetu etc., in locum tamen capitum demortuorum, vel inutilium, debet substituere a foetu alia capita; quae postquam substituerit, cedunt in dominium proprietarii, unde si pereunt, ipsi peribunt, §. *Sed si gregis* Instit tit. de rerum divis. Hoc tamen non habet locum quando conceditur usus, non gregis collectivae, sed animalium, seu singularum capitum, tunc enim non tenetur substituere, L. 70. D. de usufructu. II. Si ususfructus constitutus sit in silva, aut vinea, tenetur fructuarius loco arborum, vel vitium domortuarum alias serere, nisi vi tempestatis, vel simili casu essent eversae, quod enim fortuito perit absque culpa fructuarii, proprietario perit, L. 7. §. 2. L. 18. D. tit. eod. III. Si in aedibus constitutus sit ususfructus, tenetur ad modicam ejus reparationem propriis sumptibus, ut sarta tecta maneant; non tamen tenetur ad magnos sumptus, quibus efficiantur meliores. IV. Tenetur dare cautionem *se usurum, fruiturum arbitratu boni viri*, id est non deteriorem causam ususfructus redditurum, ceteraque facturum, quae in rem suam faceret, L. 1. §. 3. D. usufruct. quemad. cav.

Digitized by Google

Ceterum usufructuarius debet omnia solvere onera, et tributa, quae sunt fundo.

Q. Quomodo constituitur ususfructus ?

R. Variis modis, scilicet lege, pactionibus, stipulationibus, ultimis voluntatibus etc. Lege adquiritur ususfructus peculii adventitii, nempe pater usquedum filius manet sub patria potestate, habet usumfructum peculii adventitii, L. 6. C. de bon. quae lib. 1. Conjux si ad secunda vota transit, retinet solum usumfructum in bonis ex liberalitate conjugis relictis, L. 3. C. de secund. nupt. Quomodo adquiritur ususfructus per pacta, per stipulationes etc. vid. Perez. ad tit. de Servitut.

Q. Num aliquando constitui possit ususfructus in rebus quae usu consumuntur ?

R. Maxime, ut patet ex SCto. L. 2., L. 7. D. de usufr. ear. rer. etc., *quod* introduxit *quasi ususfructus* causa utilitatis. Et usumfructum istarum *rerum* puta vini, olei, frumenti etc. potest suo lubitu consumere usufructuarius, nec finito usufructu reddit idem corpus, sed aliud ejusdem generis, qualitatis, aestimationis etc. Tamen Senatusconsultum cavit, ut usufructuarius satisdet, se finito usufructu, vel tantumdem, vel aestimationem restituturum, dict. L. 7. D. eod. tit.

Q. Num possit quis nudum sibi competentem usumfructum in alterum transferre ?

R. Minime absque domini proprietarii consensu, §. 3. Instit. tit. de usufruct., itaut aliter irrita sit concessio, quia servitus personalis est, personae usufructuarii inhaerens. Verumtamen non prohibetur usufructuarius alteri cedere utilitatem seu commoditatem rei per donationem, venditionem, locationem etc. L. 13. §. de usufr., et L. 7. D. de jur. dot. Et in hoc casu usufructus remanet penes fructuarium, cujus nomine alter fructus ex fundo percipere potest, itaut mortuo usufructuario ille, in quem rei utilitas translata erat, desinit fructus percipere, et sic intelligendum est instrumentum venditionis, si forte vendatur usufructus.

Q. Quid si usufructuarius Religionem ingrediatur, et profiteatur, ad quem devolvitur usufructus ?

R. I. Si usufructuarius profiteatur in monasterio capaci bonorum immobilium in communi, et perpetuorum reddituum, usufructus devolvitur ad monasterium, quod contemplatione monachi frui poterit usufructu, quandiu hic vivit, Authent. *Ingressi* C. de Sacros. Eccl., et idem dicendum de legato annuo, ut sentit Sanchez, aliique. Quod si ante professionem alienare usumfructum velit, quoad commoditatem testando, legando, vendendo etc. poterit, sed dependenter a sua persona, scilicet eo tempore, quo ipse vivit, idemque dic de annuo legato. At si talis Religiosus ad aliud monasterium stabilium bonorum capax transferatur, secum transfertur etiam usufructus, quia hic sequitur personam. Laym.

R. II. Si usufructuarius profiteatur in Religione incapaci stabilium bonorum, ac reddituum, ut in Ordine PP. Minorum de observantia Cappucinorum, usufructus finitur, et cum proprietate consolidatur, quia usufructus est jus personae, at cum iste in hujusmodi ordine profitens, persona incapax evadit usufructus. Ergo etc.

Q. Quibus modis extinguitur ususfructus ?

Digitized by Google

R. Pluribus modis I. Morte usufructuarii: cum enim personale jus sit, ad heredem non transit. L. 3. §. ult. D. de usufr., L. 196. de reg. jur., nisi ex voluntate testatoris: quo quidem casu ad primum haeredem tantum pertinebit, L. *Antiquitas* C. de usufr. et si relictus sit usufructus Civitati, spatio centum annorum finitur, L. 56. D. de usufr. II. Per mortem civilem fructuarii. III. Non usu, hoc est utendo per legitimum tempus. L. penult. C. de usufr. et L. penult. C. de Usucap. transfor., ita tamen finitur usufructus non usu decennio inter praesentes, vicennio inter absentes in rebus immobilibus: non usu triennii tempore in rebus mobilibus. IV. Cessione, idest cessio ipsi rei fructuariae domino facta, §. 3. Instit. de usufr. V. Consolidatione, quae tum obtinet, cum fructuarius proprietatem adquirit, dict. §. 3. VI. Rei interitu, hoc est corporis, unde fructus percipiuntur, quia sicuti inhaeret corpori usufructus, ita cum ejus corpore interire debet. VII. Per lapsum temporis constituti (1).

De Usu et Habitatione

Q. Quid est usus?

R. *Est jus alienis rebus utendi salva earum substantia.* Ex definitione patet, quod usus definitur ad solam necessitatem quotidianam, neque habet locum abusus. L. 12. D. de usu. Hinc cui nudus usus horti, v. g. conces-

(1) Jure novissimo Cod. LL. Civ. usufructus est jus rebus alienis eadem ratione fruendi, qua dominus, salva earum substantia tum in materia, quam in forma: art. 503: ac proinde fructus omnes tam naturales, quam industriales, et civiles fructuario cedere, ut in Jure Romano aperte sancitur art. 507. 520., et 523.

Jamvero constituitur usufructus a Lege, vel ab Homine: art. 504: pure, sub conditione, et in diem: art. 505; necnon in immobilibus, aeque ac in rebus mobilibus: art. 506. Quare locum habet in rebus fungibilibus, ut pecunia, frumento, vino, oleo, vestibus, cautionis remedio confirmato, quo caveat usufructuarius, res ejusdem generis, quantitatis, et qualitatis, vel earum aestimationem cessante usufructu restituturum iri: art. 512. Pretium vero earum rerum, quae restitutioni sunt obnoxiae, tempus respicit, quo extinguitur, non vero illud, quo adquiritur usufructus: Delvincourt. (*v. 3. n. 14. pag. 113.*).

Praeterea usufructuarius satisdare debet se rebus alienis usurum, fruiturum boni viri arbitratu: art. 526. Parentibus tamen in filiorum bonis cautio remittitur, aeque ac venditoribus, et donantibus, qui sibi usufructum in rei venditae, vel donatae titulo reservarunt: art. cit. 526. Adhaec ne in formam quidem melierem, aut utiliorem rem fructuariam convertere potest. Quod si salva rei substantia impensas quamplurimas in ipsam fecerit, indemnitatem cessante usufructu a domino minime accipiet: art. 524. Tenetur quoque onera, et tributa solvere, art. 533; tum praedia reficere hactenus, ut sarta tecta habeat, non ut restituat, si corruerint: art. 532. Si vero ordinarias refectiones negligat, ad extraordinarias tunc adigatur: art. 530.

His adde quod in gregis usufructu ille debet in locum capitum defunctorum alia submittere: art. 541: et si agro fruatur, in locum demortuarum vitium, arborumve alias substituere: rei tamen, vel totius gregis interitu, ad nihilum tenetur: art. 541.

Tum in vestium, rerumque mobilium usufructu boni viri arbitratu fructuarius iis uti potest: finito usufructu illas restituere tenetur, uti erant, non autem deteriores redditas ob dolum, vel culpam: art. 514.

Tandem extinguitur usufructus morte naturali fructuarii, consolidatione, non usu spatio 30. ann., temporis lapsu, et interitu rei: art. 542.

Digitized by Google

sus sit, is non potest omnes fructus ex eo percipere, suoque arbitratu absumere, vel alienare, uti fructuarius, sed tantum potest in illo deambulare, poma, olera, et reliqua, quae ibi nascuntur ad suum, familiaeque suae, et hospitum quoque victum accipere. Porro qui nudum usum habet jumentorum, vel gregis ovium, vaccarum etc., non potest percipere pecorum foetus, lanam, lac etc., nisi modicum, L. 12. §. 2. D. de usu, quia haec potius inter fructus numerantur, §. 4. Instit. tit. de usu quam inter usus. Potest tantum uti ad usum, unde uti potest bobus, v. g. ad arandum, vehendum, jumento ad equitandum, grege ad stercorandum tantum agrum suum, L. *Plenum* D. de usu. Ad haec usuarius jus, quod habet, non potest alteri locare, vendere vel gratis concedere, uti usufructuarius. Vid. Vinnium ad tit. Instit. de usu, et habitat.

Dicitur *Salva eorum substantia*, ut cognoscatur obligatio usuarii non alienandi, non consumandi, non deteriorandi rem, sed conservandi, et integram retinendi. Hinc sequitur, quod usus non potest in iis rebus consistere, quae usu consumuntur, sive physice, sive moraliter, uti esculentis, pecunia etc., sed solum potest haberi in rebus usu non consumptibilibus, L. *Si tibi vini* D. eod. tit. (1).

Q. Quid est habitatio?

R. *Est quidam usus fructus earum aedium partium, quae habitationi destinatae sunt.* Ex sententia Justiniani in L. 13. C. de usufr. Habitationis servitus accedere potius videtur ad usumfructum, quam ad usum, ideoque posse legatarium legata habitatione, non solum habitare, sed etiam locare alteri habitationem cit. L. *Cum antiquitas* 12. C. de usufr., jure tamen ipso apud eum manente, cui habitatio constituta est, omnemque utilitatem aedium ad habitatorem pertinere, cit. L. 13.

Q. Quibus modis extinguitur habitatio?

R. Extinguitur iis modis, quibus finitur usufructus. Vid. si lubet, Voet ad tit. de usufr. (2).

CAPUT V.

De Servitutibus.

Q. Quid est servitus?

R. *Est jus in re aliena constitutum, quo dominus in re sua aliquid pati vel non facere tenetur in alterius utilitatem.* Ex definitione patet, quod res unius praestat commodum, vel utilitatem personae, vel praedio alterius; et hinc servitutes vel praediales, quae alio nomine vocantur reales, vel

(1) Jure novissimo Cod. LL. Civ. Titulus jus utendi constituens Usuario modum definit, quo rebus alienis utatur. Deficiente vero titulo, qui agri usum habet, is pro modo conditionis fructus sibi necessarios percipit, quo jure uti etiam potest ob supervenientiam liberorum post concessionem usus: art. 553. 554., et 555.

(2) Jure novissimo Cod. LL. Civ. cautum quod jus aedes alienas habitandi a titulo, quo constituitur, circumscribatur: art. 553. Hoc vero deficiente cum aedium usus relinquitur, usuarius potest quidem illas pro necessitate etiam cum ipsius familia habitare quamvis matrimonium post hujusce juris adquisitionem contraxerit: art. 557.

Digitized by Google

personales. Praediales serviunt praedio, personales servunt personae. De servitutibus personalibus, jam supra dictum est: superest, ut pauca verba faciamus de servitutibus realibus.

Q. Quaenam sunt species servitutum rusticarum?

R. Sunt plures: scilicet iter, actus, via, aquaeductus. *Iter* est jus eundi, ambulandi hominis, non etiam jumentum agendi, vel vehiculum princ. Instit. tit. de servitut. *Actus* est jus agendi, vel jumentum, vel vehiculum. *Via* est jus eundi, et agendi, et ambulandi, L. 7. D. de servitut. rust. praed. *Aquaeductus* est jus ducendi aquam per fundum alienum in nostrum, dict. pr. Inst.

Q. Quaenam sunt species servitutum urbanarum?

R. Sunt plures scilicet *oneris ferendi*, *tigni immittendi*, *projiciendi*, *protegendi*, *stillicidii*, *vel fluminis recipiendi*, *vel non recipiendi*, *altius tollendi*, *vel non tollendi*, *luminum*, *et ne luminibus officiatur*, *prospectus*, *et ne prospectui officiatur*: de quibus vide juris civilis Interpetres hanc materiam fuse tractantes.

Q. Quomodo adquirantur servitutes?

R. Pluribus modis 1. Per pacta, et stipulationes, pacta scilicet, apta ad jus transferendum, puta emptio, donatio etc. 2. Per testamentum, nempe si damnetur haeres, ne altius tollat in vicini utilitatem. 3. Per praescriptionem decem annorum inter praesentes, viginti vero inter absentes, L. ult. C. de praescript. long. temp.

Q. Quomodo extinguuntur servitutes?

R. Pluribus modis. 1. Consolidatione. L. 1. D. quemadm. servit. amitt. hoc est, si fiat dominus utriusque praedii, quia res sua non potest sibi servire. 2. Non usu, nempe, non utendo per decem annos inter praesentes, per viginti vero inter absentes, L. 18. §. 1. eod. tit. 3. Interitu alterius praedii, L. 14. D. eod. (1).

(1) Jure novissimo Cod. LL. Civ. servitutes omnes dumtaxat reales esse sancitum cum expresse cujuslibet servitutis in personas constitutio interdicatur: art. 607: idque sancitum, quippe quod quaevis canonum feudalium praestationes diserte prohibentur.

Jamvero servitutes constituuntur vel a Natura, vel a Lege, vel ab hominis voluntate: art. 561. A natura, praediorum enim situ evenit, ut alterum veluti servire natura alteri videatur: ex gr. aquae a praedio superiori effluentes in subjectum immittantur necesse est: art. 562. A Lege constituuntur etiam vel ob publicam utilitatem, ut prope flumina, quae transvectioni sunt apta, praediorum domini utrinque iter relinquant: art. 572: vel ob privatorum commodum, veluti servitus itineris, qua Lex dominum cogit in praedii vicini utilitatem, ut intercepta via pubblica aditum exhibeat, ut vicinus in praedium suum pergat, ita tamen ut certa agri pars designetur, ne grave damnum inferatur: art. 603; 604; et 605. A domino quisque enim in rebus suis servitutes imponere potest, dummodo legibus non adversentur: art. 607.

Quod vero spectat ad varias servitutum species tum rusticas, cum urbanas videsis *Cod. LL. Civ. Lib. II. Tit. IV. Cap. I. art. 562. et seq.*

Digitized by Google

CAPUT VI.

De Possessione

Q. Quid est possessio, et quotuplex?

R. Possessio dicta a positione sedium: L. 1. D. do adquirend., vel amittend. posses. *est rei corporalis animo sibi habendi detentio.* Duplex est: juris, et facti.

Q. Quid est possessio facti?

R. Est detentio rei corporis, et animi, et juris adminiculo. Dicitur *detentio rei*, quia ut res vel corporea, vel incorporea dicatur possideri necesse est, ut aliquo modo adprehendatur, et detineatur per possidentem, quia adprehensio est possessionis inceptio, et acquisitio uti advertit Covarruv. Dicitur *corporis*, quia ut rem possidere dicamur, debemus aliquo modo corporaliter apprehendere, puta manibus, pedibus, oculis, ut cum tangimus, aut cernimus rem, quo contactu, vel intuitu declaramur rei, quam tangimus, aut cernimus possessores. Dicitur *animi*, quia debemus eam adprehendere animo possidendi. Hinc depositarius non dicitur possidere depositum, quia non tangit, aut conservat depositum animo retinendi. Dicitur tandem *juris adminiculo*, quia non solum requiritur adprehensio corporalis ad rem possidendam, uti faciunt fures, sed requiritur etiam auctoritas juris, ut pacifice possimus rem retinere, et eam ab iis defendere, qui possessionem deturbare volunt.

Q. Quid est possessio juris?

R. Et jus insistendi rei, tamquam suae, non prohibitae possideri. Dicitur *jus*, ut excludatur possessio facti, quae formaliter est ipsa occupatio, et detentio, unde hoc oritur jus, si justa fuerit, quia si injusta fuerit, nullum ex ea in conscientia oritur jus. Dicitur *insistendi*, hoc est possessor potest pacifice rem tenere, et juris remediis, et interdum etiam armis se tueri adversus perturbantes. Dicitur *tamquam suae*, quia si quis insistat rei nomine alterius, non erit vera possessio. Hinc tutor non est possessor pupilli bonorum, quia illa uti sua non detinet, sed pupilli nomine, nam pupillus possidet per tutorem. Dicitur *non prohibitae possideri*, nam nemo contra juris dispositionem jus possidendi habere potest, seu resistente jure, puta rei sacrae, loci publici, rei sanctae etc.

Praeterea dividitur possessio in civilem, et naturalem. *Civilis* est detentio rei adminiculo solius animi, quamvis enim initio, ut possidere incipias requiratur adminiculum animi pariter, et corporis, postea tamen, ut retineas et continues possessionem, sufficit animus retinendi rem, desistendi a possessione. Vide Instit. tit. de Interdic. §. *Possidere*. Hinc vere possidet, qui corpore absens a rebus suis, eas tamen animo retinet, et occupat. *Naturalis* est ea, qua res corpore et animo simul occupatur, ut cum quis rem occupat de facto quam etiam retinere vult. Haec potest conjungi cum civili, nempe, si quis est praesens per se, vel per alium, rebus, quas civiliter possidet, dicitur que tunc possessor civiliter, et naturaliter possidere quae possessio est firmissima.

Q. Quomodo adquiratur possessio?

R Per adprehensionem veram, per adprehensionem fictam, vel per di-

Digitized by Google

spositionem legis. Adprehensio vera est ea, quae fit manibus, vel pedibus, haec est necessaria, quando adquirenda est possessio earum rerum, quae dominum non habent, puta ferarum, gemmarum, insularum etc... Item haereditatis relictae, quia domino caret, qui eam tradat, quando quis etiam clam, vel vi vult possidere, vera requiritur adprehensio. Adprehensio ficta habet locum quando res habet possessorem a quo tradatur, vel quando loco possessoris auctoritate Judicis traditur, puta si possessor tradat alteri, cui vult possessionem cedere, claves domus, in qua sunt merces tradendae, ita etiam traditae videntur trabes, si dominus, qui alienavit, eas signari sit passus; vide Covarruv. lib. 3. variar. cap. 16. num. 11., fuse disputantem de hisce fictionibus. Dispositione legum adquirimus possessionem sine ulla vera, vel ficta apprehensione, quia modus adquirendae, et amittendae possessionis juri humano subjacet, quod potest statuere varios modos, prout magis videtur expedire societati, puta in haereditate relicta a patre; in legatis etc., quae possessio vocatur a Doctoribus *civilissima*, quia fit sola civili potestate, absque ullo animi, vel corporis adminiculo, etiam nesciente eo, qui possidere incipit.

Q. Quaenam sunt privilegia possessionis?

R. Sunt multa. 1. Parit praescriptionem si possessor sit bonae fidei, de qua infra disputabimus. 2. In dubio facit conditionem possessoris meliorem; unde axioma illud: *in dubio melior conditio possidentis*. 3. Potest possessor armis suam possessionem non solum naturalem, sed etiam civilem tueri; L. 3. D. de vi, et vi arm., L. 1. C. unde vi, et cap. *Olim*. de restitut. spoliat. 4. Dat praesumptionem dominii, unde profluit illud Jcti: *Possessor non tenetur probare rem esse suam*. 5. Potest armis possessor expulsus suam repetere possessionem, modo id fiat confestim, et non ex intervallo: vid. Ulpian. ad Dict. L. 3. D. Alia privilegia oriuntur ex possessione de quibus vide Interp. jur. civ., et Gonzalez ad tit. de restit. spoliat.

Q. Quomodo amittitur possessio?

R. Variis modis, scilicet sola voluntate possessoris nolentis eam amplius possidere. Per furtum, rapinam etc. Per amissionem rei, vel per fugam, si sint animalia; puta si pecus aberraverit a grege, et nullo modo possit illam reperire, si gallinae, pavones avolaverint, et in hisce casibus amittitur possessio facti, sarta tecta remanente possessione juris (1).

(1) Jure Novissimo Cod. LL. Civ. possessio est detentio rei, vel juris. art. 2134, ac proinde in rebus corporalibus, aeque ac incorporalibus locum habet.

Saepe evenit, ut possessio cum rei proprietate adquiratur, quippe quod ille jus habet rem retinendi, eaque fruendi, cujus dominium ipsi adjudicetur: hinc a lege potestas datur rem possidendi per se, vel per alios.

Jam vero in facto possessio traditione rei adquiritur, de qua vide quae diximus pag. 48. h. l., tum Judicis sententia opus est, ut in absentium bona quis immittatur: art. 135.

Praeterea haereditas legitima ipso jure legitimis heredibus transmittitur: art. 930. Filii vero naturales conjux superstes, et Fiscus, cognita causa, et sententia interposita bonorum possessionem adquirunt: art. 686. Si vero haereditas mystica, aut holografa testamenti factione deferatur, tunc ipso jure pars legitima heredibus legitimis addicitur, reliqua vero decreto Judicis voluntariis heredibus adjudicatur: art. 932. 964.

Tum possessio justa, vel injusta esse potest, quarum altera habetur, si quis jure rem detineat, altera vero, si nullo jure possideat art. 475.

Digitized by Google

CAPUT VII.

De conjugum bonis.

Q. Quotuplicis generis sunt bona Conjugum?

R. Multiplicis generis, nempe dotalia, paraphernalia, antiphernalia, propria, et communia. *Dotalia* sunt ea, quae dantur a patre, vel ab uxore, vel ab alio extraneo nomine ipsius mariti ad onera ferenda matrimonii, hoc est, ad alendam uxorem, liberos, familiamque. *Paraphernalia*, seu extradotalia sunt omnia alia bona uxoris extra dotem, sic dicta a vocabulo graeco παρα, idest *extra*, et Φερνα, idest *dotem*, vid. L. 8. C. de pactis convent. *Antiphernalia* sunt bona, quae assignantur uxori a viro in compensationem reciprocam dotis. *Communia* sunt illa, quae proveniunt ex communibus bonis durante matrimonio. *Propria* sunt illa bona dotalia, quae quoad jus et usum sunt bona paraphernalia.

Q. Quinam habet proprietatem et usumfructum horum bonorum?

R. De bonis dotalibus ususfructus est penes maritum, usque dum durat matrimonium, patet ex L. 7. D. de jur. dot., ubi habetur: *Dotis fructum ad maritum pertinere debere, aequitas suggerit, cum enim ipse onera matrimonii subeat, aequum est, etiam fructus percipere.* Proprietas vero pertinet ad uxorem, L. 30. C. de jur. dot. L. 75. eod. quin mulier tacitam hypothecam habet in omnibus mariti bonis, donec sibi talia restituantur. L. *In rebus* 30. C. de jur. dot. et L. unic. C. de rei uxor. act., et soluto matrimonio per mortem viri omnibus aliis creditoribus, etiam anterioribus, praefertur, L. *Assiduis* 12. C. qui in pot. in pign. tamen dantur duo casus, in quibus dominium dotis pleno jure transit ad maritum. I. Si dos consistit in pecunia numerata, vel in aliis rebus usu consumptibilibus, tunc videtur *intervenire* quasi mutui contractus, ideoque maritus plenum dominium *recipit intervenire* huasi mutui contractus, ideoque maritus plenum dominium recipit ipsius pecuniae cum obligatione restituendi tantundem, soluto matrimonio, arg. L. 42. D. de jur. dot. II. Si tradatur viro dos aestimata; puta praedia, domus etc., quia per ejusmodi aestimationem res dotales viro quasi venduntur, ideoque maritus adquirit dominium ipsarum, et efficitur debitor pretii summae pecuniae taxatae, et soluto matrimonio potest retinere rem, et offerre, seu restituere pecuniam taxatam, L. *Quoties* 5. C. de jur. dot.

De bonis paraphernalibus proprietas, ususfructus, et administratio est penes uxorem, ideoque maritus sine ejus consensu nullo modo potest hujusmodi bonis se immiscere. L. 8. C. de pact. convent. Potest tamen uxor *horum* bonorum administrationem marito committere, quia sicuti seipsam *marito* committit, ita bonum, ac consultum est, res ejusdem pari arbitrio gubernari, ut ait JCtus in dict. L. 8. et mulier pro commissa de bonis paraphernalibus administratione marito habet etiam tacitam hypothecam in bonis mariti L. final. C. de pact. convent., licet ista hypotheca non sit

Postremo effectus possessionis sunt: Controversia exoriente qui anni spatio rem retinuerit, in illa eum perdurare cautum, nec alias probationes exhibere adigitur: art. 127. Cod. LL. rit. judic. Si bonae fidei fuerit, fructus percepti ipsi cedunt: art. 474: necnon eadem possessio causa evadit proprietatis adquirendae, si tempore a lege definito ad praescribendum protrahatur: art. 2168., et 2171.

Digitized by Google

privilegiata, uti hypotheca legalis pro dote, L. 12. C. qui pot. in pign., Card. de Luc. de dot. disc. 220. n. 2., et discur. 168. n. 21., quia de hoc privilegio non est cautum in jure, ideoque non sunt extendenda privilegia ultra expressa.

De bonis antiphernalibus dominium et ususfructus est penes maritum, quia ista bona dantur uxori in dotis securitatem. De bonis communibus medietas proprietatis spectat ad maritum, et medietas ad uxorem. Usus vero, et administratio spectat ad maritum.

Q. Num maritus teneatur ad restitutionem si consumat bona paraphernalia?

R. Si consumat sine ejus consensu, peccat, et ad restitutionem tenetur, quia revera rem usurpat alienam, nempe rem, quoad usum, et proprietatem uxori spectantem, patet etiam ex L. *Hac lege* C. de pact. convent., ubi habetur: *Hac lege decernimus, ut vir in his rebus, quae extra dotem mulier habet nullam uxore prohibente habeat communionem, nec aliquam, rei necessitatem imponat.* Si vero cum ejus consensu consumat, non peccat, nec ad restitutionem tenetur, modo alienatio sit justa, puta in reficiendis aedibus in alendis pueris, quia, si sit injusta, v. g. in vino, venere, ludo aliisque prodigis alienationibus, semper peccat, et ad restitutionem tenetur.

Q. Num teneatur ad restitutionem uxor, si dilapidat, consumat, vel surripit aliquid de bonis mariti?

R. Maxime, quia ipse revera usurpat rem alienam, idem dicendem, si alienat bona communia, arg. Reg. 19. Jur. in VI: *Non est sine culpa, qui rei, quae ad ipsum non pertinet, se immiscet,* quia veram injuriam, injustumque damnum attulit marito horum bonorum administrationem habenti.

Q. Num dentur casus, in quibus uxor surripit aliquid notabile de bonis communibus, vel dotalibus, et non peccat, et non tenetur ad restitutionem?

R. Maxime, et I. Est, quando surripit ad donationes remuneratorias, spectantes ad Maritum, quia habentur, tamquam debitorum solutiones. II. Quando surripit ad victum, aut vestitum juxta conditionem sui status. III. Quando accipit ad quamcumque veram familiae necessitatem, vel familiae malum avertendum. IV. Quando accipit ad moderatas eleemosynas V. Quando accipit ad succurrendum patri, vel matri, aut filio ex alio marito indigenti, sicuti etiam ad succurrendum fratri, vel sorori indigenti, modo remaneant necessaria marito, et familiae, quia in hisce casibus non est maritus irrationabiliter invitus. Si tamen notabile sit, quod hac de causa surripiatur, tenebitur mulier post mortem viri in suam dotem illud conferre. Idem dicendum de viro respectu uxoris.

Q. Quid est Dos, et quotuplex?

R. Dos civiliter, et juridice capta: *Est bonum in pecunia, seu in alia re mobili, vel immobili consistens, ab uxore, vel alio ejus nomine datum marito ad onera matrimonii sustinenda,* L. 1. D. de jure dotium.

Dos duplex est, scilicet profectitia, et adventitia. *Profectitia* est illa, quae a patre, vel ab alio ascendente paterno filiam in potestate habente, vel ab alio, intuitu tamen patris datur, L. 4. D. de jur. dot. et L. unic. C.

Digitized by Google

de rei uxor. act. *Adventitia* est illa, quae nec a patre, nec ab alio ascendente paterno, sed absque ullo patris intuitu datur, dict. L. unic. C. de rei uxor. act.

Q. Num mulier committendo adulterium, amittit dominium seu proprietatem dotis?

R. Maxime, et hoc dominium transit in maritum. Similiter amittit dominium donationis propter nuptias a marito propter ejus adulterium, nisi inter se reconciliati fuerint, L. 24. C. de jur. dot. L. *Consensus* §. *Si vero causam* C. de repud., cap., *Plerumque* de donat. int. vir. et uxor., ubi habetur: *Si mulier ob causam fornicationis judicio Ecclesiae, aut propria voluntate* (hoc est ob eandem causam) *a viro recesserit, nec reconciliata postea sit eidem, dotem, vel dotalitium repetere non valebit.* Hoc tamen intelligi debet post Judicis sententiam. Vid. Sanchez lib. 10. de Matrim., disp. 8. n. 12. et Laym. lib. 3. de Just. tract. cap. 3. n. 6.

Q. Quinam tenentur dotem conferre filiis legitimis, et naturalibus?

R. Primo loco tenetur Pater, ut patet ex L. ult. C. de dot. promissione, ubi habetur: *Neque enim Leges incognitae sunt, quibus cautum est, omnino paternum esse officium dotem, vel ante nuptias donationem pro sua dare progenie.* Tenetur etiam ad dotem, quamvis filia bona habeat adventitia, modo pater gravi inopia non laboret, dicta L. ult. C., quia tacite intelligitur dos promissa sponso, eo quod Pater non solum obligatur ad providendum filiae maritum, sed etiam ad dandam ei dotem, L. 19. D. de tit. nupt. Si Pater ob ejus inopiam non potest donare filiam, tenetur Avus paternus, arg. L. 7, D de jur. dot. Si postea nec Pater, nec Avus possint eam dotare, tenetur Mater dotare filiam. arg. L. 14. C. de jur. dot., ubi statuitur: *Neque mater pro filia dotem dare cogitur, nisi ex magna, et probabili causa, vel lege specialiter expressa.*

Not. Magna, et probabilis causa intelligi debet: si filia, et pater inopes *sint*, Mater autem dives, quia tunc Mater sicut alere tenetur filiam, ita et dotare. Dos enim succedit loco alimentorum. Vid. DD. ad titul. de jur. dot. Hinc. effatum illud Ictorum: *Pater principali nomine, Mater in subsidium convenire debet.*

Q. Quid dicendum si dissentiente Patre post aetatis annum vicesimum quintum, filia indigno nubat?

R. Inspecto quidem Jure civili ea in ispecie, Pater dotem filiae denegare non potest, Nov. 115. cap. 3., tamen in Regno nostro ejus aetate filiae indigno nubentes a Patre dotem petere nequeunt. Pragmatic. unic. tit. de matrim. a filiisfam. contrah. Indignus censetur ille Conjux, cui alter nubere absque dedecore juxta mores Civitatis non potest. argum. L. *Si adulterium cum incestu* ad Leg. Jul. de adulter., vel ille, qui est malorum morum, arg. L. *Sed ea* D. de spons. et L. *Nupta* C. de Nupt. (1).

(1) Jure novissimo Cod. LL. Civ. cautum quod rerum dotalium proprietas ad uxorem pertineat, illarum vero administrationem vir gerat, necnon usufructum ad sustinenda onera matrimonii percipiat: art. 1362, et 1375. Dominium quoque dotis nanciscitur, illiusque praetium dumtaxat, soluto matrimonio restituere tenetur, si illa in rebus mobilibus consistat, quae in contractu nuptiali fuerint aestimatae, vel si immobilia vir acceperit ea conditione, ut eorumdem proprietas sibi adjudicetur: art. 1364. et 1365.

Quod vero spectat ad pacta dotalia, sponsis potestatem facit Lex quasvis conven-

Digitized by Google

CAPUT VIII.

De Alimentis

Cum enim Pater tenetur dotem praestare filiis, ita etiam alimenta, ideoque non abs re erit, si pauca de alimentis subjungam.

Q. Quid venit sub nomine alimentorum?

R. Veniunt omnia illa, quae necessaria sunt, ad honestam, et congruam vitae substentationem, uti cibaria, vestiarium, et habitatio. Id demonstrat Jctus in L. 43. de verb. signif. *Verbo victus continentur, quae esui, potuique, cultuique corporis quaequae ad vivendum homini necessaria sunt.* Porro veniunt etiam expensae medicaminum requisitae ad alimentarii, hoc est personae, quae alenda est, sanandam infirmitatem, quia sine iisdem vix vivere posse praesumitur, L. 234. §. 2. D. de verb. sign.. Veniunt etiam expensae, quas Pater debet ad addiscendas artes honestas, et disciplinas juxta alimentarii conditionem, uti tenent DD. omnes.

Q. Quinam tenentur praestare alimenta?

R. Primo tenetur Pater, eo deficiente, Avus paternus, L. 6. D. de collat. bonor., tandem tenetur Mater, L. 6. D. de agnosc. liber. Praeterea si Pater sit Clericus tenetur prestare alimenta filio ex damnato et sacrilego complexu quamvis suscepto in sacerdotio, et si non habet patrimonium potest eum alere ex beneficii fructibus, tanquam pauperem. Abbas in cap. 1. n. 4. de cohabit. Cleric. et mulierum.

Q. Num teneatur pater filiis divitibus alimenta praestare?

R. Minime, non tenetur, quia alimenta liberis non debentur jure patriae potestatis, sed potius pietatis officio, quod habet locum, si filius pauper sit. Unde filiis divitibus, et quaerentibus industria, et labore victum, non debeatur alimenta, L. 5. §. 7. D. de agnosc., alend. lib. Ita etiam Doctores.

Q. Quibusnam filiis debentur alimenta?

R. Omnibus filiis, tam in potestate, quam extra potestatem, puta emancipatis, L. 6. §. *Si utrum* D. de lib. agnosc., adoptivis, L. penult. D. de adopt. naturalibus, seu e concubina susceptis, Auth. *Licet.* C. de naturalib. lib., et omnibus illegitimis. Vid. Covarr. de sponsal. part. 2. cap. 8.. Quin debetur etiam filiis adulterinis, uti rescripsit Coelest. III. in Cap. 5. de eo, qui dux. in matrim. etc. licet aliud videatur sentire Justinianus, N. 89. cap. ult., et Auth. *ex complexu* C. de incest. nupt.

Q. Num filii divites teneantur parentibus egenis alimenta praestare?

R. Maxime, quia sicuti parentes liberos, ita mutua vice liberi parentes alere Jure naturali tenentur, dict. L. 5. §. 1, Vid. Arist. Lib. 10. Ethic.

Q. Quid dicendum de filiis ingratis?

R. Pater his negare potest alimenta lautiora, non autem minuta, sine

tiones inter se inire, dummodo moribus non adversentur, vel potestati conjugali, quam vir in uxorem, filiosque habet utpote princeps familiae, derogent, nec demum juribus conjugi superstiti a Lege concessis non repugnent: art. 1342.

Denique art. 194. cautum patrem teneri filiae dotem constituere, hinc Avus paternus, Mater vero in subsidium.

Digitized by Google

quibus vivere non possunt, argum. Cap. *cum haberet*, de eo qui dux. et L. *quia liberis* D. de lib. agnosc.

Q. Num possit Pater negare alimenta filio excommunicato?

R. Minime, quia per excommunicationem non eximitur filius ab obsequiis jure naturali debitis, arg. Cap. *Inter alia* 31. de sentent. excom.

Q. Quid dicendum de fratribus?

R. Fratres locupletes tenentur alere sorores, vel fratres inopes, arg. L. 1. §. 2. D de jur. et rat. distrah., L. 12., et 13. D. de administ. et peric. tut. et L. 20. D. solut. matrim. Ita etiam Doctores communiter. Vide quae dicta sunt in Tractatu de praeceptis Decalogi cap. 5. (1).

LIBER II.

De Justitia, et Jure, ubi de restitutione agitur

PARS I.

De restitutione in genere

Restituere si vim nominis spectemus est in pristinum statum reponere.

Q. Quid est restitutio?

R. Est actus justitiae commutativae, quo res accepta domino redditur, vel reparatur ad aequalitatem damnum Proximo per injuriam illatum. Communiter.

Dicitur *actus justitiae commutativae*, quia restitutio aliud non est, quam damni dati restauratio. Restauratio autem fieri non potest, nisi quantum ablatum est, tantumdem reddatur, quod est proprium justitiae commutativae, quae servat aequalitatem arithmeticam, hoc est rei ad rem.

Dicitur *quo res accepta domino etc.*, quia finis restitutionis hic est, vel rem sive juste, sive injuste acceptam domino restituere, vel damnum Proximo illatum in bonis ejus reparare.

Q. Quaenam differentia intercedit inter restitutionem, et satisfactionem?

R. Haec profecto, quod omnis restitutio sit satisfactio, non vero e contrario. Restitutio est facienda secuto damno in bonis fortunae, satisfactio vero etiam damno non secuto in iisdem bonis. Hinc restitutio exhibetur pro damnis in bonis fortunae servando aequalitatem rei omni respectu praeciso,

(1) In Utriusque Siciliae Regno sancitum quod Jure Naturae jam constitutum, parentibus nempe onus inesse filiis alimenta praestandi: at primario tenetur pater, Jure Romano dictus princeps, et caput familiae, et praecipua liberorum causa (*L. 5. princ. §. 1. 10 ff. h. t.*), hinc avus, et proavus paternus, mater demum in subsidium: art. 193.

Filiorum autem nomine veniunt legitimi, et illegitimi, licet adulterio, incestu, aliave proscripta conjunctione procreati: art. 578. Avi tamen legitimis descendentibus dumtaxat alimenta praestare adiguntur.

Cum vero jura sint reciproca, filii Jure Naturae, aeque ac Civili debent parentes, nec non ulterioris gradus ascendentes, qui egeant, alere: art. 195. Tum fratres, et sorores germanis egentibus, vitioque corporis, vel mentis laborantibus alimenta praestent: art. 197.

Digitized by Google

satisfactio vero frequenter exhibetur pro damnis in honore, et fama, habito respectu ad personam offensam.

Q. Ex cujus laesione justitiae oritur obligatio restitutionis ?

R. Oritur ex justitiae commutativae laesione: quia restitutio intendit ponere aequalitatem inter rem acceptam cum aequalitate rei, quae reddenda est ; quod est proprium justitiae commutativae.

Q. Num datur casus, in quo obligatio restitutionis oritur etiam ex laesione justitiae distributivae, et legalis ?

R. Maxime, et est, quando justitia distributiva, vel legalis est conjuncta cum commutativa, uti si militibus strenue praeliantibus spolia inimicorum Dux promittat, et postea aliis distribuat, iste talis tenetur ex justitia distributiva, et commutativa etiam ratione promissionis acceptatae. Ita etiam tenetur ex justitia legali, et commutativa Judex, qui ex officio furta tenetur impedire, et non impedit.

CAPUT I.

De Injuria

Q. Quid est injuria ?

R. Est violatio juris alieni, et vocatur alio nomine *injustitia*. Nam sicuti per actum justitiae jus suum alteri tribuitur, ita per injustitiam hoc jus violatur: quae injuria censetur gravis, et mortalis, quando per se apta est parere tristitiam magnam, aut magnam animi aversionem, spectata communi hominum conditione.

Q. Quotuplex est injuria ?

R. Duplex est, scilicet materialis, et formalis. *Materialis* habetur, quando quis rem accipit, vel detinet, quam prudenter existimat esse suam. *Formalis* habetur, quando quis rem alienam accipit, vel detinet, cum sciat, vel scire possit, ac debeat non esse suam. Ita fere DD.

Q. Quaenam injuria requiritur ad restitutionis obligationem inducendam?

R. Tam materialis, quam formalis sufficit ad inducendam restitutionis obligationem, ita tamen, ut ex injuria materiali teneantur possessores bonae fidei ratione rei acceptae, si veniant in malam fidem: ex injuria formali teneantur malae fidei possessores ratione injustae acceptionis.

Not. I. Quod mensura restitutionis faciendae ob injuriam materialem tantum ratione rei alienae acceptae, ac possessae, est quantitas possessionis, hoc est, ut tantum restituas, quantum ex re aliena possides, vel inde locupletior factus es: mensura vero restitutionis faciendae ob injuriam formalem ratione injustae damnificationis, sive acceptionis debet esse quantitas alieni damni, ut nimirum tantum restituas, quantum damni alter passus est ex tua acceptione injusta, vel damnificatione.

II. Quod pro sola injuria, si nullum damnum illatum sit, restitutio facienda non est, quia sola injuria est objectum justitiae vindicativae, non vero commutativae, unde solummodo oriri debet restitutio. Idem dicendum, si fuit injuria volente, et consentiente eo, cui fit, nam scienti, et voluntarie consentienti nulla fit injuria, ex R. J. 27. in 5. quia statim ac, quis sciens

Digitized by Google

consentit in injuriam, quae infertur, cedit efficaciter juri suo, dummodo tamen jus suum sit abdicabile. Excipe tamen, si quis consentiat dolo, vi, metu injusto etc., quia non dicitur omnino voluntarie consentire.

CAPUT II.

De Culpa

Q. Quid est culpa, et quotuplex?

R. Est factum inconsultum, quo nocetur alteri. Duplex est theologica, et juridica. *Theologica* est peccatum mortale, vel veniale. *Jurjdiça* est omissio diligentiae, quam quis adhibere tenetur, ex qua omissione sequitur damnum, sive ea omissio fuerit culpabilis, sive inculpabilis theologice, et in conscientia apud Deum.

Q. Quotuplex est culpa juridica?

R. Triplex est, lata, levis, et levissima. *Lata* est omissio diligentiae, quam homines diligentes ejusdem professionis, et status adhibere solent *pro qualitate rei*, vel est non intelligere, quod omnes intelligunt, L. 213. §. 2. D. de verb. signif., uti si quis librum sibi commodatum relinquat in publico foro, vel non claudit fores in nocte. *Levis* est omissio diligentiae, quam diligentiores adhibere solent, uti si quis vestem sibi commodatam relinquat intra cubiculum, ostio non clauso. *Levissima* est omissio diligentiae, quam diligentissimi adhibere solent in rebus ejusdem momenti; uti si quis relinquat vestem apud se depositam in cubiculo, sed clausa janua, quam tamen manu non tentat, an bene clausa sit. Stampò.

Tamen advertendum, quod damnum ex alterius culpa illatum potest considerari in contractu, vel officio, vel extra contractum, et officium: contractus vel transfert dominium, vel non. Porro contractus vel cedit in favorem *dantis*, vel recipientis tantum, vel in utriusque utilitatem. Sed de his fuse in *Tractatu* de Contractibus.

CAPUT III.

De culpa, unde oritur obligatio restitutionis

Q. Ex qua culpa oritur obligatio restitutionis?

R. Obligationem restitutionis ratione damni illati extra contractum, vel officium oriri ex culpa theologica justitiae commutativae opposita, quae debet esse causa non solum affective, sed etiam effective, efficax, et influxiva damni irrogati. Hinc ex culpa contra Caritatem, Religionem, Pietatem etc. non oritur obligatio restitutionis. Ratio est, quia dum alteri damnum infertur per culpam theologicam, seu peccatum, damnum passus est rationabiliter invitus, et ipsi infertur injuria, ideoque damnum inferens tenetur injuriam compensare per restitutionem.

Hinc sequitur, quod ex damnificatione nullatenus peccaminosa, v. g. ob inconsiderationem, distractionem mentis, oblivionem prorsus involuntariam non oritur extra contractum, et officium, obligatio restitutionis, *quia rem, quae culpa caret, in damnum revocari non convenit*, Cap. 2. de Constit.

Digitized by Google

Dixi *extra contractum*, *et officium*, quia leges imponunt contrahentibus onus restitutionis, quoad damnum ex culpa mere juridica secutum, et contrahens statim ac quod contrahit, illud onus in se tacite suscipit, cum velit, et debeat contrahere secundum Leges. Unde damnificato debetur indemnitas, sive reparatio damni ex pacto sive explicito, sive implicito, licet damnum illatum non sit ipsi rationabiliter invito.

Q. Quid si culpa theologica sit levis, vel venialis?

Ante resp. dico, quod culpa venialis potest esse talis, vel ratione parvitatis materiae, seu ratione parvi damni illati, vel venialis ratione semiplenae advertentiae, deliberationis etc., etiamsi damnum secutum sit grave. His positis.

Resp. I. Vel agitur de culpa veniali ratione parvitatis materiae, et dico ex hujusmodi culpa obligationem oriri restitutionis sub veniali, quia non restituendo, privatur dominus re sibi debita, licet parva, ideoque infertur illi injuria sufficiens ad culpam venialem.

Vel agitur de culpa veniali ratione inadvertentiae, et dico nullam ex ea oriri obligationem restitutionis, nam non est simpliciter delictum, et injuria, quod procedit ex indeliberatione, et ex imperfecta advertentia, nempe potest dici, quod sciens, et volens laeserit jus alterius ille, qui agit ex imperfecta deliberatione. Deinde actus moralis indeliberatus non potest esse causa perfectae obligationis. Ita communiter. Intellige tamen si inadvertentia, et indeliberatio sit revera inculpabilis.

Nec obstat illud Gregorii IX. in Cap. ult. de injuriis, ubi dicit: *non excusari eum, cujus imperitia, vel negligentia damnum est datum sed solum eum qui ut non accideret (scilicet damnum) de contingentibus nihil omisit.* Nam respondetur, quod Pontifex ibi loquitur de culpa lata, quae est peccatum, nomine enim negligentiae, et imperitiae intelligitur peccatum, unde subjungit: *Nec ignorantiate excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere.* Quando vero dixit Pontifex, *illum non teneri, qui de contingentibus nihil omisit,* intelligendum est de iis contingentibus, quae prudens praevideret, non autem de omnibus, quia certum est neminem ex casu fortuito teneri.

At ne totum damnum innocens sentiat, nullum vero reus, rectius post *Vesquesium* sentiunt Cuniliatus, de Fulg. aliique DD., ex levi culpa oriri obligationem reparandi partem damni arbitrio prudentum definiendam.

Resp. II. Obligationem restitutionis ratione damni illati in contractu, vel officio oriri ex culpa juridica etiam sine peccato commissa, et ratio est, quia contrahentes statim ac contractus celebrant, volunt, et debent contrahere secundum leges, et obligationem sustinere, quam leges in contractibus apposuere. Leges praecipiunt reparationem damni, si ex sola culpa juridica absque theologica, seu peccato sequatur in contractibus, ut patet ex Jur. Civ., ideoque contrahentes tenentur ad damni reparationem, si sequatur ex sola eorum culpa juridica, Lessius, Layman, Stampò, aliique (1).

(1) Quaeritur an culpa venialis obliget ad restitutionem? Oportet distinguere: si culpa est venialis ratione parvitatis materiae, utique obligat ad restitutionem, sed non amplius, quam sub levi. Si autem culpa est venialis ratione imperfectae advertentiae, aut non pleni consensus (ambae conditiones sunt necessariae ad peccatum

Digitized by Google

Q. Num indistincte ex omni culpa oriatur obligatio restitutionis in quolibet contractu?

R. Minime, quia leges non exigunt eandem diligentiam in singulis quibusque contractibus, sed majorem, minoremve, prout contractus postulat, sive gravitas rei exigit. Sane, vel contractus solius dantis gratia initur, ille qui accipit rem tenetur tantum ex culpa lata, et dolo, quia justa ratio exigit, uti qui rem alterius detinet in gratiam proprii domini, non plus diligentiae, et custodiae adhibere teneatur, quam solent homines diligentes adhibere. L. 23. de Reg. Jur. Vel contractus cedit in utilitatem solius accipientis, is qui accipit tenetur ex omni culpa juridica, uti commodatarius in re commodata. L. 18. D. commod., nam ratio exigit, ut ille, qui gratis utitur re alterius in suam tutam utilitatem, maximam diligentiam adhibere debeat, ne pereat, vel deterior fiat. Vel contractus cedit in utilitatem utriusque contrahentis, uti locatio, emptio, venditio, pignus etc. uterque praestabit dolum, latam, et levem culpam, quia ratio suadet, ut rem, quae in commodum sui cedit, quis valde diligenter custodiat, ne pereat, vel deterior fiat.

Excipe Precarium; in eo enim illud accipiens tenetur solum de dolo, et culpa lata, L. 8. §. 3. D.de precar.. Precarium enim ad nutum domini potest repeti, et ex liberalitate descendit.

Q. Ex qua culpa juridica oritur obligatio restitutionis ratione damni illati in officio, puta Advocati, Procuratoris, Judicis, Consultoris, Medici etc, vel in arte, puta Architecti etc.

R. Ordinarie loquendo oriri ex culpa tantum lata, quia nemo tenetur in officio, vel professione, aut arte sua majorem adhibere diligentiam, quam solent adhibere diligentes ejusdem professionis, nec Civitas plus exigit.

Dixi, *ordinarie loquendo*, quia si quis horum mercedem accipit ex hujusmodi officiis, vel profiteatur se diligentiorem, vel peritiorem aliis ejusdem officii, vel artis, tenetur de culpa levi et si professus sit se diligentissimum; tenetur etiam de culpa levissima, quia sic profitendo, se obligavit implicite ad majorem, vel maximam diligentiam adhibendam, quam postea non adhibendo, tenetur de damno inde secuto. L. 11. D. de negot.

Not. Culpa, quae dicitur in hisce supradictis personis lata, esset levis in aliis extra officium, vel artem. Unde dici solet, quod hae dictae personae ex culpa levi teneantur ad restitutionem comparate ad alios, qui ex officio, vel arte non obligantur, quia negligentia, quae in privatis personis levis est, videtur lata, et gravis in iis, qui ex officio, vel arte negotia expendunt.

mortale ut dictum est *Tract. III. n. 24 et 26.*), tunc alii dicunt ut *Layman Mol. La-Croix*, etc. inducere obligationem restituendi tantum materiam levem pro modo culpae. Sed sententia communior, et probabilior *Lessii, Lugo, Sanch. Azor. Sa. P. Novar. Filliuc., Ronc., Viva*, et aliorum multorum tenet inducere nullam obligationem restitutionis, nec sub culpa gravi, nec levi. Ratio est: non sub culpa gravi quia talis obligatio proportionem non habet cum culpa levi: non sub levi, quia levis obligatio proportionem non habet cum materia gravi (sic ratiocinatur sapientissimus *Cardinalis de Lugo*, qui in decidendis dubiis investigare bene scivit rationes intrinsecas, quin aliquis sibi, ducatum praebuerit); tanto magis quod culpa quae perfecte non est deliberata, non potest inducere perfectam obligationem. *Ex S. Ligorio Tract. X. cap. III. Punct. 1. §. 40.*

Digitized by Google

Q. Num extra contractum, vel officium oriatur obligatio restitutionis pro damno illato ex culpa juridica ?

R. Oriri ex sola culpa lata, nisi constat illam prorsus fuisse inculpabilem, quia quisque ex justitia tenetur, ne alteri noceat, adhibere in actionibus suis eam diligentiam, quam adhibere solent diligentes et prudentes Viri. Unde si non adhibet, non facit id, ad quod ex justitia tenetur, et sic damnum inde secutum censetur et voluntarium, et justitiae commutativae oppositum, ac proinde compensandum. Vid. Less. in tract. de justit. et jur.

Q. An ille qui sine ulla causa aliquid fecit, vel dixit, ad quod nullum jus habet, et quod potest esse Proximo causa damni, teneatur illud impedire, quantum fieri potest, vel teneatur ad restitutionem damni, si non impediat ?

R. Maxime, quia quisque tenetur ex justitia curare, ne ex sua actione eveniat damnum proximo contra jus illius, adeoque tenetur impedire, ut malum ex sua actione imminens, vel jam secutum non eveniat, aut non perseveret, alioquin non impediens quantum commode potest, censetur causa moralis perseverantiae effectus a se positi, et damni secuti, ideoque ei imputatur ad restitutionem. Hinc qui inculpate res alienas incendit, tenetur quantum commode potest ignem extinguere, alioquin continuatio incendii erit ei voluntaria, et imputabilis ad culpam, ac proinde ad restitutionem, dummodo possit impedire sine graviori, vel aequali suo damno, quia aliter non tenetur ; nam multo minor est obligatio impediendi, quam non inferendi positive damnum, cum ipsum non oriatur ex injusta actione, vel laesione, adeoque non adest obligatio impediendi damni cum majori, vel cum aequali detrimento. Layman, aliique.

Q. Num tenetur ad restitutionem ille, qui merces alienas in mare abjicit, ne ipsemet cum nautis pereat ?

R. Non teneri ad restitutionem, quia, cum nec domino intulerit injuriam, nec rem alienam possidet, nullo ex capite potest adstringi ad restitutionem. Vide tamen L. 1. §. *Cum in eamdem* D. ad L. Rhod. de jactu, ubi secundum aequitatem naturalem decernitur jacturam ab omnibus Vectoribus praestandam secundum proportionem existimationis rerum, quas singuli in navi portant. Vide etiam locorum consuetudines, et art. 401., et seq. Cod. Commer.

Q. Num tenetur ad restitutionem ille, qui dans operam rei illicitae, est causa damni alterius, v. g. fur noctu domum alienam ingressus ad furandum, illam incendit ?

R. Maxime teneri, semper ac vel praevidit, aut praevidere potuit damnum inde secuturum, quia fuit injusta causa damni. Quod si non praevidit, nec potuit praevidere damnum secuturum, ita ut illud damnum casu omnino fortuito acciderit, non tenetur, quia damnum per accidens secutum, non imputatur ad culpam, et proinde nec ad poenam restitutionis, quod rarissime accidit in iis, qui dant operam rei illicitae, uti in fure etc. Antoine, Concina. Vide tamen de Fulg. C. II. Schol. III.

Q. Quo jure necessaria est Restitutio ?

R. Omni jure. Jure naturae, quia idem est alienum jus rapere, aut violare, ac nolle restituere. De Lege vero divina nulla potest esse dubitatio; non solum ob eamdem rationem, quia etiam divina lex alterum non laedere in Decalogo jubet, verum etiam expresse omnibus debita reddi imperat, *Lu-*

Digitized by Google

tae XXII. Reddite ergo quae sunt Caesaris, Caesari, et *Rom. XIII.* 17. *Reddite omnibus debita.* De Ecclesiastica autem lege celebre est illud Augustini *ep. CLIII. al. LIV. ad Macedon.* in Can. I. Caus. XIV. Q. 6. *Si res aliqua, non propter quam peccatum est, non redditur, poenitentia non agitur, sed simulatur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum nisi restituatur ablatum.* Denique de civili etiam Lege res est perspicua, cum totum civile Jus nihil aliud praecipiat, quam ut suum cuique servetur, aut restituatur.

Nota. Obligatio est solum de necessitate praecepti, non autem de necessitate medii; nam qui omittit restitutionem ob justam causam, puta impotentiae etc. non excluditur a Regno Coelorum, modo habeat constantem voluntatem restituendi, quando potest, vel quantum potest. *Quare si spectetur quoad animum restituendi, restitutio est necessaria necessitate medii ad salutem.*

Q. Num sit affirmativum, vel negativum praeceptum restitutionis?

R. Cum D. Thoma 2. 2. quaest. 62. art. 3. ad 1. Praeceptum de restitutione facienda, quamvis secundum formam sit affirmativum, implicat tamen in se negativum praeceptum, quo prohibemur rem alterius detinere. Tamen haec ratio praecepti negativi est quid primarium in praecepto restitutionis; primario enim prohibemur rem alienam retinere, tum deinde ex consequenti illam restituere jubemur. Quare obligat semper, et pro semper nam semper illicitum est rem alienam invito rationabiliter domino detinere.

Ex his sequitur 1. Praeceptum restitutionis obligat statim, quia qui cognoscit detinere rem alterius, statim debet habere animum restituendi, modo non excusatur ab aliqua justa causa. 2. Mortaliter peccat, qui potest facere restitutionem, et eam omittit, quinimo est in continuo statu peccati. 3. Negandam esse absolutionem poenitentibus, nisi firmum animum restituendi habeant.

Q. Quot peccata committit numero distincta morosus debitor?

R. Tot peccata numero distincta committit debitor culpabiliter morosus, quot sunt actus intentionis non restituendi moraliter interrupti, quod quidem certum est apud omnes. Hinc quasi communis sententia docet, tot hunc debitorem peccata committere numero diversa, quot ipsi occasiones opportunae restituendi occurrunt, idque praestare libere negligit. Hanc tamen diversitatem peccatorum physicam esse posse, quae unum in morali aestimatione conflet gravius peccatum; nam ille, qui occidere hostem decrevit, tot peccata physice multiplicat, quot vicibus arma sumit, propositum renovat, iter aggreditur, et haec peccata physice interrupta cum ad idem tendant, unum morale gravius crimen efficiunt.

Q. Quomodo interrumpantur istiusmodi actus moraliter?

R. Variae sunt Theologorum opiniones; sed dico toties haec peccata moraliter interrumpi quoties actus interni non restituendi deliberate repetuntur, aut exterius renoventur actus, puta aliena distrahendo, aut consumando, aut creditor debitum repetat, et postulando justa rejicitur, et tandem quando opportunitatem habent, et negligunt. Vide Suarez tom. 4. in 2. part. disput. 22.

Nota. Ejusmodi debitores ut possint manifestare Confessariis pravitatem status, et numerum, et gravitatem suorum peccatorum debent exponere

Digitized by Google

dilationis tempus, proposita repetita, occasiones contemptas restituendi, mala, damna, calamitates, quas passi sunt creditores ob injustam dilationem.

CAPUT IV.

De radice obligationis restituendi

Q. Quot sunt radices restitutionis?

R. Licet communius Theologi dicant, quod radices restitutionis duas sint, nimirum res accepta, et injusta acceptio, ad majorem tamen claritatem dico quatuor esse restitutionis radices, scilicet rem acceptam, injustam acceptionem, contractum, vel quasi contractum, et damnum illatum. Per rem autem acceptam intelligitur res aliena extans apud alium sine ejus culpa; per injustam vero acceptionem intelligitur quaevis injusta ablatio, aut detentio rei alienae. Possessores bonae fidei tenentur ex re accepta, quando veniunt in malam fidem. Possessores malae fidei tenentur ex injusta acceptione. Venditores, Depositarii etc. tenentur ex contrat:, Curatores, Tutores etc. ex quasi contractu. Incendiarii, homicidae, adulteri etc. tenentur ex damno illato.

CAPUT V.

De Possessore bonae, vel malae fidei, et quomodo tenentur ad restitutionem.

Possessor bonae fidei dicitur ille, qui inculpata conscientia detinet rem, credens esse suam, ex qua fructus percipit, L. 109. D. de verb. sign. Possessor vero malae fidei, est ille, qui rem alienam laesa conscientia possidet.

Q. Quaenam est differentia inter possessorem bonae, vel malae fidei?

R. Haec est: primus quando venit in malam fidem tenetur ad rem si extat, secus in id, in quo factus est ditior, quia nemo locupletari debet cum alterius injuria, vel jactura Reg. 48. Jur: in VI. Secundus tenetur ad rem si extat, et si non extat ad aequivalens, etiamsi in nihilo factus sit ditior. Primus non tenetur ad damna, secundus tenetur, primus potest uti beneficio praescriptionis, secundus vero non; primus tenetur servare se indemnem, secundus vero dominum.

Q. Quomodo tenetur possessor bonae fidei ad restitutionem, et quid tenetur restituere?

R. Possessor bonae fidei statim ac venit in malam fidem tenetur ad restitutionem, hoc est quando cognoscit rem, quam possidet, esse alienam, quia res clamat ad dominum. Dixi *statim*, quia si sit in mora culpabili, aequiparatur possessori malae fidei, adeoque omnes obligationes illius contrahit. Porro tenetur restituere rem cum fructibus, si extant, vel quatenus inde locupletior factus est, L. *Item*, §. *Praeter*. D. de petit. haeredit. At si res durante bona fide periit casu, vel culpa, nihil tenetur re-

Digitized by Google

stituere, etiamsi cognoscat postea illam fuisse alienam. Communiter (1).

Q. Quare tenetur ad rem si extat?

R. Quia possessor bonae fidei tenetur ad restitutionem ex re accepta, ideoque si res accepta non existat, illam restituere non tenetur.

Q. Quare tenetur ad id, in quo factus est ditior, quando res non extat?

R. Quia in eo incremento res aliena in virtute manet, L. *Item veniunt* 22. D. de petition. haeredit., nam non absumitur, quod in corpore patrimonii retinetur, sive in seipsa, sive in aequivalenti, L. *Idem servandum* 74. D. legat., et fideicommissis 3.

Q. Quando quis dicitur factus ditior?

R. Quando pepercit rebus suis: uti si quis consumpsit vestem alienam sibi donatam bona fide, valentem centum, et si eam non habuisset, consumpsisset vestem suam valentem quinquaginta, tenetur ad quinquaginta, quia in quinquaginta factus est ditior, sicut etiam, si quis ad coenam furtivam invitatus, cibos, et vinum optimum, ignorantia excusante absumpsit, veniendo in malum fidem, est obligatus domino solvere, quantum de suo domi erogasset, si de coena furtiva non percepisset.

Q. Quid dicendum, si vestis illa non fuisset donata, sed bona fide empta, vel ad coenam furtivam quis bona fide, sed solvendo justam suam portionem?

R. Quoad vestem possessorem bonae fidei ad nihil teneri, praeter ipsam vestem attritam restituendam, si adest: quoad coenam vero furtivam, etiam ad nihil teneri, quoniam uterque in nihilo factus est ditior, et proprium patrimonium auctum non est.

Q. Ad quid tenetur, qui bonae fide, seu per ignorantiam invincibilem contractum celebravit, quem postea usurarium esse intelligit?

R. Non plus teneri restituere, quam patrimonium suum auctum esse animadvertit, seu rebus suis peperci. Ubi dicendum etiam est, quod etsi aliquis rem, quam bona fide accepit, postea intelligat injuste (materiali scilicet injustitia) adquisitam esse, sd per ignorantiam invincibilem restituendi obligationem non animadvertat ideoque rem consumat, non amplius deinde restituere tenetur, quam exinde patrimonium suum auctum reperit.

Q. Quid dicendum de lucro cessante, et damno emergente, quod dominus patitur pro retentione rei suae in manu possessoris bonae fidei?

R. Ad lucrum cessans, et damnum emergens non teneri possessorem bonae fidei: ratio est, quia ipsi non est injusta causa horum damnorum, neque ex istis factus est ditor. Quin si alienam pecuniam bona fide possessam exposuit negotiationi, non tenetur restituere fructus ex ista perceptos, quia

(1) In utriusque Siciliae Regno Leges Romanae, quae tum fructuum perceptionem, tum bonae, vel malae fidei possessorem respiciunt, penitus confirmantur art. 477., et 488. Cod. LL. Civ. quibus cautum:

Possessor bonae fidei est qui rem alienam, ut dominus titulo ad dominium transferendum habili, cujus vitia ignorat, possidet. Is vero in mala fide constituitur cum dominus etiam conciliationis actione rem ipsam vindicat. Quamobrem possessor fructus omnes bona fide perceptos sibi vindicat: superveniente vero domino in mala fide constituitur, cumque omni in re jure careat, ad ipsam rem cum fructibus restituendam adigitur.

Digitized by Google

sunt industriales, L. 48. et L. 28. D. de rei vind., quamvis domino cessaverit lucrum.

Q. Num dantur casus, in quibus possessor bonae fidei teneatur restituere damnum emergens, et lucrum cessans?

R. Maxime, et sunt I. Si venerit in malam fidem, et est in mora culpabili restituendi; nam tunc aequiparatur possessori malae fidei, ideoque tenetur ad omnia damna, uti patet ex Can. *Si virgo* caus. 33. q. 1., et 2. II. Si institutus sit haeres universalis a possessore malae fidei; quia haeres defuncti personam repraesentat: minime vero, si institutus fuerit titulo legati, vel donationis etc. quia tunc non est haeres, sed legatarius etc. III. Si tertiae personae rem bona fide vendiderit, quae ex tali re reportat damnum, tunc enim possessor bonae fidei tenetur huic de damnis, et lucris, si res illa a domino evincatur, non ex re accepta, neque ex injusta acceptione, sed ratione evictionis. Layman, aliique.

Q. Ad quid tenetur, qui consumpsit vestem alienam valentem quinquaginta bona fide, et si eam non habuisset consumpsisset vestem suam valentem centum?

R. Teneri ad quinquaginta, tum quia dominus non debet reportare commodum ex restitutione, tum quia si consumpsisset vestem valentem centum, magis ornatus comparuisset.

Q. Num ad restitutionem teneatur, qui donavit vas argenteum alteri bona fide possessum, dato quod venia in malam fidem, et vas non potest haberi?

R. Vel donasset aliud vas, et dico teneri, quia factus est ditior, vel aliud non donasset, et dico non teneri, quia in nihilo dicitur factus ditior.

Q. An possessor bonae fidei, qui emit rem furtivam, veniendo in malam fidem, possit exigere pretium a proprio domino?

R. Maxime, quia non tenetur dominus rem suam emere. Hinc tale pretium non potest possessor bonae fidei exigere a domino rei, sed a venditore, contra quem ipse habet actionem. Vid. D. Thom. 2. 2. q. 62. art. 6.

Q. Ad quid tenetur malae fidei, et iniquus possessor, et damnificator injustus?

R. Teneri restituere rem alienam, et si perit, ejus aestimationem, una cum ejus incrementis, et fructibus, L. 22. C. de rei vind., non tantum perceptis, sed etiam iis, quos dominus verisimiliter percepisset, nisi ipsa res ablata, vel injuste detenta fuisset. Quin etiam fructus omnes consumptos, dict. L. 22. Porro tenetur ad damnum emergens, et lucrum cessans ratione injustae suae damnificationis, quia ipse fuit injusta horum damnorum causa.

Nota. Nos loquimur de possessore malae fidei stricte sumpto, scilicet, illo qui jam possidet rem alienam, sciens esse alienam, vel scire negligens tale jus sibi non competere, non autem de possessore malae fidei improprie, scilicet illo, qui possidet rem, postquam in causa judicium deducta est, et lis contestata, L. *Sed etsi* D. de petit. haeredit. Hic enim cum causam dubiam actori statim cedere obligatus non sit, si antea bona fide in possessione fuit, non tenetur, si causa cadit, nisi de fructibus post litis contestationem perceptis. L. *Ex diverso* D. de rei vind., vel de iis, quos negligentia sua percipere intermisit. Fructus vero perceptos ante litis contestationem restitue-

Digitized by Google

re debet, quatenus extant, L. *Certum* C. de rei vind., vel quatenus factus sit ditior.

Q. An possessor malae fidei teneatur ad restitutionem rei alienae, si periit apud se, quae si fuisset apud dominum etiam periisset?

R. Vel peritura erat apud dominum per alterius injuriam, v. g. furtum, rapinam etc., et dico teneri ad restitutionem, quia sicut alius faciendo injuriam teneretur restituere, ita et possessor malae fidei, qui praevenit furtum alterius, tenetur ipse integre resarcire damnum, cum ipse fuerit injusta causa damni totius. Vel peritura erat apud dominum casu fortuito, et videndum: vel res periit apud possessorem malae fidei dolo, vel injuria, quia vel consumpsit, alienavit, vel sua negligentia, et culpa amisit, et dico teneri ad restitutionem, quia ipse fuit injusta causa interitus, et destructionis rei, quae vere per injuriam detentoris periit, et proinde ratione injustae laesionis, statim contrahit obligationem restitutionis, quae subsequenti casu fortuito non extinguitur.

Vel res periit apud eundem malae fidei possessorem casu fortuito, et denuo videndum: vel periit apud se eodem casu fortuito absque sua culpa, et eodem tempore, quo peritura erat apud dominum, uti hostium incursione, Civitatis deflagratione, incendio etc., et dico non teneri, quia ordo justitiae petit solum, ne damnum alteri inferatur per injustam actionem, non vero quod res alterius in meliorem statum reducatur. Licet alii aliter sentiant, ea ducti ratione, quia Possessor ab initio injustae detentionis tenebatur restituere: hinc res sibi deperiit, non Domino. Vel periit apud se, sed non eodem modo, ac tempore, quo erat peritura apud dominum, et dico teneri, quia sibi imputare debet, quod rapuit alienum animo retinendi, et sic eam obligationem restituendi.

Ex his descendit. I. Quod si quis furetur aliquid de rebus, quas actu latrones furantur, tenetur ad restitutionem; quia sicut alii injuriam intulissent, et damnum rem hanc auferendo, ita et ipse, furtum praeveniendo, injuriam intulit, et damnum.

II. Si Titius una cum mercatore navi vectus frumentum ab eo furatus est, et absumpsit, et postero die ob ortam tempestatem, navis submersa est, ipsis salvis ex naufragio, tenetur ad restitutionem; quia semel contracta obligatio restituendi mercatori frumentum injuste ablatum, et absumptum subsequente fortuito eventu, non extinguitur.

Neque obstat L. ult. D. ad Legem Rhod. de jactu, ubi statuitur quod si quis navem conduxerit ad merces suas convehendas, ipse vero nauta, conductore invito, merces ejus in navem deteriorem transtulerit, in qua dictae merces perierint, teneatur illi de damno illato, si altera navis salva evaserit, sed non teneatur, si ambae naves ea navigatione perierint, quia aeque merces illius in priori navi conducta periisset.

Nam respondetur, quod in dicto Textu sermo non est de injusto possessore, vel voluntario damnificatore, qui rem alienam habet per injuriam, vel destruit, sicuti est in nostro casu. Neque dicas nullum damnum ea injuria est illatum domino, cum constet, eum ex casu fortuito non minus privandum fuisse re sua, quam si nulla fuisset ei illata injuria, ideoque nihil minus habeat, quam alias fuisset habiturus; ergo etc. Resp. denuo: da-

Digitized by Google

mum domino illatum est, spectato statu, in quo privatus fuit re sua per injuriam, cui per se obligatio restituendi adnexa est.

Q. Quid dicendum, si non sit omnino certum rem eodem casu fortuito perituram fuisse apud dominum?

R. Teneri ad restitutionem, quia in dubio melior est conditio innocentis, et domini possidentis jus rem suam recipiendi.

Q. Ad quid tenetur ille, qui rem alienam mala fide surripuit, quae melior futura erat, si ante augmentum consumat, v. g. furatus es pullum equinum, vitulum etc. incendisti segetes, vineam devastasti, tempore quo valebant quinquaginta, tempore vero collectionis valitura erant centum; quodnam pretium restituendum est?

R. Si dominus in priori statu consumpturus rem erat, minimeque ad meliorem servaturus, tunc teneris ad restitutionem secundum valorem quem habebat in priori statu, quia si dominus vendidisset vitulum in eo statu, in quo illum rapuisti, solum passus est damnum valoris quo in tali statu vitulus constabat. Intellige tamen, si fur statim pullum equinum vendidit: ast si vendidit tempore incrementi ejusdem, tantum restituere debet, quanti vendidit, detractis expensis, et laboribus. Si vero dominus servaturus res surreptas erat usque ad statum majoris pretii, teneris pretium solvere secundum valorem illum, quem haberent res reservatae usque ad statum meliorem, sed juxta Prudentum aestimationem.

Q. Quid si quis auferat rem alienam, quae incendio, vel alio casu peritura erat apud dominum, sed quia post elapsum periculum reddita domino non est, denuo periit apud dominum, num teneatur ejus valorem restituere?

R. Maxime teneri, quia res illa a periculo liberata ad dominum pertinebat, et sic statim ei reddenda erat, quare si reddita non fuit, injuria domino facta est per injustam detentionem, ex qua cum ortum fuerit damnum, ideo sine dubio compensandum. Concina.

Q. Num ille, qui posuit actionem, ex qua damnum obvenit alteri, teneatur illud restituere?

R. Vel actio est mala, et jam dictum est supra. Vel actio illa mala non est, sed utilis, et necessaria agenti licet periculosa et cujus actionis agendae jus habet agens, et dico non teneri ad restitutionem, modo debitam adhibuerit diligentiam ad damnum alterius praecavendum, *quia non videtur injuriam facere, qui utitur jure suo* cap. 31. de election; et ex L. 193. D. de Reg. Jur. habetur. *Nemo damnum facit, nisi qui id fecit, quod facere jus non habet.* Quod si debitam non adhibuerit diligentiam, tenetur ex justitia curare, ne ex sua actione damnum eveniat alteri, et Proximus jus habet, ne damnum ei inferatur sine justa causa. Idem dicendum, si jus non habebat ponendi actionem illam, licet non malam. Hinc si quis facit itinere foveam, lupi capiendi causa, tenetur de damno, si inde sequatur. L. 28. D. ad L. Aquil.

Q. Quid si quis actionem malam per se damnificativam posuit, sed dubitat num damnum sit secutum, necne, num teneatur ad restitutionem?

R. Teneri adhibere diligentiam, qua adhibita, et non deposito dubio, teneri juxta ratam dubii ad restitutionem, seu tantum tenetur restituere, quanti aestimatur certum subeundi damni periculum; quia sicuti fuit injusta causa periculi, quod alter subiit patiendo damnum, nec constat illum passum non

Digitized by Google

fuisse, sic iniquum est, ut innocens in tali dubio totum periculum subeat; et aliter immunis sit a tali obligatione. A fortiori idem dic, si damnum secutum certo est, sed dubitatur, num ex actione tua, vel mea. Idem dic etiam de omissione injusta alicujus actionis ex justitia debitae, si dubitetur, num damnum ex tali omissione secutum sit.

Q. An ille, qui solo exemplo movet efficaciter alium ad furandum, vel damnum inferendum, tenetur ad restitutionem in defectu principalis?

R. Maxime, si praeviderit damnum eventurum ex tali suo pravo exemplo; nam ponendo talem actionem malam, praevidens damnum secuturum, fecit Proximo injuriam, qui jus habebat, ne fieret talis actio cum damno suo. Quin iste, qui exemplo suo alium movit, vere fuit causa damni, et qui causam damni dat, damnum fecisse videtur, L. 30. D. ad Leg. Aquil., et cap. ult. de injur. Idem dicendum, si non praevidit, sed praevidere potuit, ac debuit. Ita Layman, Antoine.

Q. An ille, qui alterum suasione, aut exemplo ad peccandum induxit, tenetur ex justitia ad ejus emendationem?

R. Non teneri ex justitia, sed ex sola caritate, quia volenti, et consentienti nulla fit injuria; omne autem peccatum, sicuti voluntarie admittitur, ita et voluntarie eo perseveratur. Excipe tamen, si quis alterum fraude, dolo, vel metu ad peccatum induxerit, quia tunc tenetur ex justitia illum a peccato revocare, omniaque damna, si quae secuta sunt, compensare, quia laesit jus illius: ille enim jus strictum habebat, ne alter induceret se ad peccatum, per dolum, fraudem, aut metum cum damno suo spirituali, et temporali.

CAPUT VI.

De possessore dubiae fidei

Q. Quid est possessor dubiae fidei?

R. Est ille qui possidet rem cum dubio, et hoc dubium habebat vel ante possessionem, vel post adquisitam possessionem incoepit dubitare. Hinc si adquisivit rem cum dubia fide, vocatur possessor dubiae fidei antecedentis, si post adquisitam rem evenit dubium, et vocatur possessor dubiae fidei consequentis.

Q. Ad quid tenetur possessor dubiae fidei?

R. Vel est possessor dubiae fidei antecedentis, quatenus scilicet a persona de furtis suspecta emit, vel alio modo accepit, et dico, quod primo tenetur diligenter inquirere ad dubium deponendum, quod si post diligentem inquisitionem dubium deponere non poterit, utrum res sit aliena, necne, tenetur secundum dubii proportionem restituere ei, de quo dubitat, vel si incertus sit, pauperibus. Dixi *quod tenetur diligentiam adhibere ad dubium deponendum;* nam haec investigatio jure naturali exigitur, ut unicuique, quod suum est reddatur, et ne exponatur periculo rem retinendi alienam. Dixi, *quod dubio non deposito, tenetur ad restitutionem pro rata dubii,* quia huic non suffragatur sola possessio, quia est possessor dubiae fidei, ex altera vero parte, certus non est rem ad alterum pertinere, et e contrario dubitans habet aliquod jus in re ex titulo, v. g. emptionis, donationis, unde tenetur ad restitutionem, non integram, sed secundum ratam dubii.

Digitized by Google

Vel est possessor dubiae fidei consequentis, hoc est coepit possidere bona fide, et postea incidit in dubium, et dico, quod etiam tenetur ex justitia veritatem inquirere diligenter, uti supra dixi, et interim rem conservare una cum ejus fructibus, ut domino restituatur, si inveniatur. Sin vero diligenti facta inquisitione, adhuc dubium persistat, et dico quod possit rem retinere, quia in tali dubio melior est conditio possidentis, reg. 65. jur. in 5, nam possessor praeter ejus dubium utrinque aequale habet jus certum actualis possessionis, quodque jus attribuit ei possessionis.

Ex his dictis potest inferri I. Possessor dubiae fidei consequentis, dubio non deposito post diligentiam, sicuti potest rem retinere, ita et eandem potest vendere, et alienare, admonendo tamen emptorem de tali dubio, utpote de vitio rei, ut nimirum eam domino, si comparuerit, restituat, unde minoris vendenda est.

II. Possessor dubiae fidei consequentis, si adhibita diligentia, dubium non potuit deponere, et proinde rem retinuit, ac consumpsit, non tenetur ad restitutionem, nisi ejus, in quo factus est ditior; quia habetur uti possessor bonae fidei.

III. Possessor dubiae fidei consequentis tempore investigationis non potest uti re, vel fructibus rei. de qua dubitat, si res usu consumptibilis sit; quia frustra diligentia adhiberetur. Si vero res non est usu consumptibilis, uti potest, dummodo paratus sit solvere domino pretium usus, deductis expensis.

Ita sentiunt probabilistae, et nonnulli e probabilioribus: per alios vero probabiliores possessor dubiae fidei tenetur pro rata dubii ob sequentes rationes. I. Quia axioma illud *melior est conditio possidentis*, hoc sibi vult, possessorem nempe non posse e possessione exturbari, nisi rationes in contrarium appareant, nec teneri probare, non vero posse totam rem retinere. Nam aliter non melior, sed optima esset possidentis conditio. II. Quia ex consuetudine non est acceptum axioma in adversariorum sensu, quod patet ex praxi nostri Tribunalis, ex qua Judices decernere non solent, usque dum aliqua ratio non pateat, et ex Theologis, qui contrarium tenent. III. Quia si ita accipi deberet, possessor in dubio antecedenti teneretur totam rem restituere, cum hoc casu possessio stet pro domino; quia per ipsos adversarios possessio sic incepta est vitiosa, quod asserere non audent. Ergo non est axioma intelligendum, ut ipsi autumant, et propterea in dubio consequenti statuendum est, ut in antecedenti. Consectaria erga auctoris corrigenda sunt.

Q. Quid dicendum de possessore bonae fidei, qui occurrente dubio circa rei dominium, non exquirit diligenter veritatem?

R. Peccare graviter, supposita materia gravi, quod si postea certo cognoscat dominum verum rei, tenetur ei restituere rem, et fructus rei perceptos ex eo tempore, quo incepit dubitare, imo non solum perceptos, sed etiam quos dominus non percepisset, L. 4. C. unde vi. Quia ex eo tempore coepit esse possessor malae fidei, quia non inquirendo facit domino injuriam. De fructibus vero perceptis tempore bonae fidei, si praescripsit, nihil tenetur restituere, si non praescripsit, et extant, tenetur restituere, si consumpsit, id, in quo factus est ditior. At si, quia neglexit statim inquirere, nequeat postea veritatem invenire, tenetur restituere pro rata dubii, nam omit-

Digitized by Google

tendo diligentiam, fecit injuriam ei, de quo dubitabat, et aequiparatur possessori dubiae fidei antecedentis. Ita Lessius, Layman; aliique.

Q. Quid si quis dubitans, num res sit sua, eam abstulit a possessore bonae fidei?

R. Quod tenetur totam rem ei restituere, sicut possessor malae fidei, quia in dubio, et pari causa potior erat conditio possessoris bonae fidei.

Q. Quid si quis dubitans an res sit aliena, praeoccupavit illius possessionem a nemine occupatam?

R. Non comparente domino tenetur elargiri pauperibus, nam possessio capta cum dubia fide consulto non facit conditionem meliorem possidentis.

Q. Num peccet ille, qui cum dubia fide an res sit aliena, illam accipit titulo emptionis?

R. Vel accipit eam animo, ut sibi absolute retineat, et dico peccare contra justitiam juxta proportionem materiae graviter, vel leviter, nam se exponit periculo possidenti rem alienam invito domino. Vel accipit animo restituendi eam domino si inveniat post sufficientem diligentiam, et dico non peccare, quia sic domino praestat beneficium, dominus tamen non tenetur denuo solvere pretium rei suae, nisi in casu, negotium utile fuerit ei gestum ab emptore. Hic autem emptor tenetur de culpa lata tantum si res sic accepta pereat; nam tenetur tanquam depositarius illius rei. Vide quae dicta sunt de possess. dubiae fidei in Tractatu de conscientia, cap. 5. §. 3. (1).

CAPUT VII.

De Restitutione fructuum

Q. Quid venit sub nomine fructus?

R. Venit omnis utilitas, quae ex aliqua re colligi potest, deductis impensis, quae fieri debent.

Q. Quotuplicis generis sunt fructus?

R. Quatruplicis generis, scilicet naturales, industriales, mixti, et civiles. *Naturales* sunt illi, qui ex natura proveniunt, ut in fundo segetes, fructus, siliquae, uva, olea etc., in pecudibus lac, lana, foetus, pilus, §. 37. Instit. tit. de adq. rer. dom. *Industriales* sunt ii, qui ex sola humana industria proveniunt, puta lucrum ex negotiatione pecuniae, ex rerum venditione, ex artificioso usu alicujus instrumenti, etc. *Mixti* sunt ii, qui partim naturaliter, partim ex industria proveniunt, uti sunt fructus vinearum, segetes, vecturae navium etc. *Civiles* sunt redditus, qui ex certo iure alicui concesso secundum leges percipiuntur, sic pensiones urbanorum praediorum, usurae, quae post litem contestatam debentur, vecturae jumentorum

(1) Quaeritur: Ad quid teneatur qui emit rem a venditore cum dubio, an sit ejus, et deinde adhibita diligentia, veritatem detegere nequit? Aliqui dicunt teneri illum eam restituere, aut ei, cujus dubitat rem esse, aut pauperibus. Sed communius, et probabilius dicunt *Castropal. Lugo Less. et Salmant.*, pro rata dubii dividendam esse; nam ex una parte non potest tota retineri, dum nihil sibi prodest possessio dubia fide incepta; contra aequum non est obligare eum ad restituendum totum cum dubium sit, an illa res sit aliena, an sua. *Ex S. Ligorio Tract. X. Cap. III. Punct. IV. §. 80.*

Digitized by Google

pro fructibus accipiuntur, L. 29. D. de petit. haeredit. et L. 35. D. de usur. Praeterea fructus alii sunt *stantes*, seu *pendentes*, et sunt illi, qui adhuc rei coerent: alii *percepti*, et sunt illi, qui sunt separati a re, uti si spica sit caesa, vel olea excussa, L. 13. D. quib. mod. ususfr. Porro percepti dispescuntur in *extantes*, et sunt ii, qui licet sunt separati a solo, tamen extant apud eum, qui percepit, et in *consumptos*, et sunt ii, qui amplius non extant, vel ille, qui percepit usus est, vel illos in alium transtulerit, L. 3. C. de condict. ex leg.

Q. Num possessor bonae fidei, vel malae fidei teneatur ad fructus perceptos ex re aliena, vel percipiendos, vel pendentes?

R. Teneri ad fructus naturales, et mixtos in ea parte, qua sunt naturales, tum percipiendos, tum perceptos, demptis expensis, et aestimatione laboris L. *Fructus*. D. de rei vind. et L. *Ex diverso* D. eod. tit. quia sunt fructus rei, ideoque rem sequuntur. Dixi, *demptis expensis*, quia nemo debet locupletari cum aliena jactura, Reg. 28 Jur. in VI. Tamen non tenetur ad fructus industriae, ideoque personam sequuntur, quae industriam fecit: Ita ex communi. Layman.

Neque dicas, nullam differentiam intercedere inter possessorem bonae fidei, et malae fidei, nam habetur maxima differentia, quia possessor bonae fidei tenetur ad restitutionem praedictorum fructuum quando extant, aut factus est ditior, aut eos non praescripsit, secus ad nihil tenetur, possessor vero malae fidei semper tenetur ad restitutionem, et nunquam potest eos praescribere, L. 22. C. de rei vindic.

Q. Quid ad textum Justiniani in L. Fructus D. de usur. et L. 48. D. de adq. rer. dom., ubi: *fructus cum percepti, tum percipiendi, naturales, et mixti dantur possessori bonae fidei sine onere restitutionis, dato quod veniat in malam fidem?*

R. Hos Testus intelligendos esse, vel de foro externo civili, non autem conscientiae, vel intelligendos esse, quando possessor bonae fidei in nihilo factus est locupletior, tamquam illos alienaverit, vel consumpserit, quos si non habuisset, nihil alienasset.

Q. Quid si fructus reperiuntur consumpti, vel distracti?

R. Possessorem malae fidei semper teneri ad fructus naturales, et mixtos, demptis expensis, L. 22. C. de rei vind. quia cum ipsa fuerit injusta causa damni vero domino illati, illud debet domino compensare, possessorem vero bonae fidei, dico teneri ad illud, in quo factus est ditior, seu quantum rebus suis pepercit. L. *Et si* D. de petit. haeredit., et ratio est, quia natura aequum est, nemine alterius detrimento fieri locupletiorem, L. 14 D. de condict. indeb. Excipe tamen si hic possessor bonae fidei per triennalem possessionem, titulo accedente, illos fructus praescripserit.

Q. Num possessor malae fidei teneatur restituere fructus mere industriales?

R. Minime, quia non sunt fructus rei alienae, sed industriae propriae. Debet autem compensare omne lucrum cessans, et damnum emergens, quod passus est dominus ex ademptione rei suae, Cap. *Gravis* de restitut. spoliat. Hinc fur, qui seminavit alienum triticum in agro suo, non tenetur restituere fructus segetum, quia sunt industriales, et potius agri quam seminis et omnis fructus non jure seminis, sed jure soli percipitur, L. 25. D.

Digitized by Google

de usur. Verum hic fur tenetur compensare omnia damna, quae ratione sui furti sustinuit dominus, et omnia lucra, quae reportasset dominus idem si frumentum ei non fuisset ablatum.

Q. Num possessor bonae fidei teneatur restituere fructus, quos negligentia sua non percepit, licet percepisset dominus?

R. Minime, nam non tenetur dominum indemnem reddere, aut restituere in pristinum statum, cum illum a tali statu non detruserit culpabiliter. Hinc non tenetur nec lucrum cessans, nec damnum emergens compensare.

Q. Quid de illo, qui alterius frumentum in alium locum deportavit, et majori pretio vendidit, quo dominus non deportasset?

R. Augumentum non esse domino restituendum, quia est fructus industriae, ita D. Thomas, Layman, aliique; constare tamen certo debet, quod dominus non esset illuc deportaturus.

Q. Quid dicendum de fure, qui non percepit fructus ex re aliena, quos communiter alii percepissent?

R. Teneri, si dominus percepisset, quia unusquisque possessor malae fidei tenetur ad id, in quo dominus est damnificatus, L. 35. D. de rei vind.

Q. Quid dicendum de illo, qui possidet rem alienam mala fide, ex qua percepisset dominus fructus inhoneste, dato quod malae fidei possessor eos non perceperit?

R. Non teneri ad restitutionem, quia dominus rei non censendus est rationabiliter invitus. Lessius, Layman, aliique.

Q. Quid de illo, qui percepit fructus per peccatum ex re aliena, quos non percepisset dominus?

R. Teneri ad restitutionem, modo non sit lucrum mere industriale. Hinc possessor malae fidei tenetur restituere domino pretium perceptum ex locatione domus meretrici facta ad meretricandum, L. *Ancillarum* 30 D. de petit. haeredit.

CAPUT VIII.

De expensis a Possessore sive bonae sive malae fidei factis.

Q. Quotuplicis generis sunt expensae?

R. Triplicis generis, aliae dicuntur necessariae, aliae utiles, et aliae voluptuosae, seu voluntariae. *Necessariae* sunt illae, sine quibus non conservaretur res, vel deterioraretur, uti sunt animalium alimenta, refectio domus etc. *Utiles* sunt illae, quibus res pretiosior, vel utilior redditur, ut sunt plantatio arborum, fontes in agris etc. *Voluptuosae* sunt illae quae nec ad conservationem rei, nec ad augendos fructus requiruntur, sed tantum ad recreationem, et ornatum, uti sunt viridaria, picturae etc.

Nota. Industria, labor, incommodum in rebus conservandis, in fructibus colligendis, nomine expensarum veniunt, et hinc est, quod quando facienda est restitutio fructuum intelligi debet, deductis pretio operis laboris, et expensis, quae a domino fieri debuissent ad illos percipiendos ad conservationem rei, et ad ejus melioramenta, quibus rei valor domino crevit, L. 7. D. solut. matrim., quia his deductis, dominus non patitur damnum,

Digitized by Google

et reponitur aequalitas, et fructus non intelliguntur, nisi deductis expensis, L. *Fructus* D. solut. matrim.

Q. Num possessor sive bonae, sive malae fidei possit retinere expensas pro re aliena factas?

R. Posse retinere expensas utiles, et necessarias, quia non est aequitati consonum, quod dominus reportet lucrum ex restitutione, reportaret autem, si non detrahendae essent a restitutione expensae necessariae, et utiles. Ergo etc.

Q. Quid dicendum de expensis voluptuosis?

R. De rigore juris hujusmodi expensae deduci non possunt, neque retineri in rei alienae restitutione. Etenim dominus non est adstringendus solvere hujusmodi expensas nulla re urgente aut utilitate postulante factas, a quibus ipse abstinuisset. Sibi itaque imputet possessor praesertim malae fidei, quod domino inscio, et invito fecerit hujusmodi expensas, voluptati tantum indulgendi causa. Consule L. *Ex duobus* 18. *D.* de negot. gest. . At vero spectata naturali aequitate pro hujusmodi etiam expensis factis non videtur dubium quin possit juxta judicium viri prudentis aliquid retineri; quia semper valet plus res cum ornatu, quam sine ornatu. Ita Salmanticenses, Layman, aliique.

Q. Quid si res fuisset meliorata, vel conservata sine his expensis a proprio domino?

R. Possessori bonae fidei deberi expensas necessarias, et utiles, licet non fuissent a domino factae, quia possessor bonae fidei servandus est indemnis; possessori vero malae fidei non deberi, quia tenetur ad damna, et tenetur indemnem dominum servare quoad damna. Ita Layman.

Q. An expensae, quae excedunt fructus rei sint a domino restituendae?

R. Minime, quia istae in utilitatem domini non cedunt, neque ex ejus consensu fuerunt adhibitae. Ita Salmanticenses.

Q. An teneatur dominus rei tantum ad labores, et industriam, vel quanti valet melioratio?

R. Teneri tantum ad labores, et industriam, licet melioratio rei plus valeat, quia omnis melioratio rei ad dominum pertinet, et solum possessor potest deducere, quod consumpsit in ea servanda, aut melioranda, L. *In fundum* 39. D. de rei vindic.

CAPUT IX.

De concausis restitutionis

Q. Quot sunt concausae restitutionis?

R. Juxta D. Thomam 2. 2. qu. 62. art. 7. sunt novem, et continentur in his versiculis.

Jussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus,
Participans, Mutus, non obstans, non manifestans.

Q. Num omnes istae eodem modo concurrunt ad damna?

R. Minime; nam primae sex positive concurrunt, ultimae vero tres negative. Quae omnes tenentur ad restitutionem, quando efficaciter ad damnum concurrunt, et primae sex tenentur in solidum, quia cum restitutionis obligatio ex injusta acceptione, vel damnificatione proficiscatur, omnes qui

Digitized by Google

quolibet modo concausae sunt illius injustae acceptionis vel damnificationis, semper restitutionis onus contrahunt, quod patet etiam ex Prop 39. ab Innoc. XI. proscripta : *Qui alium movet, atque inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.*

Ratio autem est, quia quisque jus habet, ne ei quocumque modo directe, vel indirecte, immediate vel mediate damnum sine justa causa inferatur, et ut resarciatur injuste illatum, cap. ult. de injur. *Quare etiam concausae negativae tenentur in solidum, deficientibus aliis.*

Not. Primae sex concausae ideo dicuntur positivae, et directae, quia earum cooperandi modus importat actionem, et positivum influxum, et quidem priores quatuor modi important cooperationem moralem, duo alii physicam. Tres posteriores dicuntur negativae, quia eorum cooperandi modus importat negationem actionis, seu non impedimentum, quod praestandum esset, unde eveniet alteri damnum.

§. I. *De Mandante*

Sub nomine jussionis veniunt omnes, qui mandant ad inferendum alteri damnum, sive habeant potestatem imperandi, sive non, sive explicite, sive implicite mandant.

Q. Quid est mandatum et quotuplex?

R. Mandatum est contractus, quo quis gratis se obligat ad aliquod opus faciendum in gratiam alterius. Multiplex est, et I. dividitur in generale, et particulare. Primum est illud, quod extenditur ad omnia, praeter ad illicita, et ad ea, quae requirunt speciale mandatum. Secundum est illud, quod tantum ad quaedam determinate extenditur. II. Dividitur in expressum, ac tacitum. Primum consistit in dicto, secundum vero in facto, scilicet, signis, nutibus, aut aliqua loquendi formula, quae desiderium vindictae exprimat, uti si quis famulo, filio, aut alteri, qui ipsius imperio moveatur, dicat : *vindictam ex tali opto, aut vellem ut Titius inferret Cajo damnum*, L. 1. D. *mandat.*

Q. Quomodo expirat mandatum?

R. Multiplici modo I. Per revocationem mandatis II. Per renuntiationem mandatarii III. Per mortem mandantis, vel mandatarii IV. Per reconciliationem, si loquamur de mandato ad illicita (1).

Q. Num mandans teneatur ad damna revocato mandato?

R. Vel revocatio ante illatum damnum innotuit mandatario, et dico non teneri, quia culpa mandatarii videtur secutum damnum post revocationem. Vel non innotuit, et dico teneri, quia semper videtur damnum secutum vi mandati. Ita Salmantic., et Doctores omnes.

Q. Num mandans damnum proximi teneatur resarcire?

R. Maxime, et quidem primario, dummodo effectus sit secutus, et mandatum fuerit causa efficax illius damni, quia actio ex mandato facta tribuenda est magis mandanti, quam mandatario. Ita omnes.

Q. Num ad damna teneatur mandans, quae mandatarius intulit excedendo limites mandati, v. g. Titius jussit ut verberaret, et Cajus occidit?

(1) Isthaec omnia confirmantur Jure novissimo *Cod. LL. Civ.* Videsis *Tit. XIV. Cap. I. art. 1856., et seq.*

Digitized by Google

R. Vel mandatum erat periculosum, et mandans ex circumstantiis poterat praevidere majus damnum secuturum, seu excessum in executione mandati, v. g. praecepit verberationem inimici filio iracundo, et dico teneri quia tunc mandans censetur causa culpabilis talis damni, aut saltem dedisse sua culpa occasionem damno, uti aperte colligitur ex Cap. ultim. de homicidio, ubi haec habentur: *Is qui mandat aliquem verberare, licet expresse inhibeat ne occidatur nullatenus, vel membro aliquo mutiletur, irregularis efficitur, si mandatarius fines mandati excedens mutilet, vel occidat, cum mandans in culpa fuerit, et hoc evenire posse cogitare debuerit.* Vel mandatum erat periculosum, et mandans praevidere non potuit excessum, et dico non teneri, quia excessus, et damnum ejus provenit ex malitia mandatarii. Quod raro evenire solet in mandato damnificativo.

Q. Num mandans teneatur ad damna, si mandatarius revocationis oblitus mandatum exsequitur?

R. Maxime, quia semper vi mandati illata damna videntur. Ita Layman.

At mihi videtur, mandantem non teneri, si nec praevidit, nec praevidere potuit hujusmodi oblivionem, tunc enim ex sola mandatarii voluntate malum oritur.

Q. Num mandans reparare teneatur damnum, quando mandatarius exsequitur mandatum, eo quia reconciliationem mandantis fictam existimavit?

R. Non teneri, quando sufficientibus signis, et probationibus reconciliationem cum suo inimico, mandatario manifestavit, nam talis manifestatio est vera mandati revocatio, ideoque malitia mandatarii fuit mandatum executum.

Q. Num mandans teneatur ad restitutionem, quando dedit mandatum, v. g. ad occidendum, et si ipse non dedisset, dedisset alius?

R. Maxime teneri, quia licet, illo non jubente, adhuc damnum fuisset secutum, cum tamen in tale damnum mandans vere efficaciter influxerit, ipsi tanquam causae efficaci est imputandum.

Q. Quid dicendum si mandans nequeat revocare mandatum?

R. Mandans tenetur ex justitia monere laedendum, etiam cum aequali suo damno, ut sibi caveat, alias tenetur reparare damnum si antequam inferretur neglexit illud impedire, at si non potest absque suo graviori damno eum monere, excusatur a monitione, sed non excusabitur a restitutione damni illati; quia ipse fuit injusta causa damni. Ita Layman, Stampò.

Q. Quid si scias alterum paratum esse nomine tuo damnum inferre alteri, neque prohibeas, cum facile possis, num mandasse censearis, et tenearis ad restitutionem?

R. Vel alter scit, te malignum suum propositum cognitum habere, et non contradicere, et dico, quod taciturnitas tua consensus, et approbatio judicatur, per quam si ille moveatur ad facinus patrandum, de damno teneberis. Vel nescit, et dico, quod non teneberis ut mandans, sed ut non obstans, nam cum scias nomine tuo inferri damnum, teneris ex justitia impedire cum possis.

Q. Num qui ratum habet damnum suo nomine factum, teneatur ad restitutionem v. g. Pater ratum habet damnum factum a filio, dominus a servo?

Digitized by Google

R. Minime, si neque expresse, neque tacite mandaverit, quia talis nullus est causa damni, nam id quod posterius est tempore, non potest esse sufficiens causa effectus praecedentis. Illa vero Regula 10. Jur. in VI. *Ratihabitionem retrotrahi, et mandato non est dubium comparari*, intelligi debet praesertim de contractibus, qui alterius nescientis nomine celebrati, et a consensu ejus pendentes, subsequenti ratificatione confirmantur. Ratihabitio comparatur etiam mandato, quoad culpam, et poenam aliquam in jure expressam, uti est excommunicatio major contra ratam habentem percussionem Clerici suo nomine factam, Cap. *Cum quis* de sentent. excom. *in VI*, ut fusius suo loco dicetur, non autem quoad obligationem restituendi, nisi ea sit causa efficax, cur damnum inferatur, vehillatum non resarciatur. Ita Layman, Antoine, Stampò.

Q. Num mandans teneatur ad damna causata mandatario?

R. Vel mandans est superior, et dico teneri, quia quod subditus facit ex voluntate Superioris, non tam voluntarie, quam coacte facit, quia superioris imperium est quaedam vis moralis. Vel non est superior, et dico non teneri, quia mandatarius voluntarie se exponit illi periculo, ideoque non est ei illata injuria, nam volenti, et consentienti nulla fit injuria. Ita Salmantic., aliique. Quod verum est quando accepit stipendium, nam si gratis accepit mandatum, tenetur mandans ad damna, quod et colligi posse videtur ex Cap. *Cum pro causa* de procurat. Layman. Adverte; quaecumque damna evenere familiae mandatarii, resarcire tenetur mandans. Vide de Fulg. Cap. III. Prop. IV. Corol. 2.

§. II. *De Consulente*

Q. Quinam veniunt sub nomine consilii?

R. Veniunt omnes, qui consulunt, hortantur, rogant, vel instruunt ad damnum alteri inferendum. Praeterea, qui dirigunt, suadent, suggerunt motiva, et qui etiam precibus, promissionibus, adulationibus ad damnum inferendum inducunt.

Q. Quaenam differentia intercedit inter mandatum, et consilium?

R. Haec est, nam mandatum fit in gratiam mandantis, consilium vero in gratiam consulti. Porro ante damnum illatum, revocato mandato, mandans non tenetur ad restitutionem, quando revocatio innotuit mandatario, revocato tamen consilio, consulens ad restitutionem tenetur, etiamsi revocatio innotuit consulto, quia intellectus semel instructus difficile dimovetur, quando consilium consistebat in ostentatione utilitatis, vel delectationis inde percipiendae, vel modi exsequendi.

Q. Num consulens teneatur de damno secuto, si revocaverit consilium, et revocatio innotuit consulto, antequam damnum exsequeretur?

R. Vel consilium fuit falsum, aut innixum falsae doctrinae, v. g. quod talis contractus esset licitus, cum revera erat illicitus, vel consilium consistit precibus, blanditiis, aut promissis, et dico non teneri restituere, si demonstraverit consilii falsitatem, aut sibi displicere consilii consecutionem, propositum mutasse, et promissa revocare, quia tunc efficaciter tollit causam damni inferendi, et motionem a se impressam. Vel consilium consistit in ea ostentatione utilitatis, necessitatis, vel delectationis inde percipiendae, vel modi exsequendi, et dico teneri ad restitutionem, quia licet revocaverit

Digitized by Google

consilium, adhuc tamen censetur causa damni, quia non obstante revocatione, consilium remanet in motivo suggesto, vel via nocendi ostensa.

Et hinc est disparitas inter revocationem consilii, et mandati, nam revocatio hujusmodi consilii reliquit rationem agendi a consulente propositam, et motionem inde ortam in consulto, revocatio autem mandati tollit omnem rationem agendi a mandante propositam, scilicet mandantis voluntatem (1).

Q. At quid dicendum si contrariis, atque etiam efficacioribus rationibus conatus fuerit consulens revocare consultum a pravo consilio exsequendo?

R. Adhuc teneri consulentem ad reparandum damnum, si illud fuerit consecutum; nam priora motiva suggesta, et rationes sunt veluti quaedam semina in animo jacta, quae pergunt movere consultum, atque ad damnum inferendum inducunt. Concina autem cum pluribus, et forte probabilius tenet, quod si consulens modis omnibus conetur avertere consultum a malo consilio, non teneatur ad restitutionem, quia malum, quod sequitur est ex malitia consulti. Si consulens tamen nequeat avertere executorem a damno inferendo, tenetur ex justitia, ut sibi a malo caveat, monere laedendum.

Q. An male consulens teneatur ad damnum reparandum consulto illatum ob pravum consilium ex dolo, aut ex culpa?

R. Vel male consulit ex dolo, et tenetur resarcire: vel male consulit ex culpa juridica, et tunc si consulens est persona, quae ratione sui officii in ea re, quam suadet peritiam profitetur, puta Doctor, Advocatus Consiliarius etc. et dico teneri de culpa lata, et de levi, si accipiat stipendium, aut aliud commodum, sive privatum, sive pubblicum; quia isti tales dum peritiam praeseferunt, qua carent, statim decipiunt alios qui ipsorum consilium, aut auctoritatem per simplicitatem sequuntur. Neque excusantur ex eo, quod pravum consilium ortum fuerit ex ignorantia; nam ipsi ratione officii tenebantur scire, quae necessaria erant ad recta consilia praebenda, et ad errorem vitandum in respondendo. Vel non est talis persona, quae ratione sui officii tenetur scire ea, circa quae praestat consilium neque accipit stipendium sive privatum, sive publicum, et dico teneri de dolo tantum ex Reg. Jur. 62. in VI: *nullus ex consilio nisi fraudulentum*

(1) Quaeritur, an teneatur ad restitutionem consilium dans in dubio, an suum consilium fuerit, necne causa damni? Negant *Silvest, P. Navar, Rebell, Henriq. Salmant, Busemb, Elbel, Dicast.* etc. Et hujus opinionis videtur etiam *S. Thomas* qui dicit tunc tantum teneri consilium dantem, aut palponem *cum probabiliter aestimare potest quod ex hujusmodi causis fuerit injusta acceptio subsecuta;* et illud *probabiliter* facile intelligi potest de probabilitate pro una sola parte, ita ut constituat persuasionem moraliter certam. Ratio horum DD. est, quia nemini potest imponi obligatio certa restitutionis, nisi est certus se causam damni fuisse. Contra affirmant *Habert, Lugo, Sanch, La-Croix, Ronc.* etc., et dicunt in tali dubio possidere delictum, et praesumptionem quod ipse consilium dans fuerit causa damni. Hoc non obstante, non puto improbabilem primam sententiam, quia non semper, ut dicit ipse Angelicus loco citato, consilium in effectum operatur, *P. Concina* tenet consilium dantem in tali casu teneri pro rata dubii: Sed nos replicamus, quod nemo potest certa obligatione onerari, cum non fuit certa causa damni. Si tamen consilium dans jam fuit damni causa, ille tenetur restituere, licet non defuisset qui idem consilium fuisset daturus. Hoc vero quod dictum est circa consilium dantem dicitur de quolibet alio cooperatore in dubio suae cooperationis. *Ex S. Ligorio Tract. X. Cap. III. Punct. 2. §. 45.*

Digitized by Google

sit, obligatur, et ex L. *Consilii* 47. D. de Reg. Jur.: *Consilii non fraudulenti nulla obligatio est;* nam nemo prudens sequitur consilium istorum, nisi prius exploraverit, num expediat; unde si damnum sequatur, propriae imprudentiae tribuendum est.

Q. Num male consulens teneatur ex dolo tantum, an etiam ex culpa ad resarciendum damnum tertio illatum ratione sui pravi consilii?

R. Consulentem obligari damnificato saltem in defectum exequentis non tantum ex dolo, sed etiam ex culpa lata, et mortali; nam culpa lata in delictis aequiparatur dolo non in ordine ad poenam, sed damni reparationem; unde in L. 226. D. de verbor. oblig. habetur: *Magna negligentia culpa est magna: culpa dolus est.*

Nota. Ex his discant Professores omnes in consiliis dandis esse cautos, praesertim in materia justitiae. Quare, quando quis est interrogatus de rebus multum perplexis, non decretorie, sed caute respondeat, se ita sentire, aut sibi ita videri, at de cetero certam, atque exploratam sibi rem non esse, nam qui ita respondet, immunis erit a restitutione, quia consultus, qui tale consilium sequitur, propriae imprudentiae, secutum damnum imputare debet.

Q. Num ille, qui praestat consilium ad inferenda alteri damna, tenetur ad damna causata consulto in pravi consilii executione?

R. Vel consultus petit consilium, et tunc non teneri, quia sequens consilium sibi imputare debet damna inde secuta, nam poterat illud non facere, nec ad illud exequendum fuit coactus; semper tamen tenetur resarcire damna familiae consulti, si quae evenerint: vel consulens ultro debit consilium, et dico teneri ad omnia damna causata consulto, familiaeque ejusdem, nam ipse fuit causa efficax illorum.

Q. Num teneatur ad restitutionem, qui consulit minus malum ei, qui jam paratus erat ad majus inferendum?

R. Vel consulit, ut minus malum eidem inferatur, cui inferendum erat majus, et dico non teneri ad restitutionem, quia per hoc consilium gerit *negotium* utile illi, cui gravius damnum irrogandum erat, cum non consulat damnum, sed imminutionem damni. Vel consulit, ut minus malum inferatur, non eidem, cui majus erat inferendum, sed alteri, cui nullum sibi in animo proposuerat consultus damnum inferre, et dico teneri ad restitutionem, quia consilio suo est causa injusta damni alteri inferendi, ideoque huic infert injuriam; nam quivis innocens jus habet, ne sibi inferatur damnum, etiam ad avertendum majus alterius.

Hinc si quis consulat furi efficaciter parato auferre a Tito 100., ut auferat 50. a Cajo, de quo non cogitaverat, tenetur resarcire damnum Cajo *illatum* per tale suum consilium, quia licet commodum procuraverit Titio, *fecit* tamen cum detrimento Caji, cui tale detrimentum non provenisset, si *ipse sic* non consuluisset, ideoque tenetur ad ejus compensationem. Ita communiter. Consultius tamen, ut quisque se abstineat ab ejusmodi consiliis (1).

(1) Dubitatur an ille, qui paratus est damnum majus inferre, possit suaderi minus? Respondemus affirmando cum *Sanch.*, *Bonac.*, *Busemb.*, *Viva*, etc. modo damnum sit circa eandem personam, tum nequit suaderi damnum (licet minus) alteri particulari inferendum et aeque (ut ego sentio cum *Sporer* contra *Vivam*) in genere aliis, quia tunc consilium etiam sit causa damni alterius. *Ex S. Ligorio loc. cit.* § 47.

Digitized by Google

Q. Num teneatur ad restitutionem ille, qui parato jam ad damnum inferendum, suadeat, ut citius exequatur, v. g. parato occidere cras, suadeat, ut occidat hodie?

R. Vel intra illud tempus determinatum ad executionem nulla erat spes mutandi pravum propositum: et dico, quod consulens ad nihil tenetur; quia non est causa efficax damni, quoad substantiam. Vel aderat spes mutandi voluntatem, vel alicujus impedimenti ad damnum inferendum, ut ordinarie adest haec spes, quando congruum tempus interfuit inter consilium, et executionem, et dico, quod consulens teneatur ad damni substantiam, quia datum consilium non solum influit in accelerationem, sed in ipsam substantiam damnificationis. Nam executor potuisset mutare voluntatem, vel interea potuisset alia via impedire damnum. Consulens vero si in priori casu non tenetur ad restitutionem, peccavit tamen. Ita Stampò, aliique.

Q. Num ille, qui suo consilio reddit paratum jam ad malum inferendum animosiorem, vel in pravo proposito, quod habet, magis obfirmat, teneatur ad restitutionem?

R. Maxime teneri ad substantiam damni, quia ad hoc damnum suo consilio influit: a fortiori si suo consilio causa fuit, ut majus damnum inferretur. Ceterum pro consulente doctrina D. Thomae in 4. distinct. 33. art. 5. ad 3. habenda est prae oculis; nempe ut consulens teneatur ad restitutionem, requiruntur duo, scilicet, ut probabiliter saltem credat consilium suum fuisse efficax; et ut sine eo injusta damnificatio, vel ablatio non fuisset commissa.

Q. Quid si plures damnum alteri inferendum consulant, utrum teneantur ad restitutionem?

R. Omnes ex aequo teneri ad restitutionem, quia ex aequo ad damnum concurrunt.

§. III. *De Consentiente*

Q. Quinam veniunt sub nomine consensus.

R. Veniunt omnes, qui approbant efficaciter, vel dant suffragium ad inferendum alteri damnum, vel favorem, aut auctoritatem interponunt ad damnum alterius.

Q. Num istiusmodi consentientes teneantur ad restitutionem?

R. Maxime, si ex officio tenebantur non consentire, et damnum avertere poterant non consentiendo, nam isti omnes sunt vera causa efficax damni secuti ex suo suffragio. Hinc restitutioni obnoxii sunt, qui se subscribunt injustae liti, suffragium praebent ad bellum injustum, ad furtum, ad homicidium peragendum, ad ministrum indiguum eligendum etc. Praeterea, qui propter hominum metum suffragari omittunt in Senatu, ita ut non avertant damnum, quod avertere possunt.

Q. Num peccet, et teneatur ad restitutionem, qui ultimo loco subscribit, vel consentit iniquae sententiae, indignae electioni, postquam completus est numerus suffragantium?

R. Vel notitia hujus ultimi suffragii, eos, qui antea subscripserunt, animaverit, aut habuerit vim confirmandi vota, seu suffragia praecedentium, aut denique negatione hujus ultimi suffragii affulgebat spes revocandi so-

Digitized by Google

cior ab iniquo suffragio jam dato, vel impediendi damnum, et dico teneri ad restitutionem quia revera influxit in damnum, in primis casibus tanquam causa positiva, in tertia tanquam causa negativa, scilicet, mutus, aut non obstans. Vel sufficiens pars suffragantium irrevocabiliter subscripserit injustae sententiae, electioni etc. independenter ab ultimo suffragio, et dico, quod tunc, qui posterior subscribit, peccat quidem contra justitiam, cum injustitiae consentiat, sed probabilius ad restitutionem non tenetur, quia suffragium istius nullo modo influit in damnum, cum causa efficax ejusdem damni jam praecesserit, et posita fuerit ante suam suffragationem. D. Thomas, Cuniliati etc.

Dixi supra, *qui ultimo loco subscribit, et postquam completus est numerus*, nam si prior dedit, vel simul cum aliis ante complementum suffragiorum, votum suum, sicuti una cum aliis causa activa ferendae injustae sententiae, iniquae electionis etc. fuit, ita ad damnum resarciendum simul cum illis obligatur, nihil obstante, quod tametsi ille suffragatus non fuisset, eadem tamen sententia iniqua, injusta electio, idemque damnum secutum esset.

Q. Quid si injustum suffragium tulit ad damnificandum, ad injustam electionem, ignorans esse sufficientem numerum suffragiorum?

R. Teneri de damno, nam sponte voluit esse causa damni per injuriam contra justitiam, scilicet suffragando: ita etiam, si dubitat suo suffragio damnum intulisse, tenetur ad restitutionem pro rata dubii. Cuniliati.

§. IV. *De Palpone*

Q. Quinam veniunt sub nomine Palponis?

R. Venire omnes, qui laudatione, adulatione, vel vituperatione aliquem ad malum patrandum, aut conviciis, irrisionibus ad vindictam capiendam incitant, atque impellunt.

Q. Num ille, qui vituperatione, vel laudatione inducit alium ad inferendum Proximo damnum absque voluntate inducendi, ad restitutionem teneatur, secuto damno?

R. Teneri, quando verisimiliter attentis circumstantiis judicavit, vel judicare potuit, fore sequendum damnum, quia jam fuit in culpa, et fuit causa efficax damni. Ita communiter.

Q. Quid si talis adulatio non sit causa damni, eo quia adhibita fuit post commissam injustitiam?

R. Non adesse obligationem restitutionis; nisi forte alter hisce laudibus; vel vituperationibus ad novum damnum inferendum moveatur, puta ad aliud furtum, nocumentum etc., vel ad non restituendum id, quod jam furatus erat.

§. V. *De Receptatore*

Q. Quinam veniunt sub nomine recursus?

R. Venire omnes illi, qui furem, sicarium, aut alium malefactorem receptant, recipiunt, fovent maleficia, aut conservant praedam, aut occultant illorum personas, quibus malefactori praestatur securitas ad damnum inferendum, vel ad non resarciendum damnum illatum.

Digitized by Google

Q. Num tenentur ad restitutionem, qui praebent recursum, seu commoditatem ad damnum, vel non ad resarciendum illatum ?

R. Maxime tenentur, quia sunt cooperatores efficaces damni alterius. Hinc praebentes talem recursum, si ratione illius recursus, vel receptionis revera damnum sequatur, alias non seculturum, peccant graviter contra justitiam, et tenentur ad restitutionem, tales enim sunt verae causae actionis injustae. Ita communit. Per textum L. *Quo naufragium fit* 3. D. de incend. §. 3. ibi: *Non tantum autem, qui rapuit, verum is quoque, qui recipit, ex causis supra scriptis tenetur: quia receptatores non minus delinquunt, quam aggressores*, L. *qui vas* 48. D. de furt., L. *eos* 14. C. eod. tit., et Can. *Si res aliena* 1. causa 14. q. 6.

Q. Num ille, qui receptat furem cum praeda, ut periculum mortis fur effugiat, vel aliam poenam capitalem; teneatur ad restitutionem ?

R. Minime, modo praedam tradat domino proprio, si absque gravi incommodo potest, quia in casu videtur receptator materialis, et efficaciter non concurrit ad damnum. Concina.

Neque dicas, quod fur forte periculo elapsus, aliquando novum damnum sit aliis allaturus, nam respondetur, quod damnum illud est mere casuale respectu occultantis, et praeter ejus intentionem; illa enim actio per se solum ordinatur ad eripiendum illum miserum ex praesenti periculo vitae, vel poenae corporalis, secus tamen dicendum, si receptatio foveret illius rapinas, ut furem ita occultaret, ut spem refugii in posterum daret, quia fur fidens furta continuaret.

Q. An Magnates, qui vident suos famulos patrare plura delicta ob eorum protectionem, ad restitutionem teneantur, si non impediant ?

R. Maxime, quia sunt causa efficax damni. Quare tenentur ad restitutionem damnorum illatorum illi, qui non impediunt famulos, vel famulas damnificantes in confidentiam ipsorum, et ipsi hoc advertunt, et dissimulant. Communiter.

§. VI. *De Participante*

Q. Quinam veniunt sub nomine Participantis ?

R. Venire omnes, qui quolibet alio modo, praeter enumeratos, concurrunt positive ad damnum, sive immediate cum executore cooperando, sive mediate adjuvando.

Q. Quotupliciter quis dicitur participans ?

R. Dupliciter, vel quia participat in re injuste accepta, absque eo, quod participet in actione, qui tenetur tantum ad restitutionem rei acceptae quia quoad illam dumtaxat fecit injuriam domino, rem ejus injuste accipiendo. Vel quia participat in actione causativa damni, v. g. praebendo auxilium, instrumentum, operam etc., adjuvando ad executionem, vel explorando, qui certe tenetur resarcire damnum pro rata, et defectu aliorum tenetur ad totum, quia est injusta causa actionis damnosae, ideoque totius damni, L. *Vulgaris* 21. D. de furtis.

Hinc participantes dicuntur, et tenentur ad restitutionem, Usurarii Institores, seu factores, Tabellio conficiens instrumentum usurarium, testes illi scienter subscribentes in mutuatoris gratiam. Idem Faber, Ferrarius submi-

Digitized by Google

nistrans clavem ad furandum. Praeterea, qui scalam furi applicat, ac tenet, ita ut sine ipso furari non posset, sic et qui furem comitatur, eique assistit animi augendi causa, qui vigilem, et exploratorem agit, qui omnes etiam poenis furti tenentur, L. *In furti*, *L. Si pignore* D. de furtis, et ad restitutionem tenentur in solidum, etsi nihil praedae ad eos pervenerit, quia fuere causa efficax damni.

Q. Quotupliciter potest quis cooperari ad alterius damnum in actione?

R. Dupliciter, vel actione intrinsece mala, et ex natura sua injusta, ut si Christi fidelis a Turcis captus applicet ignem bombardis contra Christianos: vel actione non intrinsece mala, sed ex natura sua indifferenti, ut si Christifidelis a Turcis captus remiget contra Christianos.

Not. Habetur etiam tamquam intrinsece mala actio, si famulus gladium praebeat domino suo alterum occidere volenti. Item si quis teneat scalam ascendere volenti ad fornicandum aperiat januas clave furtiva etc.

Q. An ille, qui metu mortis, vel gravis damni asportat injustas militum praedas, ad restitutionem teneatur?

R. Maxime, quia ea translatio non videtur in eo eventu intrinsece mala, nec injuriosa dominis, cum praestetur ab illo causa evadendi majus malum sibi imminens, unde domini non censentur rationabiliter inviti de hujusmodi cooperatione in tali circumstantia adhibita. Communiter.

Q. Quid dicendum de illo, qui gravi metu coactus participavit in delicto, seu damnosa actione?

R. Si iste talis participaverit in actione intrinsece mala, tenetur ad restitutionem, quia culpabiliter, et efficaciter influit in damnum alterius, si vero solum participaverit in actione non intrinsece mala, sed indifferenti, et sibi timet verum, et grave malum, non tenetur ad restitutionem; quia sicut in tali casu excusatur a peccato, ita et a restitutione, cum in damnificatione illata extra contractum, et officium requiratur culpa theologica, *uti supra* ostensum fuit. Communiter.

Q. Quid si quis materialiter tantum participavit in actione damnificativa, eo quia damnificans per seipsum satis determinatus erat, et sufficiens ad damnum inferendum, et sine ipso participante damnum eodem modo inferret, v. g. furi furandi gratia ascendenti scalam teneat, quam et si nemo teneret, tamen eodem modo ascenderet, vel famulus usurarii, qui pecuniam usuris tradendam numerat, quam si ipse non numeraret, numeraret ipse dominus?

R. Quantum ad priorem casum multi excusant cooperantem a restitutione; quia cooperatio illa cum tantum materialis fuit, in effectum, seu in damnum formaliter non influxit, quia sine tali participatione damnum adhuc eodem modo secuturum fuisset. At probabilius est ipsum teneri ad restitutionem, quia parum, aut nihil refert, quod sine illo cooperante idem damnum esset illatum, dummodo tamen constat; quod illo cooperante damnum factum est. In posteriori vero casu communiter excusant a restitutione (licet peccent, nam cooperant peccato aliorum) quia cooperatio non tantum materialis est, sed remota, et de illa mutuatarius non est invitus. Hi tamen non excusarentur, si sine sui participatione damnum non fieret, non obstante, quod nisi participassent ipsi, non defuissent alii, qui adjuva-

Digitized by Google

rent ; nam tunc ipsi committerent culpam , et obligationem susciperent, quam commisissent , et suscepissent alii. Div. Antonius , Lessius , aliqui.

§. VII. *De Concausis negativis*

Q. Quinam veniunt per ly *mutus, non obstans, non manifestans ?*

R. Veniunt illi qui sine justa gravi causa non clamant, non impediunt, non manifestant , cum teneantur ex justitia ratione officii , muneris, vel contractus verbo, scripto, opere clamare, impedire , vel manifestare causa impediendi alterius damnum. Hujusmodi sunt Superiores , Principes , Duces belli, Magistratus, bonorum Administratores , Pater, Tutor, Curator , Famuli, Custodes etc.

Q. Quotuplici modo non impeditur damnum ?

R. Triplici modo. 1. Tacendo , id est non reprehendendo , non dissuadendo , non prohibendo, non clamando, cum quis ex justitia teneatur. 2. Non obstando, hoc est denegando, subsidium, custodiam, opem , vel operam ad impediendum damnum, cum quis ad id adstringatur ex justitia. 3. Non manifestando damnificatorem domino, sive ante damnum, ne fiat, sive post factum , ut compensetur , aut denique non monendo ipsum damnificatorem de obligatione restituendi , cum ex justitia aliquis teneatur. Illi ergo , qui ex justitia tenerentur clamare, et non clamant, obstare et non obstant , manifestare , et non manifestant , peccant contra justitiam , et ad restitutionem tenentur , quia censentur causa moralis, et injusta damni secuti.

Quare ad restitutionem tenentur Principes in suis terris non impedientes damna a feris illata, vel a latronibus. Item Assessores, Consiliarii, Canonici etc. qui videntes injustitiam, non loquuntur, vel sine justa causa se absentant. Item Gubernatores, Ministri pubblici, qui non impediunt ea damna , quae ex officio impedire tenerentur. Sic etiam Paterfamilias, tutor, curator administrator bonorum non impediens damna filiis, pupillis , minoribus Ecclesiis provenientia. Pariter custodes nemorum, vinearum, agrorum, qui damna non impediunt, vel facta non manifestant.

Q. Num ille qui videt damnum inferri Proximo, et non clamat ob odium, teneatur ad restitutionem ?

R. Minime, quia non tenetur ex officio, licet graviter peccat contra caritatem, et odium non est causa restitutionis, cum sit mere internum, sed injustitia commissa, quae exterius debet concurrere ad damnum alienum.

Q. An teneatur ad restitutionem ille , qui recipit aliquid a fure, ut non clamet, etiamsi non debet clamare ex officio ?

R. Maxime, et non solum quando accipit aliquid ex re furtiva, quia concurrit uti participans , sed etiam quando nihil accipiat de re furtiva , et ratio est, quia aliquid recipiendo, redditur fur animosior ad furandum, ideoque influit in furtum non solum tamquam causa negativa, sed etiam tamquam positive cooperans.

Q. Num servus , qui videt furari bona domini teneatur ad restitutionem, si non clamat causa furtum impediendi ?

R. Vel ille , qui furatur, est extraneus, et dico teneri, quia ex justitia unusquisque servus ratione famulatus obligatur ad tuenda bona domini ab

Digitized by Google

injuriis exterorum. Vel, qui furatur, est conservus, aut alius domesticus, et videndum: vel furatur ea, quae sibi sunt concredita, et dico teneri, quia ex officio, ac proinde ex justitia clamare tenetur, vel furatur ea, quae sibi non sunt concredita, et dico non teneri, quia iste talis non agit contra justitiam, sed tantum contra caritatem, quando potest commode clamando impedire, et non clamat. Ita Layman, Salmanticenses. Excipe, si hujusmodi fur velit fugam arripere, quia tunc habetur uti extraneus: etenim tunc probabilius, ne dicam certius, teneri existimandum est; nam domini in conductione famulorum implicite exigunt, ut famuli custodiam habeant omnium rerum suarum, qui omnes tenentur ex culpa lata, et levi.

Q. Num custodes saltuum, vectigalium etc. teneantur ad restitutionem damni, quod domini patiuntur: quia non accusant venatores, defraudatores, vel quia vectigalia exigere negligunt?

R. Maxime, quia ex vi officii tenentur talia damna impedire, uti tenent communiter DD. omnes.

Q. An praedicti custodes non tantum teneantur ad restitutionem damni, quod domini patiuntur, sed etiam poenae, quam delinquentes solvissent, si ab ipsis accusati fuissent?

R. Minime, quia isti tales non tenentur ex justitia reos accusare, sed solum impedire, ne damna sequantur. Porro reus tenetur solvere poenam post Judicis sententiam. Hinc dominus ad illam non habet jus ante talem sententiam, ideoque non facit illi injuriam custos, non accusando, ut talis mulctae, seu poenae solvantur. Ita Salmantic, aliique. At si custos a reo deprehenso negligat exigere mulctam, quam secundum legem, vel consuetudinem loci ex officio suo exigere deberet, et tunc exigere negligat, ad restitutionem tenetur, nam hoc casu jus magis propinquum domino, vel Fisco adquisitum est, ideoque Officialis, et Custos ex officio suo illud exequi tenetur.

Q. Num ille, qui tradit aliquid custodibus, ne manifestetur, ad restitutionem teneatur?

R. Maxime, quia inducens aliquem ad peccatum, reus ejusdem peccati est, ad quod inducit. Ex quo fit, ut teneatur ad restitutionem in defectu custodis non restituentis, quoties custos tenetur ad restitutionem, non manifestando delinquentes. Ita communiter: *verum cum res apud ipsum extat, ipse primo loco tenetur.*

Q. Num ille, qui ad testificandum a Judice vocatus fuga, vel tergiversatione aliqua declinat a testimonio reddendo, vel negative se habens circa factum, dicat nescire, cum revera sciat, licet legitime interrogatus sit, teneatur ad restitutionem damni, quod ex intermissione sui testimonii Proximo evenit?

R. Si testis prout in casu a Judice vocatus, et interrogatus, fuga, silentio, vel tergiversatione declinet, dissimulat, veritatem celat, obligatur ad restitutionem damni ex intermissione sui testimonii parti innocenti, vel laesae obvenientis, quia in tali casu testis dissimulans, tacens veritatem peccat contra justitiam legalem conjunctam cum justitia commutativa, cum pars laesa, vel innocens habeat jus cogendi ipsum ad dicendum veritatem, cum quisque de communitate, jus habeat, ut legitima Potestas ei in damno accepto succurrat; et potestas non potest succurrere, nisi per testes: hinc

Digitized by Google

sicut tenetur Potestas, ita, et testes, qui sunt communitatis partes etsi alii aliter sentiant, immerito tamen. Si vero testis contra Proximum falsum testimonium proferat, multo magis teneri ad restitutionem damni secuti; talis enim falsum dicendo cum damno tertii peccat contra justitiam, adeoque onus restitutionis incurrit. Ita communiter. Quin si grave damnum tertiae personae interveniat, falsum deponens *juridice* in Dioecesi Neapolitana incurrit Casum reservatum cum excommunicatione.

Q. Num Judex in exequenda causa, vel proferenda sententia negligens, vel ignorans, tenetur ad restitutionem damni?

R. Teneri restituere damnum non solum parti laesae officium ejus requirenti, quia sua omissione in damnum influxit, sed etiam Fisco, vel Principi, vel Communitati, si poenam pecuniarum quam ex consuetudine, vel jure communi probato delicto imponere debeat reo, non imponit, vel sine causa intermisit. Dixi *probato delicto*, nam antea si negligat, non tenetur ad restitutionem, quia Fiscus, Princeps etc., nondum adquisivit jus proximum ad illam poenam, sicuti adquisivit probato delicto.

Q. Quid dicendum de Confessario, qui deobligat poenitentem ab onere restitutionis?

R. Si confessarius ex ignorantia crassa, seu ex malitia positive deobligat poenitentem a restitutione, quando ad eam tenetur, vel ipsum obligat quando non tenetur, vel positive suadet aliquem contractum esse justum, quando revera est injustus, usuariusque, in hac hypothesi ipse tenetur ad restitutionem, quia in tali casu Confessarius fuit injusta, et efficax causa dicti damni, ideoque tenetur ipsum compensare, et reparare. Si vero Confessarius non positive deobligat poenitentem a restitutione, sed solum negative, in quantum ex negligentia, sive ignorantia crassa, verecundia, vel metu taceat, nec injungat poenitenti restitutionem faciendam, tunc ad nullam obligatur restitutionem, quia Confessarius tenetur ex caritate prospicere bono poenitentis, ideoque tacendo non peccat contra justitiam. Ita communit. *Verum si Confessarius sit Parochus, juxta nonnullos, obligatur ad restitutionem, cum ex officio seu ex justitia teneatur.*

CAPUT X.

De Ordine restitutionis, quoad concausas

Singulae concausae damnificantes, puta mandans, mandatarius, consulens, consentiens, laudans, receptans, participans: quae sunt positivae, restituere debent secundum proportionem influxus, ita ut teneatur ad restitutionem totius damni, si fuerunt causa totius damni, partis vero, si solum partis causa fuere: nam quisque tenetur resarcire damnum, cujus causa injusta fuit.

In restitutione facienda, alii tenentur primo loco: alii secundo loco. Ille dicitur teneri primo loco ad restitutionem qui sic ad eam tenetur, ut ipso restituente, ceteri nihil debeant, quippe qui a restitutione fiant liberi, et alteri restituenti ipse totum reddere teneatur. Ille vero dicitur secundo loco teneri, quo restituente, ceteri, excepto primo, fiant immunes, et sic de ceteris. His praemissis.

Digitized by Google

Q. Quo ordine concausae tenentur restituere?

R. Si restitutio facienda est actionis lucrativae ratione, v. g. furti, rapinae etc. primo tenetur ille ad restitutionem apud quem res extat, sive sit mandans, sive executor, sive alius ex concausis, et si res consumpta est, tenetur ad totius rei aestimationem si mala, vel dubia fide consumpsit; si vero bona fide possidens consumpsit, tenetur ad id, in quo factus est ditior: deficiente illo, apud quem res extat, tenentur ceterae concausae ordine suo, nempe primo mandans etc. Si restitutio facienda est ratione actionis damnificativae tantum, v. g. homicidii, incendii etc. primo loco tenetur mandans; secundo loco executur; quia post mandantem est causa principalis, tertio loco reliquae concausae positivae; quarto loco concausae negativae.

Q. Num cooperantes ad damnum teneantur singuli ad restitutionem in solidum, vel pro rata?

Ante respons. sciendum, quod restitutio in solidum, seu in integrum idem est, ac integra reparatio totius damni illati. Hinc ad restitutionem in solidum dicuntur obligari ii, qui non partem solum damni, sed damnum totum resarcire debent. His dictis.

Resp. I. Cooperantes ad damnum alterius, si cooperati sunt ad illud ex conspiratione, hoc est, communi consilio, opera, auxilio, domum, vineam, agrum spoliarunt, gregem abegerunt, aedes incenderunt, aut unus praebuit aliis instrumenta, v. g. claves, arma, scalas etc., tunc singuli tenentur in solidum, nam singuli in totum damnum influxerunt communi conspiratione, opera, auxilio, et reipsa actio damnosa fuit communis omnibus, ideoque singuli sunt causa totius damni et quidem totalis totalitate effectus, cum totum damnum oriatur a singulis.

Resp. II. Concausae cooperantes ad damnum alterius, quae totum damnum suae causalitatis influxu attigerunt, etiamsi seperatim concurrerunt ad idem damnum, etiam in solidum tenentur, v. g. quis laudando induxit amicum ad damnum, et seorsim alter consulendo induxit eundem ad idem damnum, secuto damno Executor, Palpo, et Consulens in solidum tenentur ad restitutionem, quia influxerunt in totum damnum, licet seorsim, et habentur morali hominum existimatione, uti causa totius damni; quare ad totius damni reparationem singuli tenentur in defectu aliorum.

Resp. III. Si plures sic damnum inferunt, ut singuli solum faciant partem damni independenter ab aliis sociis, ita ut unus non moveat, nec adjuvet alium, ut cum plures per se separatim, sine communi consensu, conspiratione, opera etc. damnum inferunt, tunc singuli non tenentur in solidum, sed solum pro sua parte, et independenter a se invicem, quia tunc *quisque* non est causa totius damni, sed partis. Hinc si tu casu superveniens ubi plures ex alieno dolio vinum hauriunt, ipse quoque aliquid bibas, vel haurias, ad tuam portionem teneris; quia influxisti in partem damni. Sic etiam, si in rixa subito exorta plures adversarium impugnent sine ulla conspiratione, et consensu, ille solus de homicidio tenetur, qui vulnus lethale inflixit, non item alii, qui non lethaliter percusserunt, L. ult. D. ad Legem Corneliam de Sicar. Neque obstat, quod adversarius ob tuam praesentiam, vel vulnus a te inflictum, nonnihil debilitatus, facilius ab homicida superatus sit, nam haec cooperatio ad mortem, licet sufficiat ad

Digitized by Google

irregularitatem contrahendam, non tamen ad damni compensationem, quia non influxit ad illud immediate, et directe.

Resp. IV. Concausae negativae damni, scilicet mutus, non obstans, non manifestans, etiam ad damni reparationem tenentur in solidum in defectu aliorum, quia sunt causa injusta totius damni post alios, quaeque enim illarum si impediret, ut impedire tenetur, damnum non sequeretur

Q. Quid si non concausa restituerit, an aliae obligantur ad restitutionem?

R. Si causa magis principalis totum restituat, ceterae omnes liberantur ab onere restitutionis, quia ceterae tenebantur solum in defectu causae principalis, et causa, quae erat primario obligata tenetur ei totum rependere, quia causa magis principalis solvendo adquisivit jus, quod creditor habebat exigendi solutionem a causa prae ea magis principali, quae primario tenebatur. Quare si mandans restituerit, aliae omnes concausae sunt liberae. Executori vero restituenti, solus mandans tenetur; si alia causa secundaria restituerit, mandans, et in ejus defectu executor tenetur ei totum restituere. Si causa positiva restituerit, quaecumque sit, libera est causa negativa, cum haec teneatur solum in defectu illius. E contrario, si causa negativa restituerit, tenentur causae positivae secundum suum ordinem totum ei restituere. Quod si una ex causis aequaliter obligatis totum restituerit, aliae in defectu causae priori loco obligatae, tenentur singulae pro sua portione ei rependere, ut servetur aequalitas; nam sicut aequaliter concurrerunt ad damnum, ita et aequaliter tenentur ad restitutionem, ideoque causa, quae restituit, habet jus repetendi, quod pro illis domino solvit. Quod si unus ex aequaliter obligatis nollet, aut non posset suam restitutionem facere, ceteri tenentur hanc partem ferre, et aequaliter inter se dividere, quia tenentur in solidum restituere.

Ex his infertur. I. Damnificator non habet jus exigendi reparationem damni a causis negativis, nisi in defectu omnium causarum positivarum. Similiter nequit exigere a concurrentibus positive, nisi in defectu executoris, et neque ab hoc executore, nisi in defectu mandantis.

II. Si damnificatus condonet restitutionem principali damnificanti, etiam minus principales causae liberantur. Sed non e contrario, quia ruente principali, ruit accessorium, sed non e converso.

III. Si damnificatus remittat uni ex iis, qui in eodem gradu tenentur, non liberat alios, nisi ab ea parte, quam tenetur ille, cui facta est condonatio.

Q. Quid si consulens fecerit restitutionem, num censeatur liber a restitutione consultus?

R. Minime, nam primo loco tenebatur consultus ad restitutionem, quia cum consilium fuit in gratiam sui ipsius ipse censebatur causa magis principalis, ac proinde consulens tenebatur solum in defectu ipsius consulti ad restitutionem.

Digitized by Google

CAPUT XI.

De obligatione restitutionis ob impedimentum injustum boni alieni.

Q. Quotuplici modo potest quis sperare aliquod beneficium, officium, vel commodum ?

R. Duplici, vel ex voluntate, ac liberalitate Collatoris, vel ex justitia, quatenus habet jus vel in re, vel ad rem.

Q. Quotuplici modo potest quis impediri a consecutione alicujus boni?

R. Duplici, vel juste, vel injuste. Juste quatenus est inhabilis, vel indignus ad officium, vel beneficium. Injuste per fraudem, et calumniam, vel absque justa causa.

Q. Num, qui alterum impedivit a consecutione alicujus boni, ad restitutionem teneatur ?

R. Vel illud bonum debebatur ei ex justitia, et dico teneri, sive impedivit fraudibus, sive precibus, quia semper habetur laesio juris stricti alterius ad habendum illud bonum. Tamen adverte, quod si alter jus habet in re, impediens tenetur restituere valorem illius rei: si vero habebat jus ad rem, tenetur restituere, quanti jus illud judicio prudentum aestimabitur, Idem dic de *injuste* impediente alterum, ne utatur jure suo, v. g. exercendi suam artem, operam locandi etc.

Vel debebatur ex liberalitate, et videndum, vel impedivit precibus justis, et dico non teneri, neque peccare: vel precibus ortis ex odio etc., et dico nec etiam teneri, sed peccare contra caritatem, quia preces non tollunt voluntatem liberam Collatoris. Vel impedivit fraudibus, puta vi, metu, fraude, dolo, mendacio etc., et dico teneri juxta spem, quam impeditus ad bonum habebat, quia unusquisque habet jus, ne fraudibus impediatur a consecutione boni sperati. Ita communiter Theologi, et D. Thom. 2. 2. q. 62. ad 4.

Q. An ille, qui impedit, ne adimpleatur promissio alteri facta, restituere teneatur ?

R. Vel promissio est acceptata, et dico teneri ad restitutionem, sive precibus, sive fraudibus impediat, quia promissarius per acceptationem adquirit jus ad rem promissam, ita ut illa res debeatur ex justitia. Vel non est acceptata, et dico etiam teneri juxta spem quando impedit fraudibus, quia unusquisque habet jus ne fraudibus impediatur, secus vero si impedit precibus.

Q. Quid, si quis absque fraude, dolo, calumnia etc. sed sola suasione testatorem evertit ab instituendo tali haerede, qui ad haereditatem nullum jus habebat, num teneatur ad restitutionem ?

R. Minime, quia talis haeres, cum nullum jus haberet, nulla injuria est ei. Ita etiam ad restitutionem non tenetur ille, qui orat, suadet etc. testatorem, ut deleat haeredem institutum in testamento, et alium instituat, quia usque dum testator vivit, potest ad suum libitum testamentum revocare L. 4. D. de alimend. legat., ideoque institutus nullum jus adquisivit in haereditate. Sine tamen justa causa peccat, ut dictum est supra.

Q. Num ille, qui impedivit aliquem a consecutione alicujus beneficii, ob delicti occulti manifestationem, ad restitutionem teneatur ?

Digitized by Google

R. Non teneri quando fit Collatori, aut iis, quorum interest, quia jus est, quando de officiis, aut beneficiis agitur, manifestare ea, quae hominem reddunt minus idoneum, aut minus decentem collationem faciunt.

Q. Num tenentur ad restitutionem, qui manifestat delictum illud aliquibus, quando ob talem manifestationem persona redditur infamis, et sic beneficio privatur?

R. Si manifestat delictum verum, quod reddat indignum beneficio, non teneri, licet Collator moveatur ob eam infamiam ad negandum illi beneficium, quia non est justa causa damni.

Q. Quid si quis alterius Procuratorem, Tabellarium, Famulum etc. literas, vel mandatum alterius deferentem ad impetrandum beneficium, vel aliud negotium utiliter agendum detineat praetextu recreationis, convivii, potus, sciens hanc detentionem mandanti nocituram?

R. Vel Procurator, Tabellarius etc. tenebatur ex contractu, officio procurare illud beneficium, vel negotium, et dico detentorem peccare contra justitiam, et teneri ad damni restitutionem, licet fecerit absque fraude, quia violavit jus strictum alterius. Vel non tenebatur ex justitia, sed voluntarie, et ex amicitia, mandanti beneficium procurare volebat, et videndum: vel Procurator sciens hanc detentoris intentionem libere apud illum moratus est, et dico ad nihil teneri, quia deceptus non est, sed voluntarie abstinuit a procuratione: vel nescivit hanc intentionem detentoris, et dico teneri ad damni restitutionem juxta spem, quia intervenit fraus, at quisque habet jus ne fraudibus impediatur a consecutione boni, licet non debiti. Ita communiter.

Q. Quid dicendum de illo, qui impedivit, ne beneficia, vel officia, conferrentur alicui?

R. I. Si iste bona fide, et zelo impedivit aliquem vere indignum, et ineptum a consecutione beneficii vel officii, puta Cathedrae etc., licet vera crimina occulta, et suam ignaviam manifestet Collatori, non peccat, nec etiam tenetur ad restitutionem, quia interest bono communi, et Ecclesiae non conferre beneficia, et officia indignis, et ineptis. Imo neque etiam contra charitatem peccare dicendus est, quia bonum quod curare censetur ille, qui indignum impedit a consecutione beneficii, aut officii, praevalere debet privato. At vero si talem impediat infamando injuste apud alios, peccat etiam contra justitiam injusta laesione famae alterius, et solum ad hujus restitutionem tenetur. Ita communiter.

R. II. Si impedivit aliquem dignum a consecutione beneficii, officii, Cathedrae etc., ut officium, beneficium etc. manifeste digniori conferatur, et tunc quovis modo impediat, nec peccat, nec ad ejus restitutionem tenetur, quia dignus nullum prorsus jus habet respectu dignioris, unde illum impediendo recte agitur juxta intentionem Ecclesiae, vel Reipublicae volentis dare Cathedras, beneficia etc. dignioribus, ita exigente justitia distributiva. Si tamen calumnia, detractione impediverit dignum, ut dignior praeferetur, peccat, et tenetur ad restitutionem famae.

R. III. Si impedivit malis artibus, puta fraude, calumnia digniorem, vel vere dignum quovis modo a consecutione beneficii, officii, etc., et curavit conferre manifeste indigno, peccavit graviter, et ad restitutionem tenetur ipsi digniori, seu vero digno, vel Ecclesiae, vel Civitati pro damnis conse-

Digitized by Google

cutis, et primo loco tenetur restituere indignus, seu dimittere beneficium, officium, etc. secundo loco Collator, tertio loco ipse suasor, seu Cooperator. Ita communiter.

R. IV. Si vero impedivit sine vi, et fraude, sed solis precibus, et suasionibus, ne conferatur beneficium, officium, etc. uni digno, et procuravit, ut conferretur alteri aeque digno, non peccavit, nec ad restitutionem tenetur, secus, si id faciat vi, fraude etc., quia tunc, licet non teneatur ad restitutionem, quia dignus non habebat jus justitiae supra aeque dignum; peccavit tamen ob fraudem, et vim adhibitam, quia aeque dignus gaudebat jure, ne malis artibus impediretur. Ita communiter. At si impedivit quovis modo, ne beneficium, cathedra, vel officium daretur digniori post concursum, tunc peccavit graviter, et tenetur ad restitutionem, seu ad ei resarciendum damnum judicio prudentis, Can. *Metropolitano* 19. dist. 63., Canon. *Licet*., caus. 8. q. 1. Trident. sess. 34. cap. 18., et ratio est, quia ipse adquisivit *jus ad rem* post concursum; nam intervenit quasi contractus inter illos, qui indicunt concursum, et qui concurrunt, ut qui dignior fuerit renuntiatus, consequatur Cathedram, seu beneficium, idcoque ille qui impedit, intulit ei gravem injuriam contra justitiam, atque idcirco tenebitur ad restitutionem.

CAPUT XII.

De Obligatione restitutionis rei acceptae ob turpem causam

Q. Num acceptum ob turpem causam sit restituendum?

R. Si loquimur ante factum, et dico esse restituendum, quia non fuit impletum pactum, ratione cujus fuit acceptum pretium. Hinc si quis accepit decem ob hominis necem, homicidio non secuto ad restitutionem tenetur. Vel loquimur post *factum, et omnino restituendum est in casibus, in quibus jus inhabilitat, ut in Simonia, et usura, in aliis casibus,* et dico probabilius teneri ad restitutionem illum, qui accepit aliquid ob hujusmodi causam, tum Jure Naturae, tum jure positivo, nam Jure Naturae contractus nullus tractu temporis convalescere non potest; jure positivo, nam nulla oritur obligatio ad repetendum promissum in judicio, uti ex L. 2. C. de condit. ob turp. caus. Hinc excipitur meretrix quae potest licite retinere, quod accepit pro usu sui corporis, turpi actu secuto. L. 4. D. de condit. ob turp. caus., ideoque in poenam scortatoris, Juvenin. Verum adverte, quod si meretrix ditata fuerit ex meretricio, tenetur elargiri in pauperes, vel in usus pios. Idem Juvenin.

Q. Num meretrix teneatur restituere, quod accepit a Religioso ob sui corporis turpem usum?

R. Teneri restituere Monasterio, sive Religiosus obtinuerit licentiam, sive non, alienandi, quia neque Monasterium, neque Superior potest concedere facultatem alienandi aliquid ob turpes usus. Ita Salmanticenses, Concina, aliique contra nonnullos alios asserentes, non teneri, habita licentia Superioris alienandi, quia licet in modo alienandi agat contra superioris voluntatem, non tamen secundum se ita contra illius voluntatem agit, ut eam irritam esse velit.

Digitized by Google

Q. Num uxorata teneatur restituere, vel reponere quod receptum est ob adulterium in communi peculio cum marito ?

R. Non teneri, quia maritus non habet jus ad illud, cum sit valde odiosum, et molestum. Quod idem est dicendum de filia respectu patris, de ancilla respectu domini. Ita Salmanticenses, aliique.

Q. Num Judex teneatur restituere, quod accepit pro exercendo actu justitiae ?

R. Teneri, quando est a Principe competenti salario decoratus, quia in eo casu donatus non transfert dominium rei, quam donat, in donatarium; nam eam dat involuntarie ad suam redimendam iniquam vexationem, quod clarissime patet ex D. Thoma de erudit. Princ. lib. 4., cap. 4 in quo haec habentur: *Sicut enim iniquus esset, qui cappam meam vendere mihi vellet, ita injustus est; qui justitiam quam debet gratis ex officio facere, non vult facere, nisi accepto pretio.*

Q. An Judex, qui accepit pretium pro ferenda injusta sententia, ad restitutionem tenetur ?

R. Si loquimur ante prolationem sententiae, et dico teneri ad restitutionem, quia quod accepit, conditionate accepit. Vel post sententiae prolationem, et dico etiam teneri, namque nullum jus habet sibi retinere, quod injuste accepit.

CAPUT XIII.

De tempore, loco, et expensis, ac periculo, quibus facienda est restitutio.

Q. Quo tempore sit facienda restitutio ?

R. Vel est facienda ex re accepta, et dico faciendam esse, statim ac possessor invenit rem non esse suam, modo commode possit, ut si res extet in se, vel in virtute, et eam non praescripserit, quia aliter retineret rem alienam invito rationabiliter domino, et tenetur ad lucrum cessans, et omne damnum emergens ex sua mora culpabili. Vel restitutio facienda est ex injusta acceptione, et dico teneri semper, nisi dilationem obtinuerit a creditore, aut dominus sit irrationabiliter invitus: uti si damnum superioris ordinis passurus esset restituens. Vel facienda est ex contractu, et faciendam esse tempore in contractu definito, etiamsi dominus non petat; quia dies statuta pro domino interpellat, cap. final. de locat. et conduct.

Q. Quid dicendum, quando tempus non est definitum in contractu, neque explicite, neque implicite ?

R. Regulariter loquendo esse faciendam tempore, quo dominus petit: quia quando dominus scit, et potest petere, et non petit, consentire videtur.

Dixi *regulariter*, quia dantur casus, in quibus debitor tenetur, etiamsi non petat creditor, et est quando non petit ob timorem, impotentiam, oblivionem, vel quando additum fuit juramentum, quia juramentum obligat, ut quamprimum debitum restituatur.

Q. Quid si tempus fuit definitum in contractu, num possit debitor, si velit, anticipare solutionem ?

Digitized by Google

R. Si tempus fuit definitum in favorem creditoris, et dico non posse, L. 122. D. de verb. obligat., quia fieret creditori injuria, nisi ipse creditor, ad quod non tenetur, consentiret in solutionem : vel tempus est praefixum in commodum debitoris, et dico posse, L. 41. §. 1. tit. eod., quia cedere potest juri suo.

Q. Quo loco facienda est restitutio ?

R. Vel debet fieri ex re accepta, et dico esse faciendam ex loco, quo res habetur, et ubi cognoscitur esse alienam, quia non est aequum, quod possessor bonae fidei patietur damnum ex restitutione facienda ; quare fit, ut bonae fidei possessor teneatur expensis domini hunc monere de re sua, vel eam remittere, si potest, vel conservare. Vel debet fieri ex injusta acceptione, et dico esse faciendam eo loco, quo dominus erat habiturus, si res non fuisset ablata, quia dominus non debet pati detrimentum ob alterius delictum, sed deducendae sunt expensae, quas creditor eam conservando, vel alio secum asportando facere debuisset. Vel debet fieri ex contractu, et dico esse faciendam eo loco, ubi res accepta fuit, nisi aliter fuerit conventum inter contrahentes, quia nullus locus magis justitiae congruit, quam ille, in quo res fuit accepta, cum restitutio sit repositio rei in pristinum statum. Hinc ex natura contractus quisque tenetur restituere mutuum, depositum, rem locatam in loco ubi accepit, et non alibi, nisi impensis alterius contrahentis.

Q. Quibus expensis est facienda restitutio ?

R. Vel sermo est de possessore bonae fidei, et restitutionem facere debet expensis domini, quia debet servare se indemnem. Vel sermo est de possessore malae fidei, et debet expensis propriis rem restituere, quia non est aequum, ut dominus patiatur damnum expensarum ob delictum debitoris. Ratio discriminis est, quia malae fidei possessor, vel damnificator integrum damnum, et lucrum cessans compensare debet domino, et illum in pristinum statum reponere; possessor vero bonae fidei solum rei possessionem transferre debet in dominum.

Vel restitutio facienda est ex contractu, et videndum in gratiam cujus celebratus fuit contractus. Si in gratiam recipientis, expensis recipientis : si in gratiam dantis, dantis expensis; quia aequum non est, ut res ex contractu debita restituatur impensis illius, cujus commodum in eo contractu quaesitum non est; nec ex beneficio collato damnum pati debeat. Si vero contractus est celebratus in favorem utriusque, dicendum, quod ad remittendam rem usque ad locum, in quo fuit recepta, expensae fieri debent a recipiente; res enim restitui debet propriis expensis in loco, ubi fuit recepta, vel celebratus contractus, ut supra dictum est. Ad remittendam vero rem alio, expensae fieri debent a domino, v. g. conduxisti equum Neapoli, et tu cum equo es Salerni, dominus autem Capuae. Ad remittendum equum Neapolim usque teneris tuis expensis; at Neapoli usque Capuam tenetur dominus suis expensis, equus enim Neapoli restituendus erat, adeoque si restitutio fiat Capuae, in commodum domini fit, et qui sentit commodum, incommodum etiam earum expensarum, quae hac de causa fiunt, sentire tenetur, argum. capit. Regul. Jur. 55. in VI.

Q. An datur casus, in quo quis teneatur ad restitutionem ratione inju-

Digitized by Google

stae acceptionis, et facere non tenetur omnes expensas, ita ut possit suspendere restitutionem ?

R. Maxime, et est quando majores expensae sunt faciendae in tali restitutione, quam res ipsa valet, dummodo tamen dominus non indigeat tali re cum incommodo aequali, ac est incommodum debitoris, tum quia dominus in isto casu non censetur rationabiliter invitus, tum quia non haberetur aequalitas. Hinc potest debitor retinere rem usque dum occurrat ei occasio restituendi absque tanto incommodo. Ita Lessius, Salmanticenses, aliique.

Q. Si res restituatur per nuntium, et non pervenit in manu domini, estne facienda nova restitutio ?

R. I. Vel res, quae restituitur debebatur a possessore bonae fidei, sive ex re accepta, et nuntius fidelis electus a possessore bonae fidei, vel electus est ab ipso domino, et tunc non est facienda nova restitutio, quia possessor bonae fidei debet servare seipsum indemnem, et ad rem tenetur, si extat; hinc quando nullo modo res recepta extat, ad nihil tenetur, neque iste talis tenetur de casu fortuito, seclusis culpa, mora, et pacto. Vel est res injuste accepta, et tunc ad novam tenetur restitutionem, quia possessor malae fidei tenetur ad omnia damna, etiam de casu fortuito, quia *culpa praecedente casus etiam fortuitus imputatur*, cap. ult. de deposito.

R. II. Vel res, quae restituitur per nuntium, ex contractu debebatur, et videndum; si debebatur in individuo, uti res commodata, deposita etc., et dico non esse faciendam novam restitutionem, quia talis res in individuo manens, adhuc est sub dominio creditoris; hinc ipsi perit, cum ipse dominus sit, L. 20. commod. Verum si culpa juridica mittentis intervenit, tenetur tunc Commodatarius, Depositarius resarcire damnum domino ex culpa allatum. Vel res debebatur in specie, hoc est ex contractu transferente dominium, uti est res mutuata, et dico novam restitutionem faciendam esse; quia quamdiu non pervenit ad manus creditoris, semper est sub dominio debitoris. Ita communiter.

Q. Num dentur casus, in quibus nova non est facienda restitutio, quamvis res non pervenerit ad manus creditoris, licet debitor tenebatur ex re injuste accepta, vel ratione contractus transferentis dominium, sed in specie ?

R. Maxime, et I. Jam dictum est, quando asportator fuit electus a creditore, quia asportator habetur in casu, ut creditor. II. Quando creditor dedit facultatem suo debitori eligendi asportatorem, et debitor elegit virum a se fidelem putatum, quia habetur, uti electus a creditore. III. Quando a Judice debitor est compulsus ad rem tali asportatori tradendam.

CAPUT XIV.

De personis, quibus facienda est restitutio

Q. An res sit restituenda illi, a quo fuit ablata, vel accepta, licet alter sit rei dominus ?

R. Res restituenda est illi, a quo fuit ablata, vel accepta, si justo titulo

Digitized by Google

possidebat, v. g. commodato, deposito, pignore etc quia iste habebat jus possidendi, et proinde fieret ei injuria, si ei non restitueretur res ablata, vel accepta. Si vero possidebat absque justo titulo, res est restituenda proprio domino, quia fur non habet jus possidendi, sed dominus. Si vero dubitetur, an ille, a quo res fuit accepta, possideret justo titulo, domino etiam est restituenda, quia melior est conditio domini in dubio, quam possessoris; adhibita prius diligentia, ne jure suo possessor expolietur.

Q. Quod si quis rem accepit ex contractu a possessore bonae fidei; an restituenda sit possessori, si inveniatur esse alterius, an vero domino?

R. Vel est accepta ex contractu lucrativo seu gratuito, et dico esse restituendam proprio domino, quia nullum jus habet possessor bonae fidei illam retinendi, ex quo cognoscitur rem esse alterius. Excipe si fuerit accepta ex contractu depositi, pignoris, vel commodati; quia fides horum contractuum postulat, ut res reddatur ei, a quo fuit accepta, monito tamen illo prius, ut domino restituat, et si commode possit ex caritate etiam tenetur monere dominum. Vel est accepta ex contractu oneroso, et dico ad recuperandum pretium posse restitui possessori, quia nemo tenetur cum jactura propria dominum indemnem servare, dummodo tamen adest prudens spes, quod res restituatur domino, nam si talis spes non appareat, tenetur rem restituere domino, etiam cum jactura pretii; res enim semper clamat ad dominum. Salmanticenses, aliique.

Q. Cuinam sit restituenda res ablata a religioso, filiofamilias, vel uxore, si res erat Religionis, patris, vel viri, aut saltem ad illos pertineret?

R. Esse restituendam Monasterio, Patri, Marito, quia recensitae personae, Religiosus etc. non habent perfectum dominium, modo non sint bona a Religione permissa, bona castrensia, vel quasi, et bona parafernalia, quia prima sunt restituenda Religioso, secunda filiofamilias, tertia uxori.

Q. Cuinam est restituenda res ablata, quando persona, cui est restituenda, mortua est?

R. Haeredibus, quia isti succedunt in omnia jura defuncti. L. 37. D. de adquir. vel omitt. haeredit. At si ignorantur haeredes, pauperibus, Ecclesiae, vel piis usibus est applicanda.

Q. Quid si jam fuerit applicata bona fide pauperibus, et postea compareant haeredes?

R. Ad novam non teneri restitutionem, quia iste tali in casu non tenetur neque ex re accepta, neque ex injusta acceptatione. Advertendum tamen est, quod solum in casu, quo neque dominus, neque haeres ejus cognosci potest, bona incerta pauperibus, vel aliis piis usibus sunt distribuenda. Vide quae dicta sunt in Tract. de just. et jur.

Q. Quaenam sunt bona incerta?

R. Sunt illa, quae verum habent dominum, sed nescitur.

Q. Quinam sunt ista bona restituenda?

R. Qui possidet ista bona, debet adhibere diligentiam, diligentia adhibita, et domino non invento, neque haeredibus, debet ea pauperibus elargiri, vel Ecclesiae, sive ista obligatio oriatur ex re accepta, sive ex contractu, sive ex delicto; v. g. usura etc.

Digitized by Google

Q. Quid si, post applicationem pauperibus factam, dominus inveniatur?

R. Vel fuit facta applicatio pauperibus absque diligenti inquisitione ad proprium dominum reperiendum, et dico esse faciendam novam restitutionem proprio domino comparente, quia culpabiliter non fuit inventus dominus, ideoque semper dicitur laesum jus, quod dominus habebat, ne bona sua, omissa diligenti inquisitione, alienarentur. Vel fuit facta post diligentem inquisitionem proprii domini, et dico non esse faciendam novam restitutionem proprio domino comparenti, quia non adest obligatio restituendi ratione rei acceptae, cum non extet, neque ratione injuriae, quia recte fuerunt pauperibus hujusmodi bona applicata, neque ex contractu, cum non adsit. Ita communiter.

Q. Quid si res jam fuit applicata pauperibus, et extat in manu pauperis, et compareat dominus?

R. Et tunc domino est restituenda, quia res data fuit pauperibus sub hâc conditione, nisi dominus compareat tempore, quoties existit; quia omnis res clamat ad dominum.

CAPUT XV.

De Ordine servando in restitutione

Q. Quo ordine sit facienda restitutio, quando bona debitoris non sufficiunt ad satisfaciendum omnibus creditoribus?

R. Si res aliena extat in specie, seu in se, et ejus dominium in debitorem translatum non est, et dico esse restituendum domino, et non aliis creditoribus; quia debitor debet solvere debita ex bonis propriis, non alienis et si ignoretur Dominus, vel haeres ejus, pauperibus, aliisve piis locis esse restituendam. Si vero hujusmodi res non extat in se, et dico ex bonis debitoris prius esse solvendas impensas funerum, si defunctus sit, L. penult. D. de Religios. et sumpt. funerum; item quae requiruntur ad inventarii confectionem, et testamenti aperitionem, sicut etiam honoraria medicorum, et pretia pharmacopolae, uti colligunt Doctores ex L. ult. C. de jur. deliber.; nam aliter, nemo reperiretur, qui indigentibus talia subministraret, si de solutione certus non esset.

Q. Quaenam debita sunt prius solvenda ex bonis debitoris, certa, vel incerta?

R. Prius certa, posteaque incerta, nam certa debentur domino de jure naturae, incerta sunt tradenda pauperibus de jure positivo. Excipe tamen, si res aliena incerta extet in se, nam tunc pauperibus, vel Ecclesiae restitui debet, ut supra dictum est.

Q. Quaenam debita sunt solvenda primo, debita ex titulo oneroso, vel debita ex titulo gratuito?

R. Prius esse solvenda debita ex titulo oneroso, quia in contractu gratuito, et legatis subintelligitur conditio, *si absque tertii damno fieri possit, nisi status rerum mutetur*. Hinc debita defuncti solvi debent ante omnia legata etiam pia. Ita communiter. Idem dic de votis licet vota solvenda sint ante legata, sive pia, sive profana.

Digitized by Google

Q. Quibusnam facienda sit prius restitutio, creditoribus hypothecariis, vel chirographariis?

R. 1. Hypothecariis, et postea chirographariis, quia plus actionis adest in re, quam in persona, L. 9. C. qui potior. in pignor. In quo est sciendum quod creditores hypothecarii sunt illi, qui non solum personam debitoris, sed etiam rem ejus obligatam habent: chirographarii vero sunt illi, qui solum personam obligatam habent (1).

Q. Quid dicendum, quando quis habet plures creditores hypothecarios in eodem pignore concurrentes, ita ut non habeat aliud, unde possit satisfacere omnibus?

R. Si eadem res fuerit pluribus oppignorata, inter ipsos creditores hypothecarios, potior est in jure, qui prior est in tempore, Reg. 54. Jur. in VI, etiamsi secundo creditori res non tantum obligata, seu etiam in pignus actualiter tradita sit, L. 2. D. qui potior in pignor., L. 7., et 8. C. eod. tit., et L. 12. D. eod. Nec refert an prior creditor habeat hypothecam specialem, vel generalem, dict. L. 2. D. eod. tit. In pignore enim eodem tempore pluribus constituto, praecedit ille, qui pignus possidet, et si nullus possidet, aequali jure utuntur L. 10. D. de pignorib.

Q. Num dentur casus in quibus posterior hypothecarius sit anteriori praeferendus singulari privilegio juris?

R. Maxime, et 1. est, si pecuniam quis mutuaverit ad conservationem, vel refectionem rei, quae alteri erit obligata, L. *Interdum* D. qui pot. in pignor., nam sine hac mutuatione res hypothecata periisset vel deterior facta fuisset. 2. Quando quis mutuavit pecuniam ad emenda praedia, ad aedificandas aedes, et jus pignoris, et hypothecae in his pactus est, iste talis praefertur omnibus creditoribus, habentibus generalem hypothecam in bonis debitoris. L. *Senatusconsulto* 1. D. in quibus caus. pignor. vel hypothec. etc., nam dominus non haberet eam rem sine pecunia mutuata. 3. Quando quis mutuavit pecuniam pro vectura mercium, vel pro locatione aedium, in quibus res alteri hypothecata conservata fuit, iste talis est praeferendus iis, quibus hujusmodi res est hypothecata. L. 6. D. qui pot. in pignor.

Porro adest hypotheca dotalis, quae est praeferenda aliis hypothecis tacitis, et etiam expressis posterioribus, non autem expressis anterioribus, ut tenent DD. communiter, nam per hypothecam dotalem omnia bona mariti remanent hypothecata uxori, vel filiis L. *Assiduis* 12. C. qui pot. in pign. Ita etiam quando pecunia pupilli, vel minoris, aut militis est empta aliqua res, ea res manet pupillo, minori vel militi obligata ante omnes, L. *Si ut proponis* 8. C. de rei vindic. Item docent Doctores de re empta pecunia Ecclesiae, et colligunt ex cap. 1. de in integ. restit. Praeterea quando quis cum Fisco contraxit, bona ejus manent Fisco obligata, cum privilegio praelationis, anterioribus hypothecis tacitis, non autem expressis. Item doti, si ante dotem cum Fisco contraxerat, L. *Quamvis* 2. de privileg. Fisci.

Q. Quid dicendum si supersint alia bona debitoris, postquam hypothecariis integre fuit satisfactum?

(1) Videsis nostras additiones de contractibus gratuitis ad cap. V. de Pignore, et Hypotheca.

Digitized by Google

R. Esse dividenda creditoribus personalibus, scilicet chirographariis, secundum proportionem debitorum, nulla habita ratione prioritatis, vel posteritatis, quia omnes aequale jus habent, cum omnes aequaliter debitoris personam obligatam habeant, sive descendant haec debita personalia ex contractu oneroso, sive ex delicto, cum utriusque generis debita aequalia sint. L. 17. D. de privileg. creditor.

Q. Num dentur casus, in quibus unus personalis creditor sit alteri praeferendus?

R. Maxime, et 1. est, si quis comparet coram Judice adhuc debitore vivente, et reportat sententiam solutionis, pro sua solertia est anteponendus aliis creditoribus personalibus. L. 6. et 24. D. quae in fraud. credit. etc. 2. Qui deposuit pecuniam apud publicos Nummularios, hoc est apud depositarios a Principe constitutos non percipiens inde usuras. 3. Qui ad navem extruendam, vel emendam, pecuniam credidit. 4. Quando dos fuit tradita ante matrimonii contractionem.

Nota. Hae leges civiles, quae praelationem creditorum statuunt, obligant in conscientia, et ante Judicis sententiam, quia spectant publicam societatis humanae pacem, et tranquillitatem et aequitatem commercii; Ita communiter.

Q. Num prius exigenti liceat prius solvere?

R. Vel exigit cum damno illius, qui habet hypothecam priorem, vel privilegium, et non licet creditori prius petenti solvere, unde solvens tenetur creditori privilegiato de damno, et ipse creditor potior potest recuperare ab alio creditore id quod solutum est, L. 22. C. de jur. delib. Quare, qui solutionem petit, vel accepit, sciens jus, vel privilegium aliorum peccabit contra justitiam, et tenetur ante sententiam Judicis restituere aliis creditoribus privilegiatis, vel potioribus id, quod accepit, et damna, quia fecit illis injuriam damnosam cum induxerit debitorem ad inferendum illis damnum. Vel non adest tale damnum, et distinguo: vel exigit in judicio, et dico esse prius petenti primo solvendum, quia lex, et sententia Judicis dat isti jus praelationis, ob diligentiam, quam ante alios adhibuit, L. 6. D. quae in fraud. cred. etc., vel exigit extra judicium, et dico adesse litigium inter DD., tamen Navar., Less. aliique tenent probabilius quod etiam isti sit prius solvendum, aut saltem tuta conscientia solvi potest, quia diligentia creditoris petentis facit eum potiorem.

Q. Num peccet, et ad restitutionem teneatur, qui sciens, aliquid gratis, vel cum onere accipit ab eo, qui impos redditur ad solvenda sua debita creditoribus?

R. Maxime, quia talis injuriam infert creditoribus, nam efficaciter in impedimentum influit, quominus illis satisfieri aut solvi possit; concurrit enim ad injustam alienationem, quia debitor impos redditur ad solvendum. Sane illo non acceptante, res non alienaretur, et adhuc apud debitorem extaret, unde illa posset creditoribus satisfacere. Quod verum est, etiamsi accipiens non suaserit, neque induxerit ad talem alienationem, cum recurrat eadem ratio supra tradita; quia scilicet acceptatio non minus quam inductio conducit ad creditorum damnificationem.

Hinc inferas, quod famuli, postquam intellexerunt, dominos tantum famulatum sine creditorum suorum damno sustinere non posse, discedere cogantur, nisi velint contra justitiam peccare; quia proxime cooperantur damno

Digitized by Google

creditorum, si postquam id noverint, in servitio perseverent. Excipe tamen, si suum servitium cederet in bonum creditorum, v. g. quia famuli suo servitio tantundem commoda afferunt in bonis debitoris, laborando, conservando etc. quantum est salarium ipsis attributum.

Q. Num Uxor, et liberi qui a Marito, vel Patre debitis pluribus gravato aliquid acceperunt, restituere teneantur, tanquam in fraudem creditorum acceptum, illud, quod acceperunt?

R. Vel Uxor, et filii bonis propriis carentes alimenta acceperunt, et alios sumptus necessarios, v. g. ad medicamina, ad literarum studia illis competentia, et dico non teneri ad restitutionem, quia paterfamilias ex justitia tenetur ad tales sumptus; ideoque illi non injuste receperunt. Quae doctrina vera est, etiamsi paterfamilias nova debita contrahat: v. g. mutuas pecunias accipiat ad uxorem, et liberos alendos, quia inopia patrisfamilias non liberat eum simpliciter ab obligatione praestandi alimenta, et sumptus necessarios uxori, ac liberis, sed solum ejus obligationem suspendit. Vel sumptus sibi non debitos uxor, et filii a patre acceperunt, puta quia aliunde sustentationem habent, v. g. ex bonis propriis, vel maternis: vel quia sunt sumptus superflui, et dico peccare contra justitiam, et ad restitutionem teneri; quia efficaciter influxerunt in damnum creditorum.

Nota. Debitor peccat non solum contra justitiam, si donationibus, vel expensis non necessariis reddat se impotentem ad debita solvenda, sed etiam si respuit oblatam occasionem se reddendi potentem ad debita solvenda: puta si nolit adire sine justa causa haereditatem, aliquam donationem acceptare, vel alium aliquem modum lucrandi recuset, aut rejiciat; quia debitor totis viribus conari debet ad suorum debitorum obligationem extinguendam.

CAPUT XVI.

De causis, quibus suspendi potest restitutio

Q. Quaenam sunt causae, ob quas potest differri restitutio?

R. Istas esse: bonum creditoris, vel tertiae personae: damnum debitoris vel proximi impotentia: cessio bonorum, et gravis necessitas debitoris, dummodo non sit in eadem necessitate creditor, quia si ita est, in pari causa gravis necessitatis, melior est conditio creditoris, quam debitoris: unde si restitutio non fiat, est creditor rationabiliter invitus. Denique est justa causa differendi restitutionem id omne, quod facit, ut dominus, vel creditor non sit rationabiliter invitus circa dilationem, quia solum injusta detentio rei alienae prohibetur: verum caute in hoc procedatur a Confessario.

Q. Quando habetur bonum creditoris, vel tertiae personae?

R. Quando differtur restitutio, ut non abutatur dominus ea re vel consumet ad malum usum, vel ad Perniciem Proximi (1).

(1) Ex parte creditoris excusant 1. Si solvis creditori creditoris tui, quia tunc adquirendo cessionem crediti illius jam potes juste compensare. 2. Si prudenter praesumere potes dominum consentire ut tu illam rem tibi sumas aut acceptam tibi retineas, ut communiter admittunt, *Sil. Navarr. Lug. Less. Sanch. Sa. Sayr. Holzm.*

Digitized by Google

Q. Quando habetur damnum debitoris ?

R. Quando restituendo debitor pateretur damnum vel in re, vel in persona, vel in fama.

Q. Quando habetur impotentia ?

R. Quando quis vel non habet unde restituat, vel si habet infameretur restituendo, vel damni gravis periculum subiret.

Q. Quid venit per cessionem bonorum ?

R. Venit privilegium juridicum, quo quis per cessionem suorum bonorum factam in favorem creditorum se impotentem declarat ad reliquum persolvendum, et sic creditores juridice non possunt agere contra illum. Verum si fraudulenta est cessio bonorum, non suspenditur obligatio restitutionis in conscientia.

Q. Num depositarius teneatur restituere pecuniam domino, quando certo scit, illum ea abusurum ad peccatum, v. g. ad fornicationem?

R. Non teneri, ita ut juste possit restitutionem differre, quia hoc fit in bonum creditoris, et creditor non est rationabiliter invitus, in quo casu tenetur depositarius ex caritate differre restitutionem, cum unusquisque teneatur impedire damnum spirituale proximi, etiam cum aliquo suo damno temporali, quando potest absque suo gravi incommodo id fieri.

Q. Quid dicendum, si quis sine justa excusante causa alteri pecuniam mutuo dat, vel ex contractu debitam reddit abusuro contra justitiam; v. g. illaturo bellum injustum, litem iniquam ?

R. Iste talis peccat contra justitiam, et secuto damno, ad ejus compensationem tenetur, saltem in defectu principalis damnificantis, quia qui sine justa causa materiam proximam male operaturo ministrat, indirecte ejus iniquitati cooperari censetur, quamvis neque jubeat, neque suadeat illam operationem, L. *Si pignore* 56. D. de furtis.

Q. Num depositarius, qui restituit gladium apud se depositum domino petenti illum ad occidendum inimicum, teneatur ad restitutionem, secuta occisione ?

Croix etc. et expresse hoc docet *S. Antonin.* qui dicit: *Invito domino dicitur, quia si credit dominum permissurum et subest justa causa credendi* (restituere) *non teneatur.* Et habetur ex *L. 46. §. 7. ff. de Furtis* ubi sic dicitur: *Recte dictum est, qui putavit domini voluntatem rem attingere, non esse furem, quid enim dolo fecit qui putat dominum consensurum fuisse?* Ratio est, quia tota furti malitia consistit in eo quod contra domini voluntatem alienum accipit; unde supposito domini consensu, non est amplius furtum. Confirmatur hoc ex *S Thoma,* qui permittit Religioso donare sub spe ratihabitionis Praelati, nempe si putat licentiam habituram fuisse, si ab eo illam petiisset. 3. Debitor ad restitutionem non tenetur, si dominus rei restituendae hac abusurus fuisset ad peccandum, ut dicunt *Less. Lugo, Sot. Mol. Navarr. Croix* etc. contra alios, et expresse id docet *S. Thomas* dicens: *Quando res restituenda apparet esse graviter nociva ei cui restitutio facienda est, vel alteri non debet ei tunc restitui; quia restitutio ordinatur ad utilitatem ejus cui restituitur.* Imo quando dominus ea re in tertii damnum abusurus fuisset, tu teneris denegare illam, semper ac sine damno tuo gravi potes ei illam denegare, ut dictum est *n. 56.* ubi dictum fuit numquam licere, etiam ad vitandam propriam mortem, gladium restituere volenti inimicum occidere. Et tunc peccares non solum contra caritatem, sed etiam contra justitiam, ut docent communiter *Lugo, Sot. Less. Castropal. Conc. et Salm.* quia proximus jus habet ne quis in sui damnum cooperetur. *S. Ligorius homo apost. Tract. X. Punct. X. § 116.*

Digitized by Google

R. Maxime, quia reddere gladium domino volenti occidere, est proxime cooperari homicidio alieno. Hinc gladium restituendo depositarius peccat contra justitiam, quia proximus, scilicet inimicus deponentis, habet jus, ne restituatur gladius in illis circumstantiis. Excipe tamen, si quis coactus a Judice vel quia passurus gravius damnum, gladium restituat. Ita communiter.

Q. Contra quam virtutem peccat, qui reddit rem suam domino, praevidens ea abusurum ad peccandum?

R. Vel dominus, cui fit restitutio, abusurus sit illa re contra justitiam, et dico, quod qui facit hac in hypothesi restitutionem, peccat contra justitiam, si sine justa causa restituat, v. g. si gladium depositum restituat deponenti illum petenti ad inimicum occidendum, quia indirecte ejus occisioni cooperatur, ac proinde tenetur ad damna in defectum principalis. Vel dominus abusurus est re sua solum in spirituale sui damnum, et dico, quod restituens contra caritatem peccat, quatenus malum alterius spirituale non impedit, cum impedire possit.

Q. Num possit differre restitutionem, qui non potest restituere, nisi cum jactura boni superioris ordinis?

Ante resp. praemittendum, bona esse duplicis generis, scilicet, spiritualia, quae praeveniunt a Deo, ut auctore gratiae, et temporalia, quae proveniunt a Deo, ut auctore naturae. Temporalia, seu naturalia sunt triplicis generis, supremi ordinis, medii ordinis, et infimi ordinis. Bona supremi ordinis sunt vita, virginitas, sanitas, et libertas, medii ordinis sunt honor, et fama, infimi ordinis sunt divitiae, ceteraque bona pretio aestimabilia. His praemissis.

R. Maxime, itaut possit differri restitutio, quando quis non potest resarcire damnum aliis, nisi cum jactura bonorum superioris ordinis, tum quia restitutio fieri debet, ut servetur aequalitas. Hinc si restituendo adesset periculum quod uxor sua esset proinde rem turpem commissura, vel filia prostitueretur, vel ipse amitteret libertatem, sanitatem, famam etc., potest debitor differre restitutionem. Idem dicendum, si adesset probabile periculum salutis Animae, tum creditoris, tum debitoris, tum tertiae personae; quia dominus non est rationabiliter invitus.

Q. Potestne quis differre restitutionem, si restituendo caderet a proprio statu?

R. Vel cadit a proprio statu juste adquisito: et dico posse differre, quando absque sua culpa in tali reperiatur periculo, modo idem periculum non subeat creditor, tum quia nemo tenetur cum tanta jactura sui status restituere; tum quia dominus non est rationabiliter invitus. Verum tenetur quantum potest sumptibus parcere, ut possit saltem paulatim restituere. Vel cadit a statu injuste adquisito, et dico non posse differre, quia restituendo non cadit a proprio statu, sed ad pristinum revertitur statum. Hinc si quis ad altiorem statum pervenisset per rapinas, usuras etc. statim tenetur restituere; licet consulere deberet famae suae, quantum fieri potest. Ita Lessius, Concina, aliique (1).

(1) Ex S. Ligorio excusat paupertas si restituendo vitam decentem juxta statum suum debitor ducere non posset; *Azor. Sot. S. Anton. Navar. Laym. Salm. Croix*

Digitized by Google

Q. Num possit differri restitutio, quando non potest quis restituere sine damno aequali, quam sit damnum sui creditoris?

R. Minime, quia in tali casu melior est conditio creditoris, quam debitoris. Hinc tenetur debitor restituere, licet laboraret gravi necessitate restituendo, quando laboraret creditor eadem necessitate non restituendo. Ita communiter.

Q. Quid si debitor restituendo extrema laboraret necessitate, num teneatur ad restitutionem, si laboraret creditor eadem necessitate, si non fieret restitutio?

R. Non teneri ad restitutionem, quia in extrema necessitate omnia sunt communia, ideoque in casu melior esset conditio possidentis. Verum si pos-

et alii communiter; modo (intelligitur) debitor talem statum juste adquisiverit; nam si injuste adquisivisset furtis, aut fraudibus, ille teneretur ad restituendum, etiamsi casurus sit a suo statu, ut communiter DD. Praeterea intelligitur, ut dicunt *Castrop. Nav. Silvest. P. Laym. Croix* etc. modo debitor culpabiliter ludis, crapulis, etc. in talem necessitatem se conjecerit: sed hoc non obstante, semper ac debitor a suo statu juste adquisito casurus esset, mihi, et aliis Doctis durum videtur ad integram restitutionem illum obligare. Ceterum recte advertunt *S. Anton. Spar. Elbel* etc. quod in tali casu semper tenetur debitor expensas diminuere, ut possit restituere saltem quod potest.

Sed majus dubium est, an paupertas a restitutione excuset, cum dominus etiam esset pauper? hic oportet distinguere necessitatem extremam a gravi. Si debitor restituendo se aut suos (nempe filios parentes, aut uxorem) in extremam necessitatem conjecturus esset excusatur; quia tunc bonis quae restituturus esset utitur, non secus ac si jam in extrema necessitate constitutus esset, et hoc quamvis res aliena in sua specie existeret; et etiamsi rei dominus in eadem necessitate extrema reperiretur; quia in tali necessitate omnia sunt communia, ideoque in tali casu melior est conditio possidentis: sed recte excipiunt *Less. et Castrop.*, si accideret casus quod dominus rei ex illo particulari furto in extrema necessitate positus esset; dum dominus qui prius possidebat tunc praeferendus est. Sed si fur necessitate transacta teneatur ad restitutionem vide dicta *n. 19.*

Loquendo autem de gravi necessitate, si solus debitor est in gravi necessitate, aut si restituendo decidero debet a statu suo juste adquisito, bene potest ille restitutionem differre, ut dictum est *num.* praecedenti. Sed dubium restat, cum uterque, nempe debitor et creditor sunt in eadem gravi necessitate, an debeat fieri restitutio: et respondetur, quod si creditor jam in gravi necessitate reperitur, debitor restituere debet, licet in aequalem gravem necessitatem conjiciendus esset, quia in aequali necessitate praeferendus est creditor; ita communiter *Azor. Mol. Less. Laym. Spor. Salm. Croix* etc. Sed si debitor, et creditor in eadem necessitate gravi jam reperiuntur, adeo ut illud vitae sustentandae juxta eorum statum satis non sit, tunc aliqui dicunt debitorem teneri restituendo: saltem cum debitum est ex delicto, ut dicit *Ronc. Sed. Less. Castrop. Silvio, et Trull.* cum eodem *Ronc.* merito dicunt probabile esse in tali casu restitutionem posse differri, quia tunc debitor restituendo subjicere se deberet damno multo majori, dum ex gravi necessitate in quasi extremam prolabi deberet. Sed excipitur semper, si creditor propter illud furtum in particulari in illam gravem necessitatem lapsus est. Et excipitur si res in specie existeret. Advertendum hic tandem quod qui dubitat, an damnum, quod causavit sit leve, an grave, non tenetur compensare, nisi leve. Sed si res ablata existit, et dubitat an sit valoris gravis, an levis, tenetur sub gravi ad eam restituendam; aliter exponet dominum ad injuste subeundum damnum grave. Ad quid autem teneatur possessor bonae fidei, superveniente dubio quod res non sit sua, vide dicta *num. 73.* hujus *Tract. et Tract. I. num. 20. Homo apostol. loc. cit. §. 128.*

Digitized by Google

sit se eximere a tali extrema necessitate per aliquam partem, debet reliquam restituere, ad hoc, ut creditor ab ea se liberet. Porro si debitor conjecit creditorem in extremam necessitatem, v. g. clam abstulit, vel rapuit domino id, quod absolute necessarium ei erat ad vitam, tunc etiam tenetur debitor restituere, non obstante sua extrema necessitate (1).

Q. Num teneatur ad restitutionem, qui consumpsit alienum tempore necessitatis extremae, ea postea cessante?

R. Vel accepit ante extremam necessitatem, et dico teneri, quia obligatio restituendi ante necessitatem contracta, non videtur extincta per necessitatem supervenientem, sed suspensa. Vel accepit tempore extremae necessitatis, et videndum: vel accepit ex contractu dominium transferente, uti ex mutuo, emptione etc. et dico teneri, quia non dicitur fuisse in extrema necessitate, quia dicitur consumere rem propriam, non alienam; vel accepit contractu non transferente dominium, uti ex commodato, deposito etc., et dico non teneri, nisi re, vel spe proxima dives sit, qui accepit, quia res accepta in extrema necessitate censetur communis, ita ut non teneatur ex re accepta; quia res non extat, non ex injusta acceptione, quia licite accepit, neque ex contractu: quia isti contractus non obligant re pereunte, nisi culpa debitoris perierit. Hic autem nulla debitoris culpa interfuit. Si autem acceperis ex delicto, hoc est ex furto ante extremam necessitatem, licet postea in extrema necessitate consumas, teneris. Communiter.

Q. Privatio magni lucri ipsius debitoris estne causa sufficiens ad differendam restitutionem?

R. Minime, quia hoc non est revera pati damnum in rebus propriis, et aequitas non postulat, ut creditor rebus suis careat pro lucro debitoris. Salmanticenses tamen tenent, quod debitor in casu possit differre restitutionem, quando illud lucrum deservit ad satisfaciendum ceteris creditoribus, quibus alioquin non possit satisfacere; quia creditor in isto eventu non

(1) Ex parte autem ipsius debitoris excusatur ipse a restitutione 1. Si in damno causando culpam lethalem, non commisit, ut *n. 39.* diximus 2. Si restitutio pauperibus pro debitis incertis facienda esset, et debitor a Papa Compositionem obtinuisset, ut dictum est *n. 68.*, aut si ipse pauper esset, et sibi applicasset 3. Si restituere sine damno suo multo majore et duplo excedente nequiret, nam tunc recte restitutionem differre potest modo ex dilatione aequale damnum dominus passurus non esset, ut dictum est *n. 65.* Pro omissione vero lucri non potest debitor restitutionem differre ut recte dicunt *Salm.* Excipit *Beya*, si ex dilatione nullum passurus esset damnum creditor 4. Si restituere non posset debitor sine periculo animae suae, aut suorum v. g. si periculum subesset quod mulier, aut filiae prostituantur, aut se dent in latrocinia etc. ita *Less. Mol. Bon. Filliuc.* etc. 5. Si restituere sine vitae aut famae periculo non potest. Modo famae suae amissio damno creditoris praeponderet, ut *n. 99.* in fine 6. Si cedit bonis suis; nam leges debitori impotenti omnibus creditoribus suis satisfaciendo permittunt, ut sibi retineat quantum satis est ad se sustentandum juxta statum suum, cedendo illis reliqua sua bona, et ita ut liber sit pro eo quod solvendo non est, modo ad meliorem fortunam non perveniat *Lacum, et Tit. I. Qui bon.* etc., licet dicat *Laym.*, quod etiam ille in paupertate sua remanens, tenetur laborare, et adquirere quantum potest, ut satisfaciat. Notandum tamen talem cessionem locum non habere in debitis ex delicto; quamvis *Less. Navar., et Salon.*, etiam concedant furi cedere bonis retinendi sibi quantum ei ad victum satis est. *Ex S. Ligorio loc. cit. §. 117.*

Digitized by Google

censetur rationabiliter invitus, et tenetur ex caritate permittere dilationem restitutionis, quando absque suo incommodo potest.

Q. An qui habet justam causam suspendendi restitutionem, teneatur compensare damnum emergens, vel lucrum cessans sui creditoris?

R. Vel loquimur de debitis ex delicto, et dico teneri, quia non est par, ut creditor patiatur damnum ob delictum debitoris. Vel loquimur de debitis ex alio capite, puta ex re accepta, vel ex contractu justo, et dico non teneri, quia debitor ex contractu justo tunc tenetur damna compensare, quando fuit in mora solvendi culpabili. Quare si fuit in mora culpabili, tenetur ad lucrum cessans, et damnum emergens, quia ipse fuit injusta causa talis damni.

Q. Num cessio bonorum creditoribus facta a restitutione liberet?

R. Minime, quia solum ista excusat a dilatione restitutionis, non autem ab obligatione solvendi, nam cessio bonorum praestat solum, ut debitor non possit retineri in carcere, ut patet ex L. 1. C. qui bon. ced. poss. in qua habetur: *Qui bonis cesserint, nisi solidum creditor receperit, non sunt liberati; in eo enim tantummodo hoc beneficium cessionis prodest, ne judicati detrahantur in carcerem.*

Not. Cessio bonorum non habet locum in debitis ex delicto provenientibus: quia juris beneficium non meretur, qui delinquendo aliis nocuit, sed poenae severitatem, quin etiam verificatur illud L. 1. D. de poen.: *Qui non habet in aere, debet luere in corpore.*

CAPUT XVII.

De Causis, quibus extinguitur restitutionis obligatio.

Q. Quaenam sunt causae, quae tollunt restitutionis obligationem?

R. Sunt quatuor, scilicet, Condonatio, Compositio, Compensatio, et Praescriptio.

§. I. *De Condonatione*

Q. Quid est condonatio?

R. Condonatio est remissio debiti facta debitori a creditore, vel quoad totum, vel quoad partem debiti. Quod tollatur obligatio restitutionis per condonationem clare patet, quia remissio creditoris aequivalet solutioni. Ita communiter, et D. Thomas 2. 2. qu. 72. art. 8. Advertendum tamen, quod condonatio potest esse vel expressa, quando scilicet expressis verbis fit, vel tacita, puta si scripturam debiti dilaceravit. L. *Si Chirographum.* D. de probat. vel ante factam solutionem, scripturam debiti ultro debitori reddit, nisi tamen hoc factum sit per errorem, vel per aliam causam.

Q. Quaenam conditiones requiruntur ad validam condonationem?

R. Duas requiri, scilicet, ut sit omnino libera, et voluntaria, et non sit a jure impedita.

Defectu primae conditionis nulla est remissio debiti facta per ignorantiam, vel per errorem, per vim, aut metum, vel per fraudem extorta. Defectu secundae conditionis, est nulla condonatio facta I. A visitatis facta

Digitized by Google

visitatoribus Ecclesiae, modo non sit de iis, quae sunt necessaria ad vitam pro illis diebus, quibus visitant. In quo casu visitatores tenentur restituere duplum intra mensem, non obstante quacumque remissione iis facta sponte. *Secus Episcopi, Archiepiscopi, etc. duplum ipsum, ultra praedictum tempus restituere differentes, ingressum sibi Ecclesiae sentiant interdictum. Inferiores vero ab officio, et beneficio noverint, se suspensos, quousque de duplo hujusmodi gravatis Ecclesiis plenariam satisfactionem impendant, nulla eis in hoc dantium remissione liberalitate, seu gratia valitura.* Ita rescripsit Gregorius in Cap. *Exigit.* 2. de censibus, ex exact. in VI.

II. Condonatio facta ab inquisito inquisitori praetextu inquisitionis, Clement. *Nolentes* 2. de Haeretic. III. Condonatio distributionis facta Canonico, qui Choro non interfuit, Trid. sess. 24. Cap. 12. de reformat. IV. Condonatio facta judici delegato, qui ex causa accessus aliquid accepit a partibus, praeter esculenta, et poculenta, et expensas necessarias cap. 11. de rescript. in VI. Et denique condonatio facta ab eis, qui legitimam administrationem bonorum non habent.

Q. An valida sit condonatio partis debiti, facta ob timorem totum amittendi creditum?

R. Vel fuit facta per metum, aut fraudem debitoris, et dico esse nullam; quia non est omnino voluntaria, nam in contractu gratuito requiritur omnino libertas. Vel fuit facta absque metu, aut fraude ex parte debitoris et dico esse validam, quia est libera: dummodo hujusmodi metus proveniat ex parte creditoris, qui ob inopiam debitoris inducitur ad condonandum; aliter est nulla.

Q. An remissio facta uni ex concurrentibus cum conspiratione ad damnum alterius, sit causa sufficiens excusandi alios a restitutione?

R. Vel fuit facta principali, puta mandanti, et dico alios excusari, quia minus principales tenentur in defectum principalis. Vel fuit facta uni ex secundariis, puta consultori, laudatori etc., et dico non excusari alios minus principales, licet non teneantur ad partem condonatam; quia isti tenentur in defectum mandantis, aut executoris pro rata, et unus in defectum alterius. Si vero facta fuit concausis negativis, tenentur tunc concausae positivae, juxta ordinem. Ita Layman, Salmanticenses, aliique.

§. II. *De Compositione*

Q. De quibus bonis fieri potest compositio?

R. De bonis certis, scilicet iis, quorum dominus scitur, et de bonis incertis, quorum dominus ignoratur.

Q. Quid est compositio de bonis certis?

R. Est amicabilis conventio debitoris cum creditore, remittente ei debiti certi partem. Quae liberat a restitutione ulterius facienda partis jam remissae, modo libera sit, et voluntaria, et non a Jure impedita. At si debitum non est certum, et liquidum, sed controversum, si sequatur conventio, non dicitur compositio, sed transactio, quae definitur: *Pactio non gratuita de re dubia, et controversa.*

Haec etiam liberat ab ulteriori restitutione, dummodo sit etiam voluntaria, et omnino libera, et non sit a jure impedita.

Digitized by Google

Q. Quid est compositio de bonis incertis ?

R. Est facultas obtenta a Summo Pontifice, qua debitor possit sibi applicare bona incerti creditoris.

Q. Num compositione obligatio tollatur restitutionis ?

R. Tollitur, quando loquimur de bonis incertis, scilicet de illis, quorum dominus, ejusdemque haeredes ignorantur, quia ista bona sunt ponenda in capsa incertorum, de jure Ecclesiastico, in quo potest Summus Pontifex dispensare, et consequenter facere, ut debitor sibi per compositionem retineat bona incerta, et ab eorum restitutione eximatur, accedente justa, et gravi causa, aliter non potest sibi retinere, et non eximitur ab onere restitutionis. Hinc debet impendere in usus pios, vel in pauperes.

Q. An Summus Pontifex possit facere compositionem de bonis certis, seu de bonis, quae habent dominum, et dominus cognoscitur ?

R. Non posse, tum quia Pontifex non est dominus bonorum Fidelium, tum quia quod debitum est Jure Naturae, non potest tolli per legem positivam, ideoque Jure Naturae, debita certa sunt domino restituenda, et non potest per compositionem a Pontifice obtentam tolli restitutionis obligatio, nisi forte adsit gravis, et justa causa. Ita Lessius, aliique.

Q. Applicatis bonis sibi per compositionem, uti mox dictum est, si comparet dominus, teneturne ad restitutionem ?

R. Maxime, etiamsi omnimodam adhibuerit diligentiam, antequam compositionem obtinuerit, quia Summus Pontifex componit sub conditione, si revera dominus non extet, seu non appareat. Quare domino comparente, tenetur restituere ei rem suam, si extet, vel aequivalens.

§. III. *De Compensatione*

Q. Quid est compensatio ?

R. Ita definitur a Modestino in L. 1. D. de compensat.: ***Est debiti, et crediti invicem inter se contributio*** (1).

Q. Num compensatione restitutionis obligatio tollitur ?

R. Maxime: patet ex L. 3. D. eod. tit., nam compensatio, solutionis instar esse censetur; hinc debitor facta compensatione per creditorem, ad restitutionem amplius non tenetur.

Q. Quaenam sunt conditiones, quae requiruntur ad compensationis validitatem, ita ut, qui facit compensationem, licet peccet, non tenetur tamen ad restitutionem pro re in compensationem accepta ?

R. Plures I. Ut debitum sit certum, et liquidum : quia in dubio nullus spoliandus jure sibi quaesito, cum in dubiis melior est conditio possidentis: II. Ut sit debitum ex justitia commutativa: hinc cum debitis ex caritate non debent compensari debita ex justitia. III. Ut tantum accipiat creditor, quantum est debitum, quia aliter non servaretur aequalitas, quam justitia exigit. IV. Ut fiat compensatio de bonis, quae debitoris sunt, sicut debitor

(1) Jure novissimo Cod. LL. Civ. confirmatur quod Jure Romano cautum, compensationem nempe locum habere quando debitum, et creditum inter easdem personas sit mutuum art. 1243: ac proinde ex eo momento, quo inter eas debitum natum, vel utrumque expiret, vel alterum usque ad concurrentem summam ipso jure minuatur: art. 1244.

Digitized by Google

non potest solvere debita, nisi de bonis propriis: ita creditor non potest compensationem facere, nisi de bonis debitoris. V. Ut debitum sit actuale, et praesens, unde debito futuro non potest fieri compensatio. VI. Ut fiat sine injuria tertii, qualis esset si acciperetur res alteri commodata, locata, oppignorata, deposita etc., nam iste talis habet jus rem illam ad suum usum, vel securitatem detinendi, vel custodiendi.

Q. Quaenam conditiones requiruntur ad licitam compensationem; ita ut, qui facit compensationem, neque ad restitutionem teneatur, neque peccet?

R. Praeter supradictas requiri alias duas. I. Ut compensatio non sit in damnum debitoris, vel alterius, et ideo creditor facta compensatione, tenetur ex caritate monere debitorem, ne debito iterum cogatur solvere, et ne maneat in mala fide, sicuti etiam ne imputetur alteri in furtum compensatio. II. Ut non possit alia via suum recuperare, nisi per compensationem; quia aliter violatur justitia legalis, quae vult, ut nemo sibi jus dicat, sed Judicem adeat legitimum, cum commode possit. Ita communiter. *Addenda III. Modo absit scandalum.*

Q. Num dentur aliqui casus, in quibus ex dispositione juris nullo modo compensatio permittitur?

R. Maxime, et I. est quando debetur aliquid Civitati ratione vectigalium, aut tributi, nam hoc debet solvi non apposita exceptione alterius a Civitate debiti, L. *In ea* C. de compensat. II. Est quando debetur aliquid debitori ratione depositi, vel commodati; depositarius enim, et commodatarius tenetur restituere, et non potest uti compensatione ad suum recuperandum cap. *Bona fides* ult. de deposit., L. ult. C. de compensat., et L. ult. C. commodat. III. Quando quis tenetur ratione furti, vel rapinae, dict. L. ult. de compensat., ubi dicitur: *Possessionem alienam perperam occupantibus compensatio non datur:* nempe non potest fieri compensatio de rebus furto, vel rapina acceptis (1).

Verum in hisce tribus casibus valet compensatio in foro conscientiae, si alia via non possit quis suum recuperare, vel non sine magna difficultate, modo Judex non praecipiat, nec beneficio compensationis renuntiaverit.

Q. Quid si quis faciens justam compensationem, damnum tertio inferat, quantus putatur, quod iste furatus sit rem illam?

R. Quod teneatur abstinere a compensatione ex praecepto caritatis, nam quamvis hoc damnum tertio sequeretur per accidens, tenetur tamen ille ex caritate, cum possit illud impedire.

Q. An qui promittit alteri soluturum debitum, et non usurum compensatione, huic teneatur stare promissioni?

R. Maxime, quia promissio de re licita, et possibili, qualis est ista, jure naturae obligat, nisi promissarius nimis abuteretur. Ita communiter.

(1) Jure novissimo Cod. LL. Civ. art. 1247. cautum compensationi locum non esse:

1. quando dominus rem suam vindicet, a qua injuste fuit dejectus.
2. quando res deposita, vel commodata petatur.
3. quando debitum ex praestatione alimentorum oriatur, quae expresse sequestrationi minime obnoxia declaretur.

Digitized by Google

Q. Num servi domestici possint aliquid surripere dominis pro sui laboris compensatione, quem existimant salario majorem ?

R. Minime, tum quia possunt se hallucinari, tum quia debitum non est certum, tum quia agerent contra pactum, nam consenserunt in pretium minus. (1).

Q. An dantur casus, in quibus isti possunt uti compensatione ?

R. Maxime, et I. est quando intercessit consilium peritorum puta Confessarii, viri probi etc. II. Quando dominus non solvit salarium ex pacto debitum. III. Quando servus a domino recepit merces pro pecunia, quas est coactus viliori vendere pretio. Haec resolutio intelligitur de compensatione justa jam facta, non de facienda, nam nullus prudens Confessarius debet dare poenitentibus ejusmodi consilium, quod scandalum pareret, et occasionem furtorum in famulis.

Q. An pauperes, qui necessitate compulsi adiguntur ad inserviendum parvo pretio, possint sibi aliquid compensare ?

R. Posse usque ad pretium justum infimum, quia qui conducit famulatum alienum, consentire tenetur in leges conductionis, quae exigunt pretium justum, quod ad minus est infimum. Quod est verum si non reperiantur alii, qui inservirent eodem pretio; nam in tali casu non possunt servi ex necessitate compulsi, qui se obligarunt ad inserviendum minori pretio, aliquid sibi compensare, quia pretium decrescit ob servorum multitudinem. Item compensare non possunt si domini non indigentes opera eorum, sed rogati, illos ad sui famulatum receperint, quia sicuti merces, ita et operae ultroneae vilescunt. Praeterea, si domini exiguitatem pretii, seu salarii aliunde compensent. Verum prae oculis habeatur quod dictum est in praecedenti quaesito.

Q. Quid de famulo qui vi, aut metu compulsus consensit in salarium inaequale, num possit sibi compensare etiam usque ad infimum pretium?

R. Maxime posse compensare usque ad pretium medium justum, quia in tali casu facile reportaturus esset stipendium justum medium, si talis metus abesset. Ita Lessius, Molina, aliique.

Q. Num debitor liberetur a restitutione, si restituat, quod debet, creditori sui creditoris ?

R. Quando utrumque debitum est ob eandem causam contractum, uti si ego conduxi domum a Titio, quam is a Cajo ante conduxerat, hoc casu pensio a me constituta, et obligata Cajo primo locatori in defectum Titii primi conductoris; quare si solvam Cajo, liberatus sum a Titio, L. *Utrum praesente* D. de constit. pecun., quia nulla creditori injuria irrogatur; quum potius utiliter ejus negotium agitur. Ita Salmantic., asserentes hanc sententiam esse communem.

Dixi, *quando utrumque debitum est contractum etc.*, quia si sit contractum ob diversam causam, dicendum, non esse certum apud Doctores, num debitor liberetur a restitutione. Tamen Less., Layman, Salmantic.,

(1) Jure fuit damnata ab Innocent. VI. uti scandalosa, et quatenus aperiebat pluribus furtis viam, Proposit. 37., cujus haec sunt verba: *Famuli et famulae domesticae possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.* Idem dicendum est de Officialibus Civitatis, Opificibus, Operariis, Sartoribus etc.

Digitized by Google

aliique affirmant; quia sic solvendo, nullum damnum infertur proprio creditori, cum liberetur a debito, quo respectu sui creditoris tenebatur obstrictus. Attamen eum forte probabilius alii autumant, non liberari ab onere restitutionis, inspecto jure gentium, et jure positivo; nam Jure gentium debitum debet exhiberi creditori, qui est dominus, Jure civili damnatur ad iterum solvendum domino. Cunil., Concina.

Confirm: quia creditori non solvendo, ejus jus laedi potest, quatenus rationes ei suppetere possunt vel non solvendi, vel saltem differendi restitutionem.

Q. Num ingressus in Religionem liberetur a restitutione?

R. Minime, ita ut si quis sit obstrictus pluribus debitis, differre teneatur ingressum Religionis, quando potest paucis annis, et consueto labore solvere debita, saltem magna ex parte, quia aliter creditores essent rationabiliter inviti. Ita communiter.

Q. Num professio emissa a pluribus debitis obstricto valeat suis contradicentibus creditoribus?

R. Quamvis fuerit annullata a Xysto V., tamen hoc decretum fuit a Clemente VIII. revocatum. Hinc hodie valet professio. Neque dicas: quod non valet professio religiosa mancipii, neque uxorati, quia ille obligatus est domino suo, hic vero uxori suae; ergo nec professio debitoris, quia iste obligatus est creditoribus suis. Nam respond., non valet professio priorum quia obligati sunt secundum propriam personam, ideoque Religioni iterum se obligare non possunt. At debitor non est obligatus suis creditoribus secundum propriam personam, sed secundum res adquisitas, vel adquirendas, unde valide, licet illicite ingredi potest Religionem, et profiteri.

Q. An ille, qui debitis obstrictus Religionem ingreditur, et profitetur, adhuc remaneat obligatus?

R. Cum Divo Thom. 2. 2. q. 89. art. 6. ad 3. posse solutis prius debitis, vel omnibus, quae possidet, creditoribus exhibitis, dummodo non ingrediatur, neque profiteatur in fraudem creditorum: et si ut solvat creditoribus, necesse sit aliquantulum differre ingressum, debet differre. Si vero nulla affulgeat spes habendi, unde solvat omnia debita, neque tenetur differre: sicuti etiam si ob aeternam ejus salutem, ingredi, et profiteri debet in Religione. His prae oculis habitis gravatus aere alieno potest ingredi Religionem, et profiteri, ac tandem ingressus, et professus ad nihil aliud tenetur, cum ejus persona Deo sacrata sit, nempe non tenetur laborare, aliudque lucrum quaerere, ut creditoribus satisfaciat. Si autem Religio promisit se soluturam esse pro illo, tenetur ipsa: vel si ipsi professo obventura sit haereditas, vel legatum; nam ex hisce, quando obvenerint, detracta parte creditorum, reliquum cedat Religioni, idque aequum est Jure Naturae. Verum advertant Superiores Religionum, ne admittant ejusmodi aere alieno gravatos. Concina ceterique.

§. IV. *De Praescriptione*

Q. Quid est praescriptio?

R. *Est adquisitio dominii, seu adjectio dominii rei alienae vel alieni*

Digitized by Google

juris peremptio, per continuationem possessionis tempore, et modo a legibus definito.

Dixi *peremptio alieni juris*, nam per praescriptionem, seu usucapionem eliditur etiam jus alienum, seu adquiritur jus aliquod, quod antea alteri competebat.

Q. Quare fuit introducta praescriptio?

R. Ob varias justas caussas, nam I. Ob bonum publicum, ne rerum domina diu, et fere semper essent incerta, L. *bono publico* I. D. de usurpat. et usucap., et ibi habetur: *bono publico usucapio introducta est, ne scilicet quarundam rerum diu, et fere semper incerta dominia essent, cum sufficeret dominis ad adquirendas res suas statuti temporis spatium.* II. Ut praecidantur innumerabiles, et perpetuae lites, quae ceteroquin oriri possent, L. *Usucapio* 5. D. pro suo. III. Ne rerum possessores prope immortali timore teneantur, L. 7. C. princ. de praescript. 30, vel 40 annorum; in perpetuo enim timore essent, ne res ab ipsis possessae evincerentur. IV. Ut segnities, ac desidia hominum, qui res suas, ac jura in judicio persequi negligunt, exacuatur, dum ea punitur ademptione dominii, L. *Ut perfectius* 2. C. de annal. except. Unde sibi imputare debet negligens, L. *quod quis*, D. de R. J.: Jura enim subveniunt vigilantibus, et non dormientibus, L. *Non enim* D. ex quib. caus. major. etc.

Q. Praescriptione adquirituine dominium in foro conscientiae?

R. Maxime, nam praescriptio, seu usucapio valida, et licita est, nedum in foro externo, sed etiam in interno, seu conscientiae, ideoque qui aliquam rem legitime praescripsit, non teneatur ad ejus restitutionem, ne quidem in foro conscientiae, quamvis post legitime completam praescriptionem, certo cognoscat rem illam antea fuisse vere alienam, ut patet ex cap. *Vigilanti* 5. de praescript. Vid. Fagnan. in Cap. *Si quis* n. 50. de regular. Ratio est quia translatio dominii facta auctoritate legis publicae justae, justa et licita est, sed in praescriptione, seu usucapione legitime completa intervenit talis translatio dominii; ergo justa et licita est, etiam in foro interno.

Q. Quaenam conditiones requiruntur ad praescriptionem?

R. Plures, scilicet bona fides, continuata possessio, justus titulus, tempus a lege definitum, et tandem, ut res sit capax praescriptionis (1).

Q. Quinam titulus sufficit ad praescriptionem?

Titulus duplex est, verus, et coloratus. Verus, est causa specialis, ex qua dominium de facto transfertur actualiter accedente traditione, ubi non est necessaria praescriptio, uti si verus dominus donet mihi suum equum Secundus est causa sufficiens suapte natura ad transferendum dominium, licet ob defectum occultum ex parte tradentis non transferatur, ut si quis mihi donat equum alienum. His dictis.

R. Sufficere titulum coloratum, quia titulus verus sufficit sine praescriptione ad transferendum dominium, secuta traditione; hinc cum in lege requiratur titulus verus ad praescriptionem, ut patet ex L. ult. C. de usucap., pro haered., et L. *nullo* C. de rei vind., ibi. *Nullo justo titulo prae-*

(1) Isthaec omnia penitus confirmantur Jure novissimo Cod. LL. Civ. art. 2135. et seq.

Digitized by Google

cedente possidentes ratio juris quaerere dominium prohibet, intelligitur causa sufficiens ad transferendum dominium, licet sit invalida ob aliquem defectum occultum, uti titulus pro empto, pro donato, pro legato etc., ex quo colligitur titulum coloratum sufficere ad praescriptionem, non autem verum.

Q. Num absque titulo dare possit praescriptio?

R. Maxime, sed tempore extraordinario, puta per 30. annos. L. *sicut in rem* C. de praescrip. 30. vel. 40. annorum: nam saepe tituli obliviscimur, et inter res nostras plura habemus, quae ignoramus, an emptione, donatione, vel haereditate possideamus, sed tunc accedit titulus praesumptus, loco tituli colorati.

Bona fides, quae requiritur in praescriptione, aliud non est nisi sincera rei alienae ignorantia, hoc est illa, qua quis probabiliter, et prudenter existimat rem quam possidet, ad se pertinere. Haec semper est necessaria ad praescriptionem, ut patet tum ex Jure Civili, tum ex jure Canonico, ita tamen, quod jus civile requirit ab initio ad inchoandam praescriptionem, bonam fidem, L. unic. C. de usucap. transform. Jus vero Canonicum requirit bonam fidem, toto illo tempore, quo currit praescriptio, Cap. *Vigilanti* 5, et Cap. *Quoniam* 20 de praescript., et ibi habetur: *Unde oportet ut qui praescribit, in nulla temporis parte rei notitiam habeat alienae.* Hinc possessor malae fidei, quamvis per centum, et mille annos possederit rem alienam, nunquam poterit, eam praescribere. Ita DD. omnes ex cit. Cap. *Vigilanti* de praescript.

Q. Quaenam possessio requiritur ad praescriptionem?

R. Solam possessionem civilem requiri, non autem naturalem, quia ad praescriptionem requiritur ut sufficiat talis possessio, ex qua sequi possit translatio, sive adquisitio dominii. L. 25. D. de usucap., et usurpat., sed ex sola possessione civili, sine naturali sequi potest translatio, sive adquisitio dominii, ergo etc. Quod non requiratur possessio naturalis in praescriptione, patet ex dict. L. 25. D. de usucap. etc. et L. 10. §. ult. D. de adq. rer. dom., quia in possessione naturali deest animus possidendi rem, ideoque non potest esse subjecta praescriptioni, nam talis possessio apud fures reperitur: sicuti etiam non possunt praescribere, qui detinent rem alieno nomine, puta Conductores, Tutores, Depositarii etc.; quia isti licet possideant rem, ista tamen possessio naturalis est.

Q. Quanti temporis spatium requiritur ad praescribendum?

R. Vel loquimur de praescriptione rerum mobilium, et requiritur spatium trium annorum, vel de praescriptione rerum immobilium, et requiritur spatium decem annorum inter praesentes, viginti inter absentes, §. I. Instit. de usucap., ubi haec habentur: *Cautum est res quidem mobiles per triennium, immobiles vero per longi temporis possessionem* (idest inter praesentes decennio, inter absentes viginti annis) *usucapiantur;* et unic. L. C. de usucap. transf.

Praeterea tam res mobiles, quam immobiles privatorum sine titulo, sed cum bona fide praescribuntur 30. annis. Ita communit. per textum in L. *sicut in rem* 3. C. de praescript. 30., vel 40., annorum, ubi generaliter dicitur: *si quae res, vel jus aliquod postuletur, vel persona qualicumque actione, vel persecutione pulsetur, nihilominus erit agenti* 30 *annorum*

Digitized by Google

praescriptio metuenda: concordat etiam Cap. *Sanctarum* 3. de praescript. Res vero furtivae in manu tertiae personae bona fide adquisitae, spatio 30 annorum praescribuntur. Antoine, Stampò.

Res immobiles Ecclesiae Romanae non praescribuntur, nisi spatio 100, annorum, Can. *Nemo* caus. 16. q. 4., Cap. *Sed audientiam*, et Cap. *Cum vobis* 14. de praescript. Cap. *Si quis* 2. tit. eod. in VI., Authent. *Quas actiones*, C. de sacros. Eccles., ubi habentur: *Quas actiones alias decennalis, alias vicennalis, alias tricennalis praescriptio excludit. Haec si loco religioso competant, quadraginta annis excluduntur; usucapione, triennii, vel quadriennii praescriptione in suo robore durantibus, sola Romana Ecclesia gaudente centum annorum spatio, vel privilegio.*

Res immobiles aliarum Ecclesiarum inferiorum, et aliorum locorum piorum, seu caussarum piarum praescribuntur spatio annorum 40., cap. *De quarta* 4. et Cap. *Ad aures*, Cap. *Illud autem* 8., et Cap. *Quia judicante* 9. de praescript. At ordo S. Benedicti ex concessione Eugenii IV., et omnes alii gaudentes eorum privilegiis, gaudent praescriptione sexaginta annorum. Res vero mobiles Ecclesiarum, aliorumque piorum locorum, cum titulo, et bona fide praescribuntur triennio, Less. de just. et jur. lib. 2. cap. 6. n. 22., Layman lib. 3. Tract. 1. cap. 8. n. 13., aliique; et ratio hujus communioris sententiae desumitur ex dict. authent. *Quas actiones* C. de sacros. Eccles., ubi locis religiosis conceditur privilegium praescriptionis quadragenariae; sed cum addita limitatione, illis verbis: *Usucapione triennii, vel quadriennii praescriptione in suo robore durantibus* (1).

Q. Quinam dicuntur praesentes, et quinam absentes?

R. Praesentes dici illos, qui in eodem Territorio morantur, vel in eadem Civitate. Absentes, qui morantur in diversis Territoriis, seu Civitatibus. Ita communit. per textum in L. *Cum in longi temporis praescript.* 12. C. de praescript. long. temp. (2).

(1) Jure novissimo Cod. LL. Civ. art. 2168. sancitum omnes actiones tum reales, tum personales spatio xxx. ann. praescribi.

Si vero possessor bona fide, et justo titulo res immobiles x. ann. inter praesentes detineat, illarum proprietatem praescribit: xx. vero, si inter absentes: art. 2171. Illud tamen meminisse ne pigeat, possessorem nempe rei immobilis ex titulo nullo ratione formae praescriptione x., vel xx. ann. minime gaudere: art. 2173.

Tum quaevis actio minoris adversus tutorem, quae gestionem tutelae respiciat eliditur spatio elapso x. ann., qui utique a sua majori aetate decurrunt: art. 398.

Item quaevis actio ad contractus nullitatem, vel rescissionem in foro declarandam infra x. ann. spatium instituenda, dummodo alia lex specialis temporis brevius intervallum non designet: art: 1258.

Praeterea annui redditus sive perpetui, sive temporarii, necnon alimentariae praestationes, fructus civiles, qui ex mutuo, vel praediis tum rusticis, cum urbanis percipiuntur, quinquennali praescriptioni subjacent; art. 2183.

Quod vero res mobiles spectat: ipsamet possessio ut titulus agnoscitur; art. 2185. Qui vero illas amiserit, vel ipsi eae raptae fuerint, intra triennium a tempore amissionis, vel furti decurrendum, vindicare potest: art. cit. 2185.

Denique aliae extant praescriptiones biennii, anni, et sex mensium, quas videsis Cap. V. Sect. IV. art. 2177. et seq.

(2) Jure novissimo Cod. LL. Civ. art. 2171. cautum praesentes existimari, qui intra territorium ejusdem Magnae Curiae jurisdictioni subjectum, in quo praedia extant, suum domicilium habent: absentes vero qui extra illud territorium morantur.

Digitized by Google

Q. Quid dicendum, quando Dominus partim sit praesens, et partim absens?

R. Annos absentiae esse duplicandos, h. e. necesse tot annos esse adjectos, quot abfuit dominus, ita ut duo absentiae computantur tantum pro uno anno praesentiae. Hinc si quis bona fide possedit rem alienam immobilem spatio sex annorum inter praesentes, requiruntur adhuc octo anni ad illam praescribendam, si dominus postea fuerit absens. Authent. *Quod si* C. de praescript. long. temp.

Q. Quid dicendum de bonis Fisci?

R. Bona tum mobilia tum immobilia Fisci, quae scilicet Fisco incorporata sunt, non praescribuntur, nisi spatio quadraginta annorum, L. *Omnes* 4., et L. *Comperit* C. de praescript. 30., vel 40. ann., et L. *Jubemus* ult. C. de Fund. patr. Vel non sunt adhuc Fisco incorporata, sed bona sunt vacantia hoc est quae heredem non habent, et bona tunc praescribuntur spatio quadriennii, modo bona fide possideantur L. *Quamvis* D. de usurpation., et usucap., et L. 1. C. de quadriennii praescript. *Idem spatium requiritur pro bonis patrimonialibus, sive privatis Principis.*

Q. Quid de debitis, et actionibus?

R. Debita omnia adversus civiles actiones tum reales, tum personales cum bona fide, saltem longissimo tempore 30. annorum praescribuntur. Ita communiter per textum in L. *sicut in rem* C. de praescript. 30., vel 40. annorum. Excepta tamen actione hypothecaria, *et actione, de qua lis est semel contestata* quae spatio 40. annorum tollitur, L. *Cum notissimi* 7. C. de praescript. 30. vel 40. annorum. Actio vero, seu accusatio criminis tollitur spatio 20. annorum, computando hoc tempus a die commissi criminis, L. *Querela falsi* 12. C. ad L. Cornel. de fals., et L. *Quacumque* 3. D. requirend. reis. Excipe adulterium, L. *Mariti* 29. §. et seq. D. ad L. Jul. de adult. et Peculatum, L. *Peculatus* 7. D. ad L. Jul. peculat., in quibus quinquennii spatio praescriptio absolvitur.

Q. Quid dicendum de illo, qui aliquid accipit bona fide, a malae fidei possessore?

R. Vel iste accipit aliquid titulo hereditatis a possessore malae fidei, et dico nunquam posse praescribere, quia heres cum defuncto, fictione juris, censetur una persona, ideoque una possessio, L. 11. D. de divers. temp. praescript. Vel ab alia persona aliquid accipit, praeter hereditatem, bona fide, a possessore malae fidei, sed aliquo alio titulo, puta emptione, donatione, legato etc., et dico posse praescribere tempore ordinario. Ita communiter, et L. 5. D. de divers. temp. praescript.

Q. Num heres possit praescribere rem a testatore prius mala fide possessam?

R. Vel heres est immediatus possessori malae fidei, et dico non posse, quia heres fictione juris cum defuncto una persona reputatur, textu expresso in dict. L. 11. D. de divers. temporib. praescript. ibi: *Cum haeres in jus omne defuncti succedit ignoratione sua defuncti vitia non excludit.* Vel est heres mediatus, hoc est heres hujus heredis, et dico posse praescribere etiam tempore ordinario, si bona fide vera prior heres possederit. Idem dicendum de haerede particulari, quia haeres particularis non succedit in omnia jura defuncti. Lessius, Layman, aliique.

Digitized by Google

Q. Num possessor, qui rem legitime praescriptam ex ignorantia juris priori domino restituit, nihil excipiendo, possit illam, tamquam indebite redditam, repetere ?

R. Maxime, nam Juris ignorantia, licet non excusat, cum agitur de adquirenda re, excusat tamen, dum agitur de damno rei adquisitae, L. 7. D. de juris, et fact. ignor. Cum ergo per usucapionem rem sibi adquisierit, et restituendo propter juris ignorantiam damnum sibi intulerit, sequitur, quod rem taliter restitutam repetere potest, tamquam solutum naturaliter, et civiliter indebitum.

Q. Num detur aliquod remedium ad recuperandam rem temporis diuturnitate praescriptam ?

R. Maxime, nam datur beneficium restitutionis in integrum, quod est remedium juris, quo Judicis auctoritate dominium praescriptione amissum recuperatur. Hoc beneficium restitutionis competit. I. Minoribus per continuum quadriennium, a die, quo majores facti sunt. II. Ecclesiis, aliisque piis locis, ut res ab altero, et etiam ab altera Ecclesia, vel loco pio, quamvis longissimi temporis 30., vel 40. annorum usucapione, amissas recuperari possit, continui quadriennii spatio, quod numerari debet a die, cum, re intellecta, Ecclesiae integrum fuit restitutionem petere. L. unic. si advers. usucap., L. *Supervacuum* 7. C. de temp. in integrum restit. et Cap. *Ecclesia* de restit. in integr. in 6.

Q. Num possunt omnia praescribi ?

R. Minime, nam res sacrae, uti Ecclesiae, jura spiritualia, jura conferendi beneficia Ecclesiastica, nullo unquam modo praescribi possunt a Laicis, Cap. *Causam* 7. de praescript., et §. *Sed aliquando* Instit. de usucap.: sicut etiam homo liber, *exemptio subditi a Superioris obedientia, et visitatione, quandiu manet subditus*, res publicis usibus destinatae, uti forum, via publica etc. item bona pupillorum, L. *Bonae fidei*, conjuncta Glossa D. de adq. rer. dom., contra aetatem enim pupillarem non currit praescriptio, L. *Sicut in rem* C. de praescript. 20., vel 40. annorum: *res furtivae in manu furis ex L. XII.* tabularum, *et res vi possessae* ex L. Julia (1).

Q. Quotuplici modo interrumpitur praescriptio ?

R. Duplici, scilicet naturaliter, puta quando amittitur bona fides, vel civiliter, si lis possessori moveatur, et coram legitimo Judice contestetur: si tamen actor litem deserat, vel in ea succumbat, non consetur interrupta praescriptio.

Q. Num aliqua detur disparitas inter interruptionem, et dormitionem praescriptionis ?

R. Maxime, nam per interruptionem tempus praeteritum praescriptionis non amplius computatur, ita ut denuo debeat inchoari praescriptio, cessante impedimento; per dormitionem vero tempus praeteritum, cessante impedimento, computatur.

Q. Quibus de causis praescriptio dormit ?

R. Pluribus, I. Quando judicia exerceri nequeunt, uti tempore belli,

(1) Jure novissimo Cod. LL. Civ. art. 2132. confirmatur quod Jure Romano cautum, rerum scilicet proprietatem, quae in commercio non extant, praescriptioni non esse obnoxiam.

Digitized by Google

petis etc. II. Cum Ecclesia careat Episcopo, vel Rectore, vel inutilem habet. III. Quando is, contra quem praescribitur, non potest jus suum prosequi, uti v. g. filiusfamilias respectu bonorum adventitiorum; uxor respectu bonorum dotalium. Ita Lessius., Stampò, aliique (1).

PARS ALTERA.

De Restitutione in particulari

Exposui hactenus generatim acceptae restitutionis principia. In hac parte quaedam peculiaria capita, unde onus restitutionis proficiscitur, breviter enucleanda; nam de criminibus homicidii, duelli, abortus, aliorumque, satis dictum est in Tractatu quinto, de Decalogi praeceptis, et de delictis carnalibus, satis in Tractatu de peccatis.

CAPUT I.

De Delictis ex quibus oritur restitutionis obligatio

Obligationes justitiae duplici ex capite nascuntur, aliae ex contractu, aliae ex delicto, ut ait Aristot. 5. Ethic. Cap. 2. Primae dicuntur voluntariae, quia libera contrahentium voluntate suscipiuntur. Secundae dicuntur involuntariae, quia quis invitus suscipit, non secus, ac quis suscipit poenam. Porro delictum, unde oritur alteri damnum, quod compensandum est, vel afficit bona externa fortunae, uti furtum, rapina, vel bona externa honoris, ac famae, uti detractio, contumelia etc., vel denique bona corporis, uti homicidium, mutilatio, stuprum etc. Quare de his ordinatim agemus.

§. I. *De Furto, et Rapina*

Q. Unde dicitur furtum?

R. Dicitur a *furvo*, id est *nigro*, eo quod clam, et in obscuro fiat, et plerumque de nocte, uti dicitur in L. 1. princ. D. de furtis,

(1) Jure novissimo Cod. LL. Civ. art. 2158. cautum quod praescriptio non decurrat adversus minores, et interdictos, iis casibus exceptis, qui in art. 2184. recensentur, necnon in aliis casibus a Jure designatis.

Item inter conjuges constante matrimonio quoad praedii dotalis alienationem: art. 2161.

Tum in nominibus, quae conditionibus sunt obnoxia, nisi conditio ipsa extiterit: in actionibus causa fidejussionis, nisi evictio locum habeat: et in nominibus in certum diem, nisi dies extiterit: art. 2163.

Rursus adversus heredem, qui Inventarii beneficio gaudet quoad nomina, quae adversus hereditatem possidet: art. 2164.

Praeterea manente conjugio praescriptio etiam suspenditur.

1. Quando mulier actionem suam instituere nequeat, nisi prius bonorum communionem acceptet, vel repudiet.

2. Quando vir, licet suae uxoris bona distraxerit nullo accedente ejus consensu, ipsam tamen ejusdem alienationis securam reddit: demum in ceteris casibus, in quibus possit mulier omnia jura contra virum vindicare: art. 2162.

Digitized by Google

Q. Quid est furtum?

R. Est occulta, et injusta rei alienae ablatio invito rationabiliter domino, vel ejus detentore, seu justo possessore. Ita communiter apud Doctores, et concordat Textus in L. 1. §. ult. D. tit. eod. ibi: *Furtum est contrectatio rei fraudolosa lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam usus ejus, possessionisve.*

Dicitur *occulta*, ad differentiam rapinae, quae manifeste committitur. Hinc sciendum, quod rapina sit ablatio, seu contrectatio rei alienae externae cum vi facta domino, vel legitimo detentore renitente. Ita communiter.

Dicitur *ablatio*: per quam venit occupatio, acceptio, et retentio, nam injusta acceptio, et injusta accepti detentio moraliter censetur unica actio ex D. Thom. 2. 2. q. 66. art. 3 ad 2. Item venit quaevis injusta damnificatio quovis modo facta alteri, sive per commissionem, sive per omissionem.

Dicitur *ablatio rei*, quo nomine intelliguntur non solum res corporales, et mobiles, sed etiam immobiles, et jura; uti census, servitutes; usus, possessio etc.

Dicitur *alienae*, quia qui accipit suum, puta per compensationem, furtum non committit.

Dicitur *invito domino*, quia si quis acciperet aliquid, quod prudenter judicat daturum dominum, si ipse peteret, furtum non committit, licet non petat, L. 47. D. de furt., si autem id incertum sit, praesumitur dominus invitus.

Dicitur *rationabiliter invito*, quia si dominus sit invitus irrationabiliter, ille, qui accipit, non committit furtum, uti si pauper in extrema necessitate constitutus, aliquid surripiat.

Tandem dicitur *vel ejus detentore* etc., quia furtum committitur; quoties aufertur non solum res, sed etiam jus, possessio, vel usus. Unde, qui commodatarium, conductorem, creditorem, privat rei commodatae, vel usu rei locatae, vel custodia rei oppignoratae, etiam si dominus sit, qui injuste privat, furtum dicitur committere, L. 10. et 11. D. de furt. Et e contrario, si commodatarius, depositarius, conductor contra dominorum voluntatem re utantur, etiam furtum committunt, L. *Qui furtum* D. de condict. furt.

Not. I. Apud Juriscons. rapina differt a praedatione, quia rapina est de rebus mobilibus, scilicet, pecuniis, frumento, vaccis etc. Praedatio vero, et praedones de rebus immobilibus, licet apud Theologos confundantur.

II. Rapinae reus est, qui per metum gravem injustum aliquid ab aliquo extorquet, etiamsi metus sit reverentialis; uti e. g. qui ratione potentiae injustas exactiones committit, et qui ad inaequalem contractum secum inendum alium impellat.

Q. Quotuplex est furtum?

R. Furtum ratione rei ablatae dividitur I. in *simplex*, et *qualificatum*. Primum est illud, in quo continetur tantum injustitiae malitia. Secundum est illud, in quo continetur praeter Injustitiam, alterius vitii malitia, uti est furtum sacrilegum, in quo continetur tum injustitia, tum sacrilegium.

II. Ratione modi furandi dividitur in *manifestum*, et *non manifestum*. Primum est illud, in quo fur cum re furtiva deprehenditur, priusquam rem

Digitized by Google

deferat ad locum, quem destinavit. Secundum est illud, in quo fur non ita deprehenditur.

Q. Quot sunt in Jure species furti qualificati?

R. Sunt quatuor, et prima dicitur *Peculatus*, qui est furtum pecuniae publicae, L. 1., et 4., et L. *Sacrilegi D.* ad legem Juliam pecul., Secunda dicitur *Plagium* quo homo liber. vel servus alienus in servitutem adducitur, venditur, vel donatur, L. 1. et seq. D. ad L. Fabiam de plagiar. Tertia dicitur *Abigeatus*, quae habetur, quando quis furatur oves alterius, equos, et alia hujusmodi animalia, L. 1. §. 1. D. de abigeis. Quarta est *Sacrilegium*, quod est furtum rei sacrae e loco sacro, non sacrae e loco sacro, sacrae e loco non sacro. Textu expresso in Cap. *quisquis* 21. caus. 17. q. 4., ibi: *Sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro.*

Q. An furtum, et rapina sint peccata gravia?

R. Ex genere suo esse mortalia, ut patet ex 1. Ad Corinth. 6. *An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare.. Neque fures.. Neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Et ex VII. Praecepto. *Non furtum facies.* Dixi *ex genere suo*, quia furtum potest esse veniale, ratione parvitatis materiae, et ratione imperfectae advertentiae. Stampò, aliique.

Not. Si quis confiteatur quod commiserit parvum furtum, debet Confessarius interrogare, num habuit animum plura surripiendi, si copia vel occasio fuisset, quia tunc ratione parvi finis adjuncti graviter peccavit, et prima vice sic furando, et quoties hoc animo leve quid surripuerit.

Q. An dantur casus, in quibus quis aliquid leve furatur, et graviter peccat?

R. Maxime, et I. est quando quis auferendo aliquam rem modicam, infert alteri grave damnum: quod furtum evadit grave ratione damni notabilis domino illati. II. Quando quis furatur aliquid leve, et pravo suo exemplo inducit alios ad similiter faciendum cum gravi ipsius domini damno, quod furtum evadit grave ratione pravi exempli, hoc est ratione scandali. III. Quando quis furatur aliquid leve, sciens dominum eo valde delectari, ut ex ejus amissione maguam sit capturus molestiam; quod furtum evadit grave ratione magni domini moeroris. IV. Quando quis surripit aliquid leve causa inducendi dominum ad blasphemandum, iste talis graviter peccat ratione finis mortalis adjuncti. V. Quando sustulit aliquid leve, cum animo surripiendi plura, si occasio, vel copia suppetat. Ita communiter.

Not. Primus tenetur ad restitutionem rei furtivae sub levi ratione injustae acceptionis, tenetur tamen sub gravi damna resarcire ratione damnificationis. Secundus juxta Layman, Molina, aliosque, tenetur ad restitutionem illius modici sub gravi, quando spes probabilis sit alios simul etiam restituturos: verum si non restituent, ipse tenetur ad totum, quia fuit causa efficax damni. Tertius tenetur ad restitutionem rei levis, sub levi ratione injustae acceptionis, *si moeror cessavit*, non tamen tenetur damna compensare, cum contra caritatem peccaverit. Idem dicendum de quarto etc.

Q. An furtum specie distinguatur a rapina?

R. Specie distingui non per oppositionem ad diversas virtutes, quatenus furtum, et rapina opponuntur eidem virtuti justitiae, distingui tamen per

Digitized by Google

diversum modum tendendi, tum quia furtum clam committitur, et rapina propalam, et manifeste, tum quia per furtum damnum alteri infertur in rebus, per rapinam vero non tantum in rebus, sed etiam addit injuriam, et dehonorationem factam personae. Communiter, et D. Thom. 2. 2. q. 65. art. 4. Unde patet, quod committens rapinam, praeter furtum committit peccatum contumeliae, si vim inferendo, injuriam etiam personae inferat (1).

Q. An ille, qui plura committit furtula, peccat mortaliter a principio, vel deveniendo ad materiam notabilem?

R. Vel habet voluntatem a principio perveniendi ad materiam notabilem, et dico graviter peccare a principio. Quia toties, quoties furtum leve committit, peccabit graviter, quod procedit ex illa prava intentione, quia volitio furandi rem notabilem, seu inferendi damnum notabile, mortalis est. Ita communiter. Vel non habet hanc voluntatem a principio, et dico peccare mortaliter per ultimum furtum de se leve, dummodo advertat, vel possit advertere se per illud quantitatem notabilem complere, quia cum tunc scienter accipiat usque ad notabilem quantitatem, incipit retinere etiam alienum in notabili quantitate, ideoque, tum ratione detentionis, tum ratione acceptionis iniquae notabile damnum domino infert. Ita Sanchez, aliique communiter.

Not. Haec tradita doctrina procedit, etiamsi plura furtula facta sint diversis et pluribus, quia licet quantitas sit levis respectu singulorum, est tamen gravis respectu communitatis seu multitudinis eorum, praeterquam quod modus furandi per plura furtula usque ad materiam notabilem, cen-

(1) Quaeritur utrum emptor bonae fidei rei furtivae possit eam restituere furi, ad recuperandum suum pretium? Prima sententia (quae est communissima) id permittit cum nullus alius modus occurrit recuperandi pretium solutum. Ita S. *Antonin. Lugo, Navar. Less. Silv. Rebell. Soto, Holzm., Salmant.* etc., qui dicunt quod emptor ex hoc non infert injuriam domino, quia rem in eodem statu in quo erat, reponit. Secunda sententia negat cum *Laym. Caiet. Mol. Croix Concina* etc, qui volunt rem restituendam esse domino, quia cum e furis manibus liberata sit, jam in statu meliori existit; unde restituendo eam furi, non jam in pristinum statum remittit, sed in deteriorem. Haec sententia est valde probabilis, sed non minus est probabilis prima, etenim respondet *Card. de Lugo* rationi appositae. 1. Quod emptor non tenetur servare rem domino cum proprio damno: si quis (dicit) sumeret vestem alterius quam reperit, et postea animadverteret retentionem illius fore sibi damno, bene in eumdem locum conjicere potest, licet praevideat alios fore eam sumpturos. 2. Emptor (et haec est ratio potior) cum habeat jus ad rescindendum contractum, non potest ei denegari actio reddendi rem furi; nam talis actio absolute necessaria est ut rescindat contractum et ut pretium suum recuperet, licet per accidens eveniat domini damnum. Et ut dicunt *Tolet. Prud. Silvest. Alens. Holzm.* et alii (et probabile dicunt *Less. Lugo et Busemb.*), hoc procedit etiamsi emptor mala fide emisset, quia tam emptor malae quam bonae fidei habet idem jus pretium suum contractus rescissione recuperandi. Et licet ille malae fidei peccaverit in recipiendo rem a fure, nihilominus neque pro illa rei acceptione, neque pro redditione furi est causa domini damni, cum jam habeat jus eam reddendi. Sola enim injuria proximo illata non obligat ad restitutionem, cum illa non est damni causa ut dictum est n. 44. cum *S. Thoma Ex S. Ligorio homo apost. Tract. X. Punct. II. §. 33.*

Digitized by Google

setur graviter nocere Societati humanae, adeoque graviter prohibita jure naturae.

Q. Num teneatur sub gravi quis restituere. quod est ablatum per pauca furta, deveniendo ad materiam notabilem?

R. Maxime, quia res aliena per parva furta sublata, coalescit in unum moraliter. Hinc si habetur obligatio restituendi rem notabilem unico furto ablatam sub gravi, ita et restituendi rem ablatam per parva furta, deveniendo ad materiam notabilem (1).

Q. Num peccat mortaliter, qui post completam notabilem materiam, iterum furtulum committit?

R. Maxime, quia habetur voluntas augendi magis damnum grave, saltem implicita, ideoque habetur voluntas retinuendi rem notabilem alterius, quod est grave peccatum. Ita Sanchez, Lugo, aliique.

Q. Num furtula faciunt unum moraliter, quando magnum temporis intervallum intercedat inter unum, et alterum furtulum?

R. Maxime, etiamsi intercesserit spatium notabile, nam licet physice non uniantur, moraliter uniuntur. Gotti, et Concina.

Q. Num requiratur major quantitas ad summam notabilem conflatam ex pluribus furtulis, quam ad furtum unica vice factum?

R. Maxime, quia dominus non est ita rationabiliter invitus de re sibi ablata pluribus furtulis, ac de re ablata unico furto. In quo est advertendum, quod requiratur major quantitas ad constituendam materiam gravem ex furtulis relate ad diversos dominos, ac relate ad eumdem dominum (licet alii hoc negent), quia damnum divisum in plures censetur minus, sicuti etiam requiritur major quantitas ad constituendum furtum contra Civitatem, uti furtum contra plures personas, ac contra unum. Ita Salmantic.

Q. Quaenam quantitas requiritur ad furtum mortale?

R. Rem istam esse prudentis judicio definiendam, non solum ex quantitate rei ablatae, sed etiam ex circumstantiis personae, loci, ac temporis. Ita Layman. Non desunt tamen DD., qui ita definiunt quantitatem sufficientem ad furtum mortale, scilicet, quod respectu pauperis sit unus carolenus: respectu operarii, qui proprio labore vivit, duo caroleni: respectu personae communiter divitis, quae vivit suis redditibus, quinque caroleni: respectu valde divitis decem: respectu ditissimi Principis viginti caroleni. Quae erit quantitas respectu omnium absolute gravis, nam istae quantitates respective sunt notabiles, et notabile damnum domino inferunt.

Alii autem sentiunt esse notabilem furti quantitatem, ac peccati mortalis materiam, quae sufficit in unum diem ad victum ejus, cui furatur.

Not. Ad constituendum furtum mortaliter culpabile pro filiis, uxore (2),

(1) Merito Innocent. XI. die 2 Mart. 1679. damnavit sequentem Propositionem n. 38.; *Non tenetur quis sub poena peccati mortalis restituere, quod est ablatum per pauca furta, quantacumque sit magna summa totalis.* Quae doctrina vera est, etiamsi furtula facta sint pluribus personis, quarum singulae seorsim sumptae damnum dumtaxat leve patiantur.

(2) Potest uxor accipere aliquid pro expensis necessariis familiae, si vir parum curat de eis, ut dicunt *Bonac., Trullen., et Busemb.* Praeterea, si uxor habet parentes, aut filios alterius matrimonii pauperes, potest accipere aliquid ex bonis communibus, et etiam viri, quantum sufficit illis, ut juxta eorum statum vivant, licet viri

Digitized by Google

mancipiis, amicitia, vel sanguine conjunctis, famulis, ancillis, requiritur major quantitas, quam si furtum ab aliis committatur, praesertim circa exculenta, et poculenta, quia non statim censetur dominus invitus cum his sicuti cum extraneis (1).

Q. Num teneatur ille, qui plura commisit furtula, restituere totum sub gravi, vel sufficiat restituere partem?

R. Teneri sub gravi, neque a gravitate liberatur, restituendo partem, et hoc contra Sanchez, aliosque *qui recte, nostro quidem judicio, dicunt teneri sub levi, cum levis est materia, quae remanet.*

Q. Quibusnam facienda sit restitutio rei per parva furta a pluribus personis accepta?

repugnet, quia ejus repugnantia est irrationabilis; ita *Navar. Castrop. Less. Busemb.* etc. Imo, *Lugo, Mol. Sanch. Less. et Trull.* admittunt hoc etiam pro fratribus pauperibus. Advertendum tamen, quod si uxor dat bona viri aut communia filiis egenis primi matrimonii tenetur post suam mortem recompensare filiis secundarum nuptiarum. Insuper bene potest impendere in eleemosynas et dona, juxta sibi aequalium morem ut communiter dicunt DD. Dicit *Mol.* cum nonnullis aliis posse uxorem impendere in hoc vigesimam partem annuorum redditumm sui viri nempe quia in centena, sed haec summa merito judicatur excedens a *Lugo, Sporer* etc. Saltem universaliter loquendo. *Ex S. Ligorio homo apost. loc. cit. §. 33.*

(1) Ad judicium ferendum quando furti quantitas perveniat ad mortale, debet considerari quantitas non solum in seipsa; sed etiam respectu personarum, temporis, et loci; v. gr. auferre acum Sartori potest esse materia gravis, si ipse non posset ibi habere alium, quo possit sibi victum comparare. Et ita etiam potest esse grave (saltem contra charitatem) furari rem tenuis pretii, si dominus magnam poenam subiturus esset ob illius omissionem. Sed loquendo de furti quantitate in se ipsa, haec diversimode mensuratur juxta diversas dominorum qualitates. Et quia talis commensuratio pendet a sapientum existimatione, ideoque recte dicunt *Salmanticenses* opiniones in hoc communiores fieri etiam intrinsece probabiliores. I. Respectu pauperum qui mendicant, assignant communius DD. regulam (qui nuncupatur etiam *julius*, aut argenteus, qui importat carolenum de nostra moneta) et etiam dimidium in casu raro magnae paupertatis et indigentiae. II. Respectu pauperum qui laborant, duos regales; licet diverse loquuntur DD. de Fossoribus quam de Artificibus, unde dicimus pro Fossoribus esse materiam gravem duos regales, sed pro Artificibus saltem requiri duos regales cum dimidio, si lucrum diurnum eorum tantum sit, aut majus. III. Respectu eorum qui propriis redditibus vivunt *Concina* et *Bonac.* assignant pro materia gravi tres julios; communius vero alii assignant quatuor; et alii usque ad quinque. Nihilominus in hoc puto distinguendum, nam nonnulli licet vivant redditibus suis, attamen vitam ducunt angustam; et pro istis erunt materia gravis tres regales, et forsan minus si valde misere vivunt. Contra pro persona valde opulenta *Cardinalis de Lugo requirit* sex, aut septem regales IV. Respectu Mercatorum nimis divitum multi DD. requirunt tres florenos (florenus aequivalet tribus regalibus), sed haec summa videtur mihi nimis excedens; libentius adhaereo *Croix* qui quoad istos requirit octo regales; pro aliis Mercatoribus vero mediocris fortunae DD. requirunt quatuor regales; sed ego puto pro iis qui tenui sunt patrimonio sufficere pro materia gravi etiam duos regales cum dimidio V. Respectu Magnatum communius requirunt aureum (nempe ducatum sive scutum; licet alii quid majus velint. Et idem dicunt *Sanch.* et *Card.* respectu communitatis valde opulentae. VI. Respectu denique Regum dicunt non esse materiam gravem summam excedentem duos aureos; ita *Sotus* Sylvester *Wigandt, Laym. P. Navarr; Bonez.*

Notandum tamen, quod in furtis rerum expositarum, ut sunt fructus juxta vias, et ligna in Sylvis, ut furtum sit grave requiritur materia major. *Ex S. Ligorio homo Apost. loc. cit. §. 22*

Digitized by Google

R. Quando moraliter fieri non potest singulis, vel quia ignorantur, vel quia adest periculum infamiae, esse faciendam pauperibus communitatis damnificatorum, vel ea applicare aliis piis operibus, puta hoc videtur consentaneum justae voluntati dominorum. Dixi *quando non potest singulis*, quia si potest, saltem majori parti eorum, puta, vendendo eisdem in majori mensura, vel minuendo pretium, tenetur eis fur restituere, quia habent jus, ut damnum compensetur iis laesis, dum ipsis compensari potest. Concina, aliique.

Q. Num liceat occulte recipere rem suam, apud alium extantem?

R. Vel occulte accipit rem suam apud alium extantem justo titulo, v.g. pignoris, locationis, commodati etc., et dico non licere, ita ut accipiens sine justa causa, peccat contra justitiam, et si damna inde proveniant, ad restitutionem tenetur, quia possessori infert injuriam. Vel occulte rem suam accipit apud alium extantem sine justo titulo, et dico licere, si non possit alia via recuperare, quia licet uti compensatione, et dummodo non interveniat damnum alterius. Dixi *si non possit alia via*, quia si potest recuperare per Judicem, non potest illa tollere sine laesione justitiae legalis.

Q. An licet in gravi, vel in extrema necessitate alienum surripere?

R. In gravi non licere, quia in gravi necessitate omnia non sunt communia, sed proprii domini. Quia si hoc liceret, pateret via innumeris furtis, cum magno societatis humanae detrimento, patet etiam ex Cap. 3. de furtis, ubi statuitur poenitentia pro furantibus in gravi necessitate, ibi: *Si quis propter necessitatem famis, aut nuditatis furatus fuerit cibaria, vestem vel pecus, poeniteat hebdomadas tres.* Patet etiam ex Prop proscripta ab Innoc. XI. 36. *Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.* In extrema vero licere ad conservationem vitae propriae, vel suorum, quia in extrema necessitate omnia sunt communia, saltem quoad usum.

Not. In tali extrema necessitate non licet furari, si dominus rei sit, vel rejiciendus sit in eandem extremam necessitatem; nam in pari casu melior est conditio possidentis. Item nec licitum est surripere in extrema necessitate, quando petendo obtineri potest id, quod optatur.

Q. Quid dicendum, si nec ille, nec dominus in possessione rei est, cum uterque devenit in extremam necessitatem?

R. Licere illi, dominum praevenìendo, rem qua indiget, capere, atque absumere, quia in extrema necessitate omnia communia censentur, ideoque primo occupanti cedunt.

Q. Num possit quis surripere alienum ad succurrendum Proximo in extremo indigenti?

R. Posse, quando ex propriis non potest illi subvenire, quia iste talis habetur uti instrumentum indigentis, quod patet ex D. Thom. 2. 2. q. 66. art. 7. ad 3., ibi: *Etiam potest aliquid occulte rem alienam surripere, ut subveniat sic indigenti.* Hic nota, quod qui rem ablatam tempore necessitatis extremae consumpsit, nihil restituere tenetur, si postea ad meliorem statum pervenerit, quia suum consumpsit; nam non tenetur ex re accepta, quia non extat, non ex injusta acceptione, quia non peccavit in tali necessitate auferendo alienum.

Excipe tamen. I. Quod si res in necessitate extrema accepta habeatur

Digitized by Google

adhuc, uti si ejusmodi pecuniae summam in extrema necessitate surripiat, tenetur, ea transacta, illam partem, quae superfuit, restituere, quia cessante tali necessitate, cessat jus retinendi, quod sibi ad vitae usum necessarium erat ex re alterius. II. Si est pauper non simpliciter talis, sed respective, quatenus scilicet habet alibi bona, iste etiam tenetur ad restitutionem illius, quod in extrema necessitate hujusmodi surripuit, quia non licet alienum surripere, nisi eo modo, quo succurratur extremae necessitati, sed necessitas illius non fuit simplex; ergo non potuit accipere, nisi sub conditione restituendi. Nota enim quod surripiens rem usu non consumptibilem in extrema necessitate, puta equum ad fugiendum ne occidatur, ea cessante restituere tenetur.

Q. Si filiusfamilias surripit aliquid notabile, cujus dominium, vel administratio pertinet ad patrem, num peccet graviter, teneatur ad restitutionem?

R. Peccat graviter, quia infert ei gravem injuriam, uti patet ex Prov. 28: *Qui subtrahit aliquid a patre suo, vel matre, et dicit non esse peccatum, particeps homicidae est.* Nam pater est rationabiliter invitus, non tantum quoad modum, sed etiam quoad substantiam; quare, ut patet, accipit rem invito rationabiliter domino, unde tenetur ipsi, vel cohaeredibus restituere.

N. I. Ad determinandam quantitatem notabilem furti filiorum, est considerandum, an pater sit dives, vel pauper, an habeat paucos, vel multos filios, an sit bene, vel male affectus in filium furantem, an iste sit patri utilis, an surripiat simul, vel successive, ut prudenter se gerat Confessarius in ejusmodi restitutione facienda.

II. Si filius in malos expendet usus summam notabilem, quam a patre surripuit, peccat graviter, et ad restitutionem tenetur; quia illam expendit contra voluntatem domini. Si vero in usus necessarios, et honestos expendit neque peccavit, neque ad restitutionem tenebitur, ut mox latius dicetur.

Q. Danturne casus, in quibus filius surripit aliquid a patre, et non peccat?

R. Dantur: et I. quando surripit ad victum, et ad vestitum juxta suum statum secundum regulas optimae moralitatis. II. Quando accipit in compensationem, quia pater accepit ejus bona castrensia, vel quasi ipso rationabiliter invito. III. Quando accipit ad moderatas eleemosynas, vel ad succurrendum matri injuste a patre vexatae. Communiter.

In furto filiorum familias ad constituendum grave peccatum major quantitas requiritur. Hinc juxta Laym. filius, qui aliquando patri diviti duos tresve aureos furatus fuerit non admisit mortale peccatum, si ipse filius patri sit utilis.

Q. De quibus bonis filiusfamilias tenetur facere restitutionem?

R. Teneri de bonis castrensibus, vel quasi, vel si ea non habeat, tenetur in divisione haereditatis cum cohaeredibus computare in suam partem, quae surripuit, nisi certo constet, hos tantundem surripuisse, vel nisi pater expresse, aut tacite condonavit. Antoine, aliique.

Q. Daturne casus, in quo filius peccat, et non tenetur ad restitutionem, surripiendo a patre?

Digitized by Google

R. Datur, et est, quando est solus, et non sunt alii haeredes, et consumpsit, quod abstulit, nec habet, unde hic, et nunc restituat.

Q. Tenenturne famuli surripientes a dominis aliquid, ad restitutionem?

R. Vel moderate *ad proprium usum* surripiunt ex exculentis, et poculentis ordinariis, scientibus ipsis dominis, et non reclamantibus, et non tenentur. Si vero surripiunt nescientibus dominis, sive in parva, sive in magna quantitate, tenentur restituere.

CAPUT II.

De Injuriis contra famam, et honorem, per detractionem, calumniam, et contumeliam, et de necessaria restitutione.

Q. Quid est detractio?

R. Est injusta ademptio, seu laesio, vel imminutio bonae famae alterius in ejus absentia. Antoin.

Q. Quid est contumelia?

R. Est injusta inhonoratio personae praesentis, seu laesio honoris alterius sine justa causa, et auctoritate coram eo facta, sive dictis, sive factis.

Q. Quid est calumnia?

R. Est falsi criminis, aut defectus impositio. Unde est species detractionis omnium gravissima ex genere suo, cum superaddat detractioni generice sumptae mendacium perniciosum. Antoine, aliique.

Q. Num inter se differunt detractio, ac contumelia?

R. Maxime, et I. ratione objecti, quatenus prima laeditur fama, secunda honor. II. Ratione diversi modi, quatenus, prima, veluti furtum fit in occultum, et contra absentem, secunda, veluti rapina fieri solet in manifesto contra praesentem. In quo est advertendum, quod possit haberi detractio contra praesentem, uti si quis objiciat alicui vitium occultum coram pluribus audientibus: sicuti etiam potest haberi contra absentem contumelia, uti si imago alicujus conculcetur.

Q. Quid est fama, et quid est honor?

R. Fama, est excellentiae alterius existimatio. Honor est alienae excellentiae animo conceptae testificatio. Ita D. Thom. 2. 2. q. 103. art. 1. Ubi nota, quod differt a laude; nam laus fit solis verbis, vel scriptis, honor vero etiam aliis modis, v. g. positione statuae etc.

Q. Quaenam differentia intercedit inter detractionem, susurrationem, et irrisionem?

R. Haec est, nam prima tendit ad denigrandam famam, secunda ad tollendam amicitiam, cum sit verbum inter amicos seminans discordias. Tertia tendit ad imponendum pudorem, et verecundiam, cum sit verborum ludus de Proximi defectibus.

Q. Quomodo dividitur detractio?

R. I. Dividitur, in eam, ob quam delictum occultum, sed verum manifestatur, quae dicitur diffamatio, et in eam, per quam delictum falsum alicui imponitur, quae dicitur infamatio, quae graviorem injuriam continet; nam pernicioso mendacio famam alterius detrahit non solum possessione, sed etiam quasi dominio famae illum expoliat: ille vero, qui occultum de-

Digitized by Google

lictum, sed verum manifestat, tantum possessione famae illum expoliat.

Dividitur II. In directam, et indirectam. *Directa* committi potest quadruplici modo, qui in hoc continentur versiculo.

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens:

Imponens habetur, quando quis falsum crimen alteri imponit. Augens, quando quis verum crimen amplificat. Manifestans, quando quis occultum crimen detegit. In mala vertens, quando quis sinistre, seu in malam partem interpretatur factum alterius.

Indirecta, etiam quadruplici modo committi potest et continetur in hoc alio versiculo:

Qui negat, aut reticet, minuit, laudatque remisse.

Qui negat habetur, quando quis negat recta facta alterius. Reticet, quando quis malitiose silet, ubi silentium aequivalet confessioni defectus Proximi. Minuit, quando recta facta extenuat. Laudatque remisse, quando quis frigide laudat Proximum suum.

III. Dividitur in formalem, et materialem. *Formalis* est illa, quae fit ex intentione alienam famam denegandi. *Materialis* est illa quae fit ex animi levitate, et sine directo nocendi proposito. Sed utraque est peccatum grave ex genere suo contra justitiam commutativam; quandoquidem ad damnum injuste inferendum, et ad peccatum sufficit voluntarium indirectum. Verumtamen dicendum est quod potest adjungi cum detractione materiali imperfectio talis voluntarii, et advertentiae, ut videatur excusare a gravitate peccati. Sed in tali casu prudens Confessarius interrogabit, utrum odium, nocendive voluntatem gesserit adversus personam, cui detraxit.

Q. An detractio, et contumelia sint peccata gravia?

R. Ex genere suo esse peccata gravia, quia per detractionem, et contumeliam injuste laeditur Proximus in fama, et in honore, quae sunt bona divitiis praestantiora, uti patet ex Proverb. 22. *Melius est bonum nomen quam divitiae multae.* Hinc si furtum ex genere suo est grave peccatum multo magis detractio, et contumelia. Ita communiter. Quod est dicendum, etiam de susurratione, et irrisione; nam per ista etiam gravis injuria Proximo fit. De susurratione, patet ex illo Eccl. 28.: *Vir peccator turbabit amicos, et in medio pacem habentium immittit inimicitiam.* Dixi *ex genere suo*, quia ratione parvitatis materiae potest esse venialis, nisi fiat ex intentione graviter nocendi, vel praevideatur allatura Proximo gravem dolorem; nam tunc esset peccatum grave, quia procedit ex intentione graviter iniqua.

Q. Narratio defectus venialis estne semper peccatum veniale?

R. Minime, nam potest dari casus, in quo quis manifestat levem defectum de quadam persona, et peccat graviter, quia multum laeditur fama, vel honor, vel grave patitur damnum per hujusmodi narrationem, uti si dicatur de Religioso bonae famae quod habet consuetudinem mentiendi, et proinde contemnitur, et excluditur a beneficio. Et e contrario potest dari casus, in quo habetur defectus mortalis narratio, et tamen detractio est venialis, quia non laeditur notabiliter fama, neque damnum notabile oriatur, uti si dicatur de Milite *eum commisisse duellum* etc. solent enim milites de hoc gloriari. Antoine.

Ex quibus colligitur, quod gravitas, vel levitas materiae detractionis praecipue spectanda est relate ad personam laesam, et ejus famam, quae

Digitized by Google

laeditur. Idem dic pro contumelia, irrisione, et susurratione. Ex dictis inferes.

I. Mortaliter peccare, qui dicit de quibusdam personis in munere, vel statu majorem perfectionem exigente constitutis, v. g. Episcopo, Religioso etc., quod habeat consuetudinem alicujus peccati venialis sit vanus, iracundus etc., quia eorum fama graviter diminuitur.

II. Esse veniale narrare defectus naturales involuntarios Proximi; nempe, quod sit levis, exigui, et obtusi ingenii. At si fama, vel honor graviter laedetur ex tali narratione, vel graviter sit contemnendus ille, cui detrahitur, tunc mortale est, quia gravis inferetur injuria. Idem dicas si grave damnum inde proveniat personae, de qua detrahitur. Layman, aliique.

III. Graviter peccare, qui verbis generalibus alicui detrahit, v. g. si dicat: *se scire de illo, quod nemo suspicatur*, vel *illum non esse, ut alii illum existimant etc.*, quia tunc graviter laeditur ejus fama, quia talibus verbis obscuris gravia inesse, auditores suspicantur. Ita communiter.

IV. Graviter peccare, qui detegit crimen alicujus occultum grave, non nominando personam, sed solum communitatem, ex qua est, vel statum, vel familiam, et grave damnum in fama, vel bonis provenit communitati, statui, vel familiae, quia, tunc gravis infamia, et injuria illi inferetur. Idem dicendum, si quis dicat Civitatem aliquam esse plenam adulteris, usurariis etc., nisi haec infamia publica sit. Ita Layman, Antoine, aliique.

Q. Detractio, et contumelia sunt ne peccata diversae speciei?

R. Maxime ob laesionem diversarum honestatum, nam per contumeliam honor, per detractionem vero fama laeditur, et qui alicui detrahendo plura delicta ejus occulta manifestat, scilicet adulterium, furtum, et homicidium, tria peccata committit, licet enim objectum peccati unum idemque videatur, nempe famae alienae diminutio, quia tamen diverso in genere laeditur, multiplex numero peccatum continetur, equidem tam multiplex, quam in diverso genere laeditur fama aliena.

Q. Num semper sit illicita detractio; ita ut nullus casus detur, in quo sit licita?

R. Vel loquimur de illa, per quam imponitur delictum falsum, et dico semper esse illicitam, quia semper continet perniciosum mendacium prohibitum directe negativo illo praecepto Decalogi: *Non dices falsum testimonium.* Vel loquimur de illa, per quam manifestatur delictum alicujus occultum, sed verum, et dico ob aliquas causas, esse licitam.

Q. Quaenam sunt causae, per quas licitum est manifestare delictum alicujus verum, sed occultum?

R. Esse plures, et I. est quando hoc requiritur ad petendum consilium, vel auxilium a viro prudente. II. Ad avertendum grave damnum sive spirituale, sive temporale, tum proprium, tum Communitatis, tum privatae personae innocentis, quia bonum proprium vel communitatis, aut privatum innocentis, praeferri debet bono privato nocentis. III. Ob bonum spirituale delinquentis uti si fiat Superiori, Parentibus, servato, quantum potest, ordine fraternae caritatis, seu correctionis. Layman.

Not. Serio advertendum, ut quantum fieri possit, in his casibus curetur existimatio Proximi, cujus delictum detegitur, et accidat manifestatio cum minima, quae possibilis sit, jactura alienae famae.

Digitized by Google

Q. Quid si testator reliquit dotem alicui virgini dandam, et Berta illam petit, quae publico existimatur virgo, sed tu scis esse corruptam; num liceat tibi hoc revelare, ut dos detur alteri?

R. Minime, quia dum Berta dotem petit, nulla infertur injuria, quia cum publice habeatur virgo, omnibus gaudet privilegiis virginum, adeoque, et petere dotem potest, tamquam virgo. Neque alia fuit mens testatoris, quam ut dos daretur puellae, quae publice censeretur virgo, et casta.

Unde discrimen est inter pauperem simulatum, et virginem simulatam, quia simulatio pauperis est injusta, et perniciosa; at puella habet jus simulandi, seu potius suum dissimulandi defectum, quamdiu bonam famam publice retinet. Idem dicendum si relicta sit eleemosyna distribuenda pauperibus bonae, et honestae vitae: id intelligitur de iis, qui nulla laborant infamia; quare occultum crimen ejus, qui hanc eleemosynam petit, revelari non potest.

Q. An possit quis absque peccato manifestare delictum alterius occultum sine justa causa uni viro prudenti, quem probe scit non evulgaturum?

R. Minime, quia aegrius fertur apud virum unum prudentem diffamari, quam apud plures infimae sortis, quod patet ex D. Thom. 2. 2. q. 73. art. 1. ad 2. ibi: *Etiamsi uni soli aliquis de absente malum dicat, corrumpit non in toto, sed in parte.*

Q. Num peccet graviter, qui occultum alicujus crimen, quod infamiam fert, sed ab aliis audivisse, vel legisse in quadam epistola narrat absque propria confirmatione, et proposito nocendi?

R. Maxime, quia cooperatur ad laesionem famae alterius: verum si justa cum causa faciat non peccat, ut dictum est.

Q. Num sit licitum detegere delictum publicum, ubi non est publicum?

Ante resp. not.: Crimen dicitur publicum tripliciter, scilicet I. Publicitate juris, quae habetur per publicam judicis sententiam, vel confessionem rei ante Judicem factam; vel per legitimum testimonium testium. II. Publicitate facti, quae habetur, quando delictum fuit commissum coram pluribus, ita ut nulla tergiversatione celari possit, nec ullo juris suffragio excusari. III. Publicitate famae, quae habetur, quando fama criminis ex sufficientibus indiciis orta, pervenit ad majorem partem Communitatis, Civitatis, Pagi etc. His positis:

R. I. Delictum publicum publicitate juris detegere, non esse peccatum contra justitiam, quando publicitas haec habetur per Judicis sententiam, quia per hanc sententiam reus privatur jure ad famam in omni loco, quo jus Judex habet. Dixi *non esse peccatum grave contra justitiam*, quia potest dari casus, in quo iste talis peccat graviter contra caritatem, puta, si quis manifestat delictum alicujus publicum per Judicis sententiam absque justa causa in eo loco, quo fama non erat illud perlatura, quia sine justa causa infertur grave malum Proximo. Ita Lessius, asserens hanc opinionem esse communem.

R. II. Delictum publicum per propriam confessionem delinquentis factam coram Judice, detegere in loco, quo non facile perveniret ejus notitia, esse peccatum mortale contra justitiam, quia reus adhuc retinet jus ad famam apud populum illum, cum nondum sit privatus eo jure in criminis

Digitized by Google

poenam per auctoritatem publicam. Est communis sententia, teste Layman.

R. III. Delictum publicum publicitate facti, vel famae, detegere aliis ex eodem loco, vel ex eadem Communitate, non esse peccatum saltem grave, quia ibi censetur jure suo ad famam spoliatus criminosus; detegere vero in loco, ubi non est publicum, probabilius juxta multos esse peccatum grave contra justitiam, quia auctor criminis in eo alio loco illaesam habet famam. Ita Tolet., Sot., Molin., aliique, contra nonnullos alios contrarium sentientes.

Q. An in bonis famae licita sit compensatio; ita ut possit quis falsum crimen imponere suo infamatori?

R. Minime, et peccat contra justitiam, qui falsum crimen imponit calumniatori ad suam famam tuendam: quia est medium intrinsece malum, cum sit mendacium perniciosum, ac injustum in re gravi (1).

Q. Estne licitum detegere verum delictum, sed occultum illius, qui mihi falsum crimen imposuit, ad defendendam famam?

R. Vel adest alia via defendendi famam suam, vel honorem, et tunc non est licitum, quia non est licitum malum pro malo reddere, et esset unice vindicta detegere delictum illius. Vel non adest alia via, et licitum est, dummodo non fiat praecise ad compensandam famam suam, sed ad avertendum grave damnum, uti ad labefactandum in judicio testimonium infamatoris. Ratio est, quia quod fit, fit ad impediendum grave damnum suum, dummodo tamen non plus loquatur, quam necessitas exigit.

Q. An manifestare crimen falsum, de quo aliquis per injuriam est infamatus, sit peccatum mortale?

R. Esse peccatum mortale contra justitiam aliis illud manifestare, quia innocentem infamare, per se malum, et injustum est semper. Hinc non tantum peccat, qui primo infamiam infert, sed qui latius eam diffundit. Ita communiter.

Q. Num infamis de uno crimine possit absque peccato de aliis infamari?

R. Vel alia crimina sunt leviora, et conjuncta cum illo, de quo est infamatus, et cum justa causa, et non peccat neque graviter, neque leviter. Vel non sunt conjuncta, aut sunt atrociora crimina, quam illud, de quo est infamatus, et tunc peccat graviter contra justitiam, quia infert ei novam, et gravem infamiam. Hinc si quis dicat de ebrioso, quod sit in contractibus usurarius, sit uxori infidelis etc. graviter peccat.

Q. Quid est libellus famosus?

R. Est chartula quaedam in quocumque loco reperta, ad alterius infamiam scripta, vel picta, uti colligitur ex L. unic. C. de libell. famos. et Canon. *Si quis inventi* caus. 5 q. 1. Hinc libellus famosus potest fieri, vel scriptura, vel pictura.

Nomine *chartulae* veniunt nedum scripturae, sed etiam carmina, epi-

(1) Id etiam patet ex Prop. duabus ab Innoc. XI. proscriptis; quarum prima est 43.: *Quidni nonnisi veniale sit, detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine eludere?* Secunda est 44.: *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum alicui, ut suam justitiam, et honorem defendat et si hoc non est probabile, via ulla erit opinio probabilis in Theologia.*

Digitized by Google

grammata, et similes cantiones in detractionem famae alterius compositae. Ursaya Instit. Criminal. lib. 2. tit. 9. n. 73. Nomine, et appellatione *picturae* veniunt, nedum picturae obscoenae, et turpes in alterius injuriam, et infamiam factae, sed etiam stercorationes factae, seu appositae in portis, fenestris, et omnes turpitudines, et multo magis cornua ibidem in alterius injuriam, et infamiam affixa. Clarus in praxi criminali §. fin., q. 68. Vid. si lubet, Ursaya loc. cit.

Q. Quaedam conditiones requiruntur ad verum libellum famosum constituendum?

R. Hae requiruntur. I. Ut occultetur nomen Libellantis, id est, quod Auctor non exprimat nomen suum, dict. L. unic. C. de famos. libel. II. Ut exprimatur in illo nomen libellati, seu injuriati, nisi tamen aliunde constet, quod de eo Auctor loqui voluit, Farinac. q. 265. III. Ut publicetur libellus famosus, est enim de substantia libelli famosi, quod ex eo sequatur diffamatio, quae sine publicatione non datur IV. Ut interveniat dolus; quia si aliquis non animo injuriam inferendi, sed vel simplicitatem, vel per jocum libellum componat, et publicet, vel libidinis motivo cantiones canat, non erit reus libelli famosi, Ursaya loc. cit., sed alius peccati. V. Ut contineatur in libello, non solum contumelia, sed et simul delictum aliquod considerabile, quia si contineret solum contumeliam, quae etiam peccatum est, non libellus famosus, sed injuria in scriptis dicenda esset; Ursaya loc. cit. Vid. Mor. in prax. Crimin.

Not. Hae supradictae conditiones debent cumulative concurrere ad hoc, ut quis dicatur reus libelli famosi, quia si una ex his deficiat, deficit nomen, et crimen libelli famosi, et remanet solum crimen, et actio injuriarum. Carpzov. in praxi Crimin. q. 98. n. 5o.

Q. Qui legit tales libellos, vel non lacerat, num peccet?

R. Maxime, graviter, vel leviter, prout est materia, quia idem est legere libellum illum, ac detractorem audire, quod est contra jus naturae.

Q. Num ille, qui condit libellum famosum, incidat in aliquam poenam?

R. De Jure Canonico incidit in excommunicationem ipso facto Pontifici reservatam, si condit libellum famosum contra Pontificem vel Cardinalem, vel contra aliquam Communitatem Religiosorum Mendicantium. Bulla Pii V. incipiens: *Romani Pontificis providentia*, et Constitut. Alexand. IV. *Ex alto.*

Not. In eamdem excommunicationem non incurrit conficiens libellum famosum contra privatum Religiosum, ejus personam tantum infamando, quia Constitutiones Apostolicae respiciunt favorem Religionis in communi, non autem alicujus Religiosi in particulari Ursaya loc. cit.

De Jure Civili, qui condit libellum famosum efficitur infamis, et intestabilis, L. *Ob carmen* D. de testibus, et L. *Lex Cornelia*, §. *si quis* D. de injur., et aliquando fustigantur, aliquando ad triremes transmittuntur: aliquando morte puniuntur L. unic. C. de libell. famos., et in eamdem poenam incidunt mandantes, cooperantes, et consulentes fieri libellum famosum, quia isti concurrunt in genere causae efficientis, et dicuntur illos componere, dict. L. *Lex Cornelia* D. de injur. Et eadem poena puniuntur invenientes libellum famosum, et illum non lacerantes, nec

Digitized by Google

comburentes, sed aliis manifestantes, dict. L. unic. C. de famos. libell. (1).

Q. Quot peccata committunt deponentes falsum in judicio, et num in aliquam poenam incurrant?

R. Peccant I. contra justitiam legalem. II. contra justitiam commutativam, si adest damnum tertii. III. contra Religionem, si adsit juramentum, et IV. contra veracitatem. Si vero falsum deponant in quavis Curia, seu Tribunali Civitatis Neapolitanae, vel ejus Dioecesis, et adest damnum grave tertii, quod damnum extenditur pro pauperibus ad decem aureos, et ad 50. pro divitibus, incurrunt in casum reservatum cum excommunicatione, ut patet ex 6. casu reservato cum excommunicatione. In quam poenam incurrunt etiam consulentes, mandantes, auxilium praestantes. Incurrunt etiam in eamdem poenam, etiamsi nullum damnum adsit, qui falsum impedimentum deponunt in Curia Neapolitana circa causam matrimonialem, et qui testimonium faciunt in patrimonio fictitio pro sacris ordinibus.

Q. Num testes falsum deponentes absque juramento incurrant hunc casum?

R. Minime, quia deficit forma, et substantia depositionis; nam testes non probant, nisi sint jurati, Cap. *Si nuper* de testib.

Q. An peccet, qui detractorem audit?

R. Peccare graviter, et contra caritatem, et contra justitiam, quando expresse, vel tacite excitat, inducit, vel movet detractorem ad detrahendum; peccat contra caritatem, ratione inductionis ad peccatum, peccat contra justitiam, quia est moralis causa injustae detractionis. Quod patet ex D. Thom. 2. 2. q. 73. art. 4., ibi: *Si quis detractiones audiat absque resistentia, videtur detractori consentire, unde fit particeps peccati ejus, et siquidem inducit eum ad detrahendum, vel placet saltem ei detractio propter odium ejus, cui detrahitur, non minus peccat, quam detrahens, et quandoque magis.*

Q. Num peccat, qui neque excitat, neque movet ad detrahendum, sed tantum cum possit impedire, non impedit sive expresse, sive tacite, ut discedendo, sermonem avertendo, vultum tristem exhibendo etc.

R. Supposita gravitate materiae, peccare graviter, quia ex lege caritatis unusquisque sub gravi tenetur impedire grave damnum Proximi, quando absque sui incommodo potest. Ita DD. communiter. In quo est advertendum juxta D. Thom. Less. Lugo, aliosque, quod superior peccat contra justitiam, quando non impedit, neque efficit, aut curat, ut subditi cessent a detractione: quia Superior tenetur ex officio impedire; ne subditi alios injuste laedant.

Q. Num dentur casus, in quibus non impedit quis detractorem a gravi detractione, et non peccat?

R. Maxime, et I. Est quando impedire idem est, ac excitare detractorem ad majorem detractionem. II. Quando non est moraliter certum, quod

(1) Jure novissimo Cod. LL. Poen. art. 366. sancitum libelli famosi reum tum carceri mancipandum a primo ad tertium gradum, tum pecuniaria poena multandum. Quod vero spectat ad alias poenas in hujusmodi reos pro diversa criminis ratione infligendas, videsis art. 360., 370, et 468.

Digitized by Google

loquens loquatur injuste, at de gravi crimine occulto. III. Quando judicat detrahentem habere justam causam, scilicet, ut consilium petat, ut utiliter aliquem moneat. IV. Quando prudenter putat monitionem non fore utilem ; quia caritas non obligat cum gravi incommodo sine necessitate, et utilitate. Antoine.

Q. Estne grave peccatum detrahere defunctum in re gravi ?

R. Maxime, quia etiam defunctus retinet post mortem jus ad famam, imo magis praevalet fama post mortem, cum amplius defunctus illam adquirere nequeat. Hinc si quis detraxerit de aliquo, qui est mortuus, etiam famam tenetur restituere ei.

Q. An peccat, qui seipsum infamat ?

R. Regulariter loquendo sine justa causa, puta ad adquirendam humilitatem, ad reprimendam superbiam etc., peccare leviter peccato prodigalitatis, quia homo est veluti dominus suae famae. Ita D. Thom. loc. cit., Antoine.

Dixi *regulariter loquendo*, quia dantur casus, in quibus peccat graviter, et I. Est, quando jactat se de crimine mortali in eo delectando. II. Quando se infamando, affert alteri scandalum, vel grave nocumentum. Hinc hoc non licet Episcopo, Praelato, Parocho, aliis, qui praesunt aliorum regimini. Ita D. Thom. Antoine, Layman, ceterique.

Q. Num adest obligatio restituendi famam, seu se retractandi apud eos, coram quibus alteri injuria detractum fuit, vel apud quos criminis infamia pervenerit ?

R. Maxime, ita ut peccet graviter, qui non restituit famam alteri ablatam, sive fama sit ablata per impositionem delicti falsi, sive per manifestationem delicti occulti, sed veri. Ita tamen, quod ille, qui abstulit famam primo modo, tenetur retractare quod dixit, dicendo se falsum dixisse, quando alia via non potest aliorum falsam opinionem avertere, quin juxta Bonacin., Salmantic., aliosque debet addere juramentum, si opus sit: ille vero, qui abstulit ob manifestationem delicti occulti, sed veri tenetur dicere, se male dixisse, vel quod injuste eum infamavit.

Not. fama integre restitui debet apud eos omnes, apud quos ablata fuit, nam justitia exigit, ut damnum integre resarciatur, atque ut fiat restitutio ad aequalitatem, ut injustitia tollatur. Hinc, qui publice infamavit, tenetur famam publice restituere, et hoc verum est etiamsi sit ipse infamandus. Praeterea, qui detraxit Proximo suo, tenetur ex justitia reparare famam non solum apud eos omnes, apud quos detraxit, et famam abstulit, sed etiam apud alios omnes, ad quos pervenit criminis infamia.

Q. Num detractor teneatur resarcire damna causata Proximo per suam detractionem, sive infamando, sive diffamando ?

R. Maxime, quia ipse fuit injusta causa damnorum, quae Proximo obveniunt, ideoque omnia ipsi detractori imputantur. Hinc si quis publicet sine justa causa puellae turpitudinem, ob quam illa competentes nuptias non invenit, tenetur ad damna juxta spem, quam illa habebat. Ita Bonac., Layman., aliique, qui docent, hanc obligationem compensandi damna ex detractione orta, transire ad haeredes utpote realem, obligationem vero compensandi famam non transire ad heredes utpote obligationem personalem detractoris defuncti.

Digitized by Google

Q. An ille, qui infamiam Proximi injuste irrogatam nequit tollere, teneatur eam pecunia compensare?

R. Litigant DD., nam aliqui negant, quia bona superioris ordinis nequeunt restitui per bona inferioris ordinis, nam aliter non haberetur aequalitas quam justitia commutativa postulat. Excipiunt tamen, si Judex damnavit infamatorem ad poenam pecuniariam, quia tunc omnes fatentur teneri. Alii autem cum D. Thoma 2. 2. q. 62. art. 2. ad 1. adfirmant; quia justitiae commutativae est, non solum reddere justum, quatenus aequivalens est, sed etiam quantum possibile est, sive in eodem, sive in diverso genere. Ubi advertit Lessius, quod hoc sit aequitati maxime consentaneum, quando infamatus pauper est, licet prior sententia videatur probabilior, excepta tamen sententia Judicis, et conventione inter infamantem, et infamatum de pecunia praestanda.

Q. Qui injuste aliquem accusavit, et propter talem injustam accusationem damnatur ad mortem, teneturne falsam accusationem detegere cum periculo vitae suae?

R. Maxime, quia in pari causa melior est conditio innocentis, quam nocentis, modo tamen accusationis manifestatio sit profutura ad innocentem liberandum; nam nemo obligatur ad opus inutile cum suo gravissimo incommodo. Ita DD. communiter.

Q. Ex quibus causis potest quis excusari a restitutione famae?

R. Pluribus de causis, et I. Condonatione facta ab infamato, modo infamia non redundet in alios, puta Conventum, Religionem, Familiam etc., modo fama illius, cui fuerat detractus, non sit necessaria ad bonam, et rectam muneris sui administrationem, aut non cedat infamia in damnum tertii, in quibus casibus condonatio fieri non potest, quia licet infamatus sit veluti dominus suae famae, non potest tamen de illa disponere cum aliorum detrimento. II. Recuperatione famae adquisitae sive testimonio virorum proborum, sive Judicis sententia, quia tunc ablatum est damnum: calumniator tamen semper tenetur revocare calumniam, etiamsi intercesserit sententia Judicis. Vide Antoine. III. Impossibilitate sive physica, sive morali; quia ad impossibile nemo tenetur. IV. Oblivione quia tunc jam infamia deleta est, ideoque ipsa injuria ablata. V. Juxta multos quando delictum alia via factum est notorium; quia jam amisit jus ad famam. VI. Compensatione, scilicet, si duo mutuo se infamarunt, et infamia utriusque aequalis est, si unus nolit famam alteri restituere, alter non tenetur ad restitutionem, modo infamia prioris non redundet in alios, quia ex Cap. ult. de adult. habetur: *paria delicta, compensatione mutua tolluntur*. Layman, Antoine. At in hoc postremo casu probabilior est sententia Navarri, aliorumque edocentium per infamiam reciprocam non tolli obligationem restituendi famam alienam, licet contrarium accidat in aliis debitis.

Not. si restitutio famae nequit fieri sine periculo vitae infamatoris, quae judicio prudentum praestat fama infamati dicitur restitutio moraliter impossibilis; adeoque non obligat, cum laesus tunc sit irrationabiliter invitus. Si tamen ex sua calumnia impendeat infamato, aut aliis damnum grave in spiritualibus, vel periculum vitae, vel grande malum publicum, tenetur calumniator cum periculo vitae famam alteri restituere; nam ista damna aequivalent vitae infamatoris. Idem dicendum, si jactura famae, vel aliorum

Digitized by Google

bonorum amissio ex infamia secutura tanti valeat ex circumstantiis, quanti jactura vitae suae ; nam quisque tenetur damnum injuste datum resarcire cum aequali, vel paulo majori suo detrimento. Et a fortiori in tali casu famam restituere tenetur cum jactura bonorum omnium. Less., Layman, Antoine, aliique.

CAPUT III.

De injuriis contra famam, et honorem per dubitationem temerariam, judicium, suspicionem, et secreti manifestationem, et de necessaria restitutione.

Q. Quid est judicium ?

R. Est essensus mentis sine formidine de opposito, et dicitur judicium firmum: si vero fit cum formidine de opposito, dicitur opinio.

Q. Quotuplici modo accipi potest judicium ?

R. Duplici modo, vel uti prudens, quando scilicet nititur sufficientibus indiciis, seu rationibus, vel uti temerarium, quando assensus mentis non nititur validis fundamentis ad judicandum, sed inanibus conjecturis, et levibus rationibus. In quo est advertendum, quod majora indicia requirantur ad judicandum, quam ad suspicandum, sicut et majora ad suspicandum, quam ad dubitandum, cum majus sit suspicari, quam dubitare, et plus judicare, quam suspicari. Ita Layman, aliique.

Q. Ut judicium temerarium sit peccatum grave de malo Proximi, quid requiritur ?

R. Requiritur, ut fiat de materia graviter mala, ut fiat judicium certum; ut judicium certum, fiat ex levibus conjecturis, et ut fiat cum temeritatis advertentia.

Q. Cui virtuti opponitur judicium temerarium ?

R. Virtuti justitiae, ita ut qui temere judicat Proximum improbum in materia gravi, graviter peccat contra justitiam, ut patet ex illo Matth. 7. : *Nolite judicare, ut non judicemini; in quo enim judicio judicaveritis, judicabimini, et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Patet etiam ex ratione; nam unusquisque habet jus ad bonam sui existimationem, seu famam, donec suum crimen agnoscatur, juxta illud: *Quisque praesumendus est bonus, donec demonstretur malus.* Ita communiter cum D. Thoma.

Q. Quid est suspicio ?

R. Est inclinatio mentis ad unam partem, ita tamen, ut non omnino assentiamur. Quae si fiat ex congruentibus rationibus, dicitur prudens, si fiat ex levibus, et frivolis rationibus, dicitur temeraria.

Q. Quid est dubitatio ?

R. Est suspensio intellectus inter assensum, et dissensum. Quae si fiat ex sufficientibus rationibus, dicitur prudens: si ex levibus, et inanibus momentis, dicitur temeraria.

Q. Num temere dubitare vel suspicari de Proximo sit peccatum grave?

R. Ex genere suo esse leve quia per suspicionem, et dubitationem fama parum laeditur. D. Thom. 2. 2. q. 60. art. 3., Cajet.. Layman, aliique. Dixi *ex genere suo*, nam potest dari casus ; in quo est mortale ; uti

Digitized by Google

si quis suspicatur grave malum, valde enorme, et extraordinarium ex levibus indiciis de persona honesta, puta si de probo viro ex levi fundamento suspicaretur esse haereticum etc., quia aegrius ferunt hujusmodi suspiciones homines, quam certum judicium de aliis criminibus ordinariis.

Not. Si suspicio, vel dubitatio temeraria non sit tantum animo retenta, sed externetur aliquo modo, aliis significando vitam Proximi, de quo suspicaris, inquirendo, suffragium denegando electionis, mortalis injuria infertur Proximo, si materia gravis sit, ideoque peccatum erit grave Less., Layman.

Q. Quomodo accipienda est ista Regula Juris 8. in VI. Qui semel malus, semper praesumitur malus esse?

R. Accipiendam esse in eodem genere delicti, et quamdiu ex indiciis emendatio colligi non potest, ut explicat Glossa ibid., praeterea quando agitur de cavendo incommodo, sive proprio sive alieno, unde marito semel saevienti in uxorem, non est reddenda uxor ob saevitiam digressa nisi constet de suae vitae emendatione. Semel perjurius non est admittendus ad novum juramentum: quin hoc est speciale de perjuro, quod semel perjurus, licet emendatus, non admittatur denuo, cap. *Testimonium* de testib.

Q. Quid est secretum, et quotuplex?

R. Est manifestatio alicujus rei alteri clam facta cum obligatione non revelandi, usque dum non perveniat ad aliorum notitiam. Triplex est, naturale, promissum, et commissum. *Naturale* habetur, quando res ex sua natura indiget occultatione, *Promissum*, quando res licet possit manifestari, promittitur tamen occultatio. *Commissum*, quando notitiam alicujus rei alteri communicatur cum obligatione occultandi.

Q. Num revelare secretum ex sua natura sit peccatum grave?

R. Esse peccatum grave contra justitiam, quando ex illius revelatione graviter laeditur is, cujus est secretum, aut aliquod damnum in fama vel in fortuna, vel in honore, vel in bonis ei eveniat, ita ut teneatur ad restitutionem frangens hoc secretum, quando ob revelationem secreti evenit alteri damnum, quia ipse per injustam revelationem secreti fuit causa damni, hinc si quis casu, vel industria noverit, ubi aliquis teneat thesaurum, et hoc incaute aliquibus revelat, unde sequitur, quod surripiatur, ad restitutionem tenetur. Ita Salmantic. hanc sententiam esse communem asserentes.

Q. Quid dicendum de eo, qui revelat secretum vi tormentorum, vel mortis, alterius gravis damni?

R. Non peccare, quia non tenetur cum tanto incommodo hoc secretum celare, modo non cedat in damnum pubblicum; nam tunc unusquisque mortem subire tenetur ad damnum communitatis evitandum. Hinc miles tenetur etiam cum periculo mortis servare secretum, quando manifestatio illius cedit in damnum communitatis. Ita Sanchez, Salmantic., aliique. Qui adjungunt, modo quis non promiserit etiam cum tanto incommodo servaturum secretum, et cum vitae discrimine, nam talis promissio objectum honestum habet; adeoque servanda est.

A fortiori si quis notitiam secreti per vim, aut fraudem consecuturus sit, ob metum tormentorum, vel mortis, secretum revelare non potest, si alteri ex revelatione aequale periculum immineat; quia qui secreti cognitionem injuste adquisivit, is tenetur secretum supprimere, et taliter se gerere, ac

Digitized by Google

si non scivisset, aliter manifestando continuabit, et augebit injuriam. Ita cit. DD.

Q. Num manifestare secretum sit peccatum per se grave, quando quis est legitime interrogatus a Judice?

R. Minime, quia per secretum ipse est obligatus ad non loquendum, quoties licite fieri possit: hinc si quis delictum secretum cognoverit, et legitime est interrogatus a Judice, tenetur illud manifestare, etiamsi fuerit secretum cum juramento promissum, quia non se obligavisse censetur ad rem illicitam, et juramentum non est vinculum iniquitatis. Ita Salmanticenses, Sanchez aliique.

Q. Ex quotuplici capite quis excusatur a peccato mortali, aperiendo secretum sibi commissum?

R. Ex multiplici. Et I. Ratione parvitatis materiae. II. Ratione imperfectae advertentiae. III. Ratione justae causae, ob quam quis etiam a veniale excusatur. Hinc advertendum, quod justa causa sit bonum spirituale, vel temporale, magni momenti, tum illius, qui commisit secretum, tum communitatis, tum etiam innocentis, bonum enim publicum, vel jus innocentis, ad cujus defensionem revelatur secretum, praevalet juri quod habet alter ad secretum, et obligatio ad servandum secretum censetur promissa, modo nulla ex praedictis conditionibus intercedat.

Ex his inferas I. Graviter peccare, supposita gravitate materiae (si scilicet arcanum sit gravis momenti, vel inde grave damnum Proximi, aut gravis discordia sequi potest) eum, qui Proximi secretum explorat, v. g. auscultando ad januam, literas aperiendo etc. Item Superiores, Consiliarios, Medicos, Advocatos, imo Amicos, quibus commissum, vel notum est secretum, illud revelantes, et si damna oriantur, teneri ad restitutionem: quin et omnes alios ab altero alienum secretum accipientes, etenim isti etiam tenentur ad secretum ex tacita conventione.

II. Non solum quis non tenetur ad secretum, verum etiam tenetur patefacere eos qui falsa dogmata occulte spargunt, vel aliquod malum moliuntur contra bonum commune, vel contra etiam privatam personam, etiamsi juraverit non revelaturum, nam juramentum illud, utpote contra obligationem naturalem invalidum fuit, et illicitum.

III. Si quis occulto impedimento obstrictus a matrimonio revocari non possit, nisi, canonice denuntietur, licita erit denuntiatio secreti ob Sacramenti reverentiam, et peccatum evitandum.

CAPUT IV.

De Obligatione restitutionis ratione homicidii, mutilationis, etc.

Q. Num homicida, vel mutilator ad restitutionem teneatur?

R. Pro vita hominis liberi praecise, vel mutilatione, vel cicatricis deformitate non teneri restituere, cum ista sint bona altioris ordinis, quae pecunia aestimari non possunt, *liberum enim corpus nullam recipit aestimationem.* L. ult. D. de his, qui effuderint etc.

Dixi, *pro vita, vel mutilatione* etc., quia si laesus sit servus alienus, cum hic pretio aestimabilis sit, pro ejus vita, vel mutilatione restituendum

Digitized by Google

est domino, quantum vendi poterat. Dixi, *pracise pro vita, vel mutilatione*; quia ratione damni ex illis illati restituere tenetur totum illud damnum, quod ex vulnere, vel morte secutum est, ut patet ex Exod. 21. Idem habetur ex cit. L. ult. D. de his qui effuderint etc. ubi dicitur: *Cum liberi hominis corpus ex eo, quod dejectum effusumve erit, laesum fuerit, Judex computat mercedes Medicis praestitas, ceteraque impendia, quae in curatione facta sunt, praeterea operas, quibus cavit, et cariturus est ob id, quod inutilis factus est. Cicatricum autem, aut deformitatis nulla fit aestimatio.* Ex quibus colligitur, quod laesor teneatur solvere integras impensas pro laesi curatione factas, compensare omne lucrum cessans, et omnia damna realia ex homicidio, mutilatione, vel laesione secuta; quia ipse fuit injusta causa tot damnorum. Alii tamen aliter sentiunt, asserentes ad restitutionem pro vita, ac mutilatione quemlibet laedentem teneri arbitrio prudentis, quia si restitutio fieri non potest, prout debet, facienda est, prout potest.

Q. An sit restituendum illud lucrum, quod probabiliter sperabatur, si propter homicidium, mutilationem etc. cessaverit?

R. Maxime, exceptis expensis, quas ipse consumpturus erat, si vixisset, aut sanus fuisset, quod lucrum quidem cum posset multipliciter impediri, non valet, sicut lucrum in re. Hinc non est restituendum, quantum laesus lucraturus erat, cum sit incertum, et variis modis impediri possit, sed quantum judicio prudentis valeat spes lucri, spectatis omnibus circumstantiis. Ita Lugo, Salmantic., aliique.

Q. Num restituendi sint sumptus funebres?

R. Minime, quia aliquando isti erogandi erant excipe tamen, si occasione necis illatae majores sumptus facti sunt; tunc enim occisor tenetur compensare illos, qui superadditi sunt ratione necis illatae, quia illorum ipse est injusta causa.

Q. Quibus haeredibus homicidae restituere tenentur?

R. Vel loquimur de debitis realibus ab homicida ante mortem occisi contractis, puta de expensis curationis, de lucro omisso post aliquot dies post vulnus, de pecunia solvenda propter remissionem cum laeso conventam, et dico ista teneri restituere haeredibus tam necessariis, quam voluntariis, scilicet non tantum filiis, ac parentibus, qui faciunt unam personam cum occiso, sed etiam aliis, quia ista non debentur ratione alimentorum, sed sunt debita realia contracta ante mortem, quae procul dubio debentur quibuscumque haeredibus, qui succedunt in omnibus juribus defuncti, quae dum viveret, habebat.

Vel loquimur de alimentis, de lucro cessante, vel damno emergente post mortem, et dico, quod homicida teneatur restituere, sive compensare illa haeredibus suis, sive necessariis, quia faciunt isti unam personam cum defuncto. Hinc occisor Titii compensare tenetur omnia damna facta uxori, filiis, ac parentibus Titii, quoad alimenta, cum ipse fuerit injusta causa eorum damnorum, et de cetero uxor, filii, ac parentes jus strictum habebant ad alimenta percipienda ab occiso, cum censerentur una persona cum occiso, ideoque jus habebant jus ad lucra, quando occisus eos alebat sua industria, et arte; nam si bonis alebat, cum haec bona remaneant etiam post occisionem, occisor ad nihil tenetur cum revera damnum non

Digitized by Google

intulerit. Praeter uxorem, filios, ac parentes occisi, aliis occisor nihil restituere debet, etiamsi occisus illos alebat ante mortem, nam alebat ex liberalitate, non vero ex justitia, adeoque nulla injuria eis illata est quoad alimenta. Less. Layman, Stampò.

Q. Quid si occisus antequam moreretur, fecerit remissionem occisori?

R. Talis remissio non importat remissionem damnorum realium, quae injuria sequuntur, sed remissionem odii, ac rancoris, actionis, et poenae. Quod si occisus omnia remiserit occisori valida est remissio, excepto jure, quod habent filii, uxor, parentes ad alimenta, quia hoc jus non pertinet ad occisum, sed ad filios, uxorem, parentes, unde quoad hoc jus nulla esset condonatio, nam haec fieri debet de re propria.

Q. Num occisor teneatur solvere, quae occisus debeat suis creditoribus?

R. Teneri, quantum occisus probabiliter judicio prudentum erat soluturus, si bona ejus extantia non sufficiant ad omnia debita solvenda, quia ipse fuit injusta damni causa. In quo est advertendum, quod hoc sit detrahendum ex iis, quae sunt haeredibus necessariis occisi restituenda, aut de quantitate compensanda lucri cessantis, si occisus suo artificio, et familiam aleret, ac praeterea debita suis creditoribus esset soluturus. Ita communiter.

Q. Num teneatur ad restitutionem, qui alium occidit causa suae defensionis?

R. Non teneri, quando fuit commissum homicidium cum moderamine inculpatae tutelae, quia hoc damnum imputatur occiso, et quia in damnificatione requiritur culpa Theologica, quae in casu non habetur. Ita communiter.

Q. Num teneatur ad restitutionem, qui alium in duello occiderit, si damna inde sequantur?

R. Si provocatus provocantem occiderit, dico eum ad nihil teneri; quia provocans illum invitavit ad sui occisionem, et proinde videtur consensisse in ipsa damna oborta, ac renuntiasse juri suo, et provocatus involuntarie videtur accessisse ad homicidium. Idem dic, quando duellum fuit utrique voluntarium. In utroque tamen casu, excipe damna illata, quoad alimenta uxori, filiis, ac parentibus, quae compensandae sunt, nam ad occisum non pertinebant, ac proinde non possunt censeri tacite remissa. Excipe porro damna creditoribus illata, si debita, sicut alimenta, solvebantur ex lucro, et industria occisi. Et e contrario tenetur ad omnia damna, quando provocans provocatum occidat, quia voluntarie ad duellum descendit, et non solum ad vim repellendam, sed potius ad inferendam; tunc enim provocans habetur tamquam injustus aggressor.

Q. Num ex homicidio casuali oriatur obligatio restitutionis?

R. Vel loquimur de homicidio inculpate commisso, et mere casuali, et dico, quod sicuti vacat culpa, quia voluntarium non est, sic et non inducit onus restitutionis. Vel loquimur de homicidio culpabiliter commisso, et mixte casuali, hoc est volito saltem in causa, et dico, quod sicuti peccatum hujusmodi homicidium est, ita et importat onus restitutionis, cum fuerit illud peccatum Proximo injuriosum, et damnosum, ideoque contra justitiam commutativam. Concina, aliique.

Digitized by Google

Q. An teneatur ad restitutionem, qui putans occidere Cajum, occidit Sejum, quem invincibiliter putabat esse Sejum?

R. Maxime, et patet ex L. 18. D. de injur., nam revera voluit injuste occidere hunc hominem individuum, quem credebat Cajum, ac proinde huic homini injuriam, ac damnum intulit. Antoine.

Q. Num heredes occisoris teneantur restituere, quando occisor puniatur poena capitis?

R. Maxime, quando jam supersunt bona, ex quibus possunt restituere, quia heredes succedunt in omnes obligationes reales defuncti, sicut in omnia ejus bona, et jura, per mortem enim non tollitur obligatio compensandi damna, sed solum punitur delictum commissum. Ita communiter.

CAPUT V.

De obligatione restitutionis ratione stupri, et adulterii

Q. Ad quid tenetur corruptor virginis, quando commisit stuprum, virgine consentiente?

R. Ad nihil teneri, quando hoc fecit absque ulla vi, vel fraude, quia scienti, et sponte consentienti nulla fit injuria, neque dolus, puella tamen voluntarie consentiens peccat contra pietatem Parentibus debitam ratione dedecoris, et moeroris, quae illis infert per stuprum sponte commissum. Tamen tenetur stuprator restituere damna causata Parentibus, quia ipse fuit injusta causa eorum damnorum. Ita Navarra., Antoine, et S. Anton. 2. part. tit. 5. cap. 6., aliique communiter.

Q. Quid dicendum de illo, qui precibus importunis, vel muneribus inducit mulierem ad consentiendum in sui defiorationem?

R. Probabilius est teneri ad restitutionem, praesertim si preces fuerint conjunctae cum minis, vel metu reverentiali, quia per munera, vel preces importunas, licet non adimitur libertas, multum tamen minuitur. Cuniliati.

Q. Ad quid tenetur stuprator, si vi, vel fraude virginem defloravit?

R. Teneri ad restitutionem omnium damnorum honoris, famae, fortunae, inde provenientium ipsis, et Parentibus, quia ipse fuit causa eorum injusta, Cap. *Si culpa* ult. de injur. Porro debet aliquid aliud dare arbitrio prudentum propter dolorem, et moerorem, quem mulier vi oppressa semper patitur, et propter timorem, ac periculum, ut si conjugata a viro taliter cognoscatur, dimittatur, ac male tractetur. Ita Lugo, Salmantic., aliique.

Q. Num teneatur in casu corruptor defloratam in uxorem ducere, quando promissio matrimonii non fuit?

R. Minime, quia solum debet damnum illae illatum compensare, ad matrimonium non est in casu adstringendum. Quamvis sit saluberrimum consilium illam ducere si possit, ut penitus deflorata ab injuria liberetur.

Nota. Quod possit iste talis in poenam criminis obligari ad eam dotandam, et ducendam sententia Judicis, et defloretor obedire tenetur, quia sententia poenalis justa obligat in foro conscientiae, ut desumitur ex Cap. 31. v. 13. Exod. *Si seduxerit quis virginem nedum despensatam, dormierique cum ea, dotabit eam, et accipiat eam in uxorem?*

Digitized by Google

Q. Quid si puellae, ejusque parentibus nulla obvenerint damna, quia remansit occulta?

R. Ante Judicis sententiam ad nihil teneri, quia nihil debetur pro ipsa defloratione pudicitiae, cum non sit reparabilis, et pretio aestimabilis, neque pro alio damno inde secuto, cum nullum re ipsa secutum sit. Ita DD. multi.

Q. Quid de violatione virginis putatae?

R. Etiam teneri ad damna, quando concubitu suo injusto eam diffamavit, quia revera ipse fuit causa damnorum, quod est dicendum etiam de vidua, quando ex copula cum ea per vim habita illa infamatur, unde alteri postea non potest nubere. Ita communiter.

Q. An ex adulterio obligatio restitutionis oriatur?

R. Non oriri obligationem restitutionis ratione adulterii, quando partus ex illo non sequitur, vel aliud damnum, quia conjugi non intulit damnum, sed injuriam. Ita communiter. Quod si vir adulterium suae uxoris noverit, tenetur adulter illi satisfactionem honorariam praestare ad injuriam tollendam.

Dixi *quando partus non sequitur*, quia si sequatur, tam adulter, quam adultera ad prolis alimenta tenentur in solidum, quia uterque posuit actionem injustam, unde partus secutus est, ita ut adulter teneatur alere prolem ab anno tertio, usquedum proles possit sibi de necessariis providere, a partu vero usque ad tertium annum inclusive teneatur adultera Cap. *Ex litteris* de convers. Infidel.

Dixi *quando non sequitur aliud damnum*, quia si sequatur damnum, puta marito, vel legitimis heredibus, tam adulter, quam adultera tenentur in solidum damna compensare, quae illis obveniunt, quia uterque est aeque principali causa injusta eorum damnorum. Damna autem possunt esse alimenta, quae praestantur spurio, vel dos a Patre putativo filiae spuriae; item portio hereditatis, quae detrahitur filiis legitimis, et spurio datur. Porro si facta sit donatio, vel legatum, vel relicta sit hereditas spurio a consanguineis Patris putativi, eo quia illum credant legitimum, et de sua familia in damnum illorum de familia hujusmodi, etiam damni debebitur compensatio.

Not. Hoc verum est, etiamsi alter alteri adulterium persuasit, dummodo fecerit sine vi, et dolo, quod si alteruter vim, dolum, aut metum intulisset gravem, etiam reverentialem, hic teneretur de omni damno, nam esset solus causa principalis adulterii, ideoque damnorum, et alter teneretur solum in ejus defectum, cum sit causa minus principalis, utpote minus voluntaria.

Q. Quid si dubitetur, num ex adultero, vel ex marito concepta sit proles?

R. Tenetur adulter pro rata dubii ad omnia damna, quia commisso delicto, praesumptio esse solet contra delinquentem, nisi hic aliud indubie probet. Ita Layman, aliique.

Q. Quomodo tenetur adultera damna compensare?

R. Tenetur in casu, quo proles spuria reputetur legitima, et una cum legitimis portionem accipiat haereditatis, relinquere filiis legitimis quod extraneo relinquere poterat. Laborare quantum suo statui decet, et lucrum

Digitized by Google

et illo acceptum debet illis dare, atque consulere spurio de ingressu Religionis; quia omnibus modis, quibus sine dispendio vitae aut famae potest, procurare tenetur, ne heredes ratione illius illegitimi filii damnum patiantur. Ita communiter.

Q. Estne licitum filium adulterinum exponere?

R. Ad evitandum gravem infamiam licitum esse in Orphanotrophio, non aliis publicis locis, dummodo ita non exponatur, ut possit proles mori. Hinc consultum est, ut prius baptizetur, apposita ei schedula de baptismo, ac nomine testante.

Not. Si Orphanotrophium, in quo proles illegitima suscipitur, pauper sit, et parentes sint divites, tenentur ad aliquam compensationem, si facere possint sine infamia. Praeterea tenentur, si possunt, etiam sine infamia, aliquam curam gerere filii expositi, et sustentationem ministrare, si indigeat, non secus, ac si non fuisset expositus.

Q. An adultera, quae non habet spem compensandi damna causata legitimis heredibus, teneatur spurio suum crimen manifestare ad avertendum damnum mariti, vel filiorum legitimorum?

R. Ordinarie loquendo non tenetur, quia nemo debet infamare seipsum, Dixi *ordinarie loquendo*, quia si majora damna sequantur ex eo, quia proles creditur legitima, quam sit infamia matris, tenetur mater revelare delictum suum, quia in pari, vel majori causa melior est conditio innocentis, quam delinquentis. Layman, Antoine.

Q. Teneturne filius credere matri dicenti se esse spurium?

R. Minime, nam filius juxta communiorem sententiam non tenetur credere matri etiam juranti se esse spurium nisi probetur certis argumentis, cum filius sua, et aliorum opinione sit legitimus, ideo nunquam tenetur credere matri, nisi validis argumentis convincatur. Ita Gloss. et DD., in cap *Officii* de poenit., et remiss. *Puta si mater in mortis articulo constituta, susceptis sacramentis, jurejurando id affirmet. Cunitiati.* Hactenus de restitutione, de qua satis superque dictum.

ADDITAMENTA EX S. LIGORIO (1)

QUID RESTITUENDUM OB STUPRUM.

Si vir virginem defloravit vi, fraudibus, aut minis, tunc tenetur reficere tam ei quam patri damna quae eis intulit in honorem et in bona, dotando eam, aut dotem augendo. Et quamvis ducere eam non teneatur ut dicunt communiter *Lugo Less. Salmant.* etc. nihilominus bene potest judex ad nuptias in poenam sui delicti eum obligare juxta textum *cap. 1. de Adult. et Exod. cap. 22.* Imo quando deflorator non potest alio modo damnum restaurare, ex se tenetur ducere, ut communiter dicunt *Less. Lug.*

(1) *Homo apost Tract. X. Punct. VI. §. 91. et seq.*

Digitized by Google

Salmant. Bon. Dicast. etc. Contra ad nihil tenetur. 1. Si mulier jam corrupta erat prius, modo ob injuriam qua postea affecta est, infamia non remaneret notata. 2. Si illa aeque nuberet ac si esset virgo, quia tunc in effectu nullum damnum adest, verumtamen advertunt, quod si mulier a viro male haberetur ob cognitum defectum, debet defloretor aliquo modo reficere damnum quod patitur. Ad quid autem teneatur si precibus aut donis eam induxisset? Dicunt communiter *Sanch. Less. Lugo Sot. Vasq. Salmant.* etc. ad nihil teneri, modo non intercessissent minae aut timor gravis damni; et tunc dicunt ne teneri quidem ad totum damnum. Hoc procedit cum non adest promissio matrimonii; sed cum promissio inest, defloretor tenetur puellam ducere non solum cum promissio est vera, sed etiam cum est ficta, ut tenendum est cum *S. Thoma*, quem communiter sequuntur *S. Anton. Sanch. Lugo, Less. Tamb. Salmant. Croix, Viva* etc. (contra pauciores, qui obligant ad reparandum solum damnum). Ratio 1. est quia tale damnum nullo alio modo adaequato reparari potest, nisi matrimonio. Ratio 2. (et haec est potior, et in posterum valebit ad decidendos multos casus) quia in contractibus non nominatis *do ut des* et hujusmodi, cum alter praestat suam partem, alter, licet ficte promiserit, pariter tenetur ex justitia praestare suam, non secus ac si vero ex animo promisisset, dum hoc necesse est, ut a contractibus fraudes, quae cum damno communi impedirent commercium humanum, removerentur. Et idem dicendum cum *Lugo et Salmant.* contra *Sanch.*, si quis ficta matrimonii promissione viduam bonae famae cognosceret. Hoc procedit quoad conscientiam; sed quoad forum externum, hic obiter notamus, quod advertit *Continuator Tournely*, valde utile esse ad impedienda haec tam frequentia facinora, si Episcopi et Magistratus irritos omnino declararent omnes istas matrimonii promissiones etiam juramento firmatas nisi plane testimoniis, et scripturis validis haec constarent.

Limitatur tamen sententia praefata circa obligationem defloratoris ficta promissione. I. Si mulier ex verbis, aut aliis circumstantiis de facili animadvertere poterat deceptionem, ut esset sicut dicunt communissime *Lugo, S. Antonin. Navar. Silvest. Salm. Busemb.* cum *S. Thoma* si vir esset longe nobilior, aut ditior, quia tunc (ut dicit Angelicus) merito praesumi potest quod mulier finxit aut voluit decipi, sed revera non decepta est. Quanta autem haec disparitas debet esse, *Lessius* exemplificat hoc modo: Si vir esset filius Magnatis, et mulier filia fabri, sed *Sanch. Navar. et S. Antoninus* dicunt sufficere minorem inaequalitatem verb. gr. si nobilis (sed non Magnates) ducturus esset filiam agricolae aut artificis. Et idem dicunt praefati auctores cum aliis et cum eodem *Less.* si vir esset notabiliter opulentior. Item dicunt probabiliter *Sanch. Lugo, Less. Sal. Viv.* et alii hoc procedere, etiamsi puella disparitatem ignoraverit; quia si adesset praecisa obligatio matrimonii, tunc vir teneretur reddere aliquid excedens aequalitati debitae injuriae illatae: unde tunc sufficiet, ut curet reficiendum damnum eam dotando. Contra si mulier poterat percipere disparitatem, ut supra dictum est, probabilius cum *Less. S. Antonin. Lugo, Sanch. Sylvest.* (adversus alios) non teneri tunc ne damnum quidem reparare, sicut etiam expresse docet *S. Thomas loc. cit.* sic dicens: *Et etiam quoad hoc*

Digitized by Google

(nempe ad damni reparationem) *non tenetur quia praesumi probabiliter potest quod sponsa non fuerit decepta, sed decepi se finxerit.*

Limitatur. II. Si ex Matrimonio pessimus timeretur exitus, ut dicunt *Lugo*, *Sanch. Busemb. Henriq.* etc. Limitatur III. Si mulier remitteret defloratori obligationem se ducendi; cum talis remissio valida sit, licet dissentiret familia, ut probabiliter dicunt *Lugo*, *Less. et Laym.* dum jus ad matrimonium praecipue ad eam spectat, ideoque libere illa cedere potest. Limitatur IV. Si matrimonium, non posset perfici a viro sine familiae dedecore; nam tunc non tenetur ad matrimonium, licet promissio esset vera, cum tunc sit invalida, sicut de re illicita, prout dicunt communiter *Laym. Navar. Sanch. Ronc. Sporer.* etc. Sed utique teneretur, si promissio fuisset vera, et disparitas tantum esset in divitiis, ut dicetur *Tom. II. Tract. XVII. n. 16.* loquendo de Sponsalibus. Limitatur V. Si vir adhibet tantum tactus cum virgine ut dicunt *Sanch. Navar. Lugo, et Croix*, quia soli tactus non sunt tantae injuriae, ut inducant obligationem ineundi matrimonium ficte promissum, nec tanti ponderis ut non ingerant mulieri suspicionem fictionis: modo (excipitur) mulier non esset nobilis, aut honesta, aut modo vir non requisisset, nisi solus tactus, cum nuptiarum promissione, et propter illos (jam patefactos, aut saltem familiaritate divulgata) puella remaneret infamia notata.

Limitatur VI. Si vir puellam censebat virginem, sed corruptam inveniret, ita communiter *Laym. Sanch. Salm. Ronc. Holzman*; *Sporer.* etc. Et eo casu dicitur juxta sententiam probabiliorem *Less.*, *Concin. et Roncagl.* quod vir non tenetur aliquod dare ratione copulae traditae, nisi adesset pactio expressa, aut nisi ex tali facto mulier remaneret infamia notata; sed dicit probabiliter *Elbel*, quod si ipsamet suam ignominiam divulgaret vir ne ad aliquid quidem teneretur. Limitatur VII. Si ipsamet puella exhibito consensu suae violationi propter fictam matrimonii promissionem repugnaret nuptias contrahere, quia vir non tenetur tunc ad aliud, nisi esset ut recte excipit *de Lugo*, quod ille simulasset se melioris conditionis, aut illi conditionis aequalis, et esset deterioris, quia tunc licet, mulier nuptias respueret, tamen ille tenetur compensare damnum majoris dotis, qua indigeret, ut nuberet. Eidem compensationi dicimus eum *Navarr. Vasq. Silvest. et Henriq.* (*contra Sanch. et Lugo*) teneri virum si puella matrimonium non recusaret, sed sui parentes: nam promissio ficta praecipue intelligitur facta ad compensandum damnum. Idem dicimus cum *Less. Azor. Bonac. Lugo*, *Croix* (adversus *Mol.* etc.) si mulier violationem invita passa fuisset, et nollet postea nubere ei a quo injuria affecta est. Defloratur contra, ut recte dicunt *Lugo*, *Less.* et alii non tenetur ad eam ducendam, cum nulla intercessit promissio, nec vera, nec ficta; modo nulla alia via subesset qua damnum repararetur, et inaequalitas non esset nimia.

Digitized by Google

ADDITAMENTA EX S. LIGORIO

QUID RESTITUI DEBET OB ADULTERIUM (1).

Distinguenda est obligatio adulterae ab illa adulteri. Adultera cum reparare nequit mariti, et filiorum legitimorum damnum ob prolem spuriam, quae nata est, tenetur saltem illud compensare, suis bonis propriis, aut se privando illis quae praetendere potest, suis industriis, aut inducendo filium, ut Religionem ingrediatur, si sit ad hoc idoneus. Dubium restat utrum teneatur prodere delictum suum? Respondemus non teneri, cum prudenter timeret mortem, aut infamiam, et tale suum damnum valde praeponderaret damnó viri, et filiorum legitimorum; sed cum damnum respective esset aequale, aut parum excedens, illa non potest suum celare crimen; ita dicunt communiter *Lugo, Sot. Less. Tol. Croix, Rone. Dian. Samb. Spor.* (contra aliquos). Hinc fit quod adultera debet suum crimen manifestare. 1. Si illa jam sit malae famae apud vulgum, aut ut dicunt *Less, et Lugo* si foemina esset adeo vilis conditionis, ut ejus fama non esset tanti, quanti alterius damnum. 2. Si secus timeretur damnum commune, v. gr. si spurius sit perditis moribus, et succedere deberet in Principatum. 3. Si illa posset sine multo damno, se prodere viro suo, sed recte hic dicunt *Lugo et Spor.* difficulter adulteram posse ad id teneri, quia difficulter poterit magnam vexationem evitare, ut infertur ex Cap. 9. de Poenit. ubi dicitur: *Mulieri quae de adulterio prolem suscipit, quamvis id viro suo timeat confiteri, non est poenitentia deneganda.* Sed contra dicunt communiter *Lug. Less. Rone. Spor. Croix, Tamb.* etc. quod mater tenetur se prodere filio spurio, si probabiliter sperare posset illum sibi crediturum, et bonis cessurum. Nec obstat dicere quod amissio famae praeponderat bonorum amissioni; quia ex una parte non est certum quod delicti propalatio apud unum vel alterum probum sit gravis infamiae, imo non videtur improbabile oppositum ut dicetur *Tract. XI.* num. 11. Ex alia parte mater certe tenetur ad damnum reficiendum, unde quoties certa non est, quod suum damnum sit multo majus damno aliorum filiorum, illa tenetur ad illius reparationem.

Sed punctum sistit, quod filius non tenetur matri in hoc praestare fidem, ut docent communiter *Azor. Filliuc Lugo, Less. Laym. Rone. Salmant. Holzm.* etc., nam nemo tenetur credere testimonio unius, etiam probatissimi, ut habetur *ex Cap. Relatum, de Testam.* et ex *C. Licet de Test.* ubi dicitur: *Nulla est causa quae unius testimonio quamvis legitimo terminetur.* Cum hoc expediat bono communi, ut vitentur fraudes quae secus possent de facili committi. Ideoque dicunt *Elbel*, et alii quod raro potest accidere quod mater teneatur se prodere apud filium, quia raro contingere potest, quod filius teneatur credere matri. Sed si unquam ea indicia illegiti.

(1) *Homo apostol. loc. cit. Punct. VII. §. 99. et seq.*

Digitized by Google

mitatis filii adessent, ut nota fuissent, filius jure in foro externo damnaretur (v. g. si mater perspicue demonstraret viri absentiam, aut impotentiam tempore conceptionis, tunc filius teneretur credere matri, et mater se prodere apud filium.

Hactenus de adultera. Quoad adulterum, ille tenetur restituere filiis legitimis tam haereditatem suae proli relictam, quam alimenta illi exhibita a tertio anno quia usque ad tertium annum tenetur eam lactare mater, si potest, si autem non posset, etiam tenetur ad hoc adulter. Dicunt nonnulli AA. quod si adulter non induxisset matrem ad prolem supponendam inter legitimos, sed in hoc se negative habuisset, tunc non tenetur ad alimenta, aut saltem non ad haereditatem. Sed nos dicimus cum *Less. Mol. Cajetan. Conc. Salm. Croix* etc. communiter ad utrumque obligari; quia ille semper est causa moralis proxima damnorum praefatorum conjiciendo adulteram in moralem necessitatem prolem supponendi. Quaeritur 1. Ad quid teneatur adulter in dubio, an proles sit propria, an viri? Dicit *Laym.* teneri ad damnum pro rata dubii. Sed communiter docent *Sot. Navar. Lugo, Less. Sanch. Castrop. Tourn. Conc.* etc. ad nihil teneri, quoties nescit certo prolem esse suam; nam secus possidet matrimonium, et possidet etiam adulter exemptionem a satisfaciendo damno. Et idem procedit (ut recte dicunt *Sot. Sanch. Salm. Trull.* etc.) si dubitatur inter duos adulteros, cujus sit proles; eadem ratione, quia non potest imponi onus certum pro dubia obligatione. Debet tamtaxat excipi cum *Elbel.* et aliis, casus, quando secundus adulter advertisset, quod suo peccato sit causa ipse incertitudinis, ne dignoscatur cujus sit proles: qua incertitudine posita, non potest postea exigi damnum a primo adultero, ideoque hic secundus remanet obligatus ad totum damnum juxta id quod dictum fuit *n. 50.*

Quaeritur 2. an si adulteri essent opulenti, et mitterent prolem ad hospitale, teneantur ad refectionem expensarum? Affirmant *Spor. Elbel. Salmant.* etc. quia (ut dicunt) hujusmodi opera instituta sunt tantum pro pauperibus. Sed probabiliter negant *Henriq. Dicast. Rodriq. et Renzi* et probabile dicunt etiam Auctores primae sententiae quia hospitalia non sunt erecta solum ob parentum pauperum levamen, sed etiam, et forte potius, ad cautionem filiorum ex illegitimo consortio natorum, ob periculum, quod eis subest mortis temporalis, et aeternae, si parentes deberent suis impensis eos alere.

LIBER III.

DE JUSTITIA ET JURE, UBI DE CONTRACTIBUS DISPUTATUR

PARS I.

De Contractibus in genere

Favente jam Deo pervenimus tandem ad eas justitiae, et Juris praeceptiones, quae promissa pacta, et contractus in hominum commerciis valde frequentes dirigunt, et moderantur.

Digitized by Google

CAPUT I.

De natura, definitione, et divisione contractus

Contractus duplici modo accipi potest, stricte, et late (1) Contractus stricte acceptus, qui absolutus, perfectus, etc. dicitur, definitur ab Ulpiano in L. *Labeo* D. de verb. signif. *Ultro citroque obligatio*, seu est duorum vel plurium consensus, ultro citroque obligationem pariens: uti est emptio, venditio etc. Contractus vero late acceptus, qui cum pacto coincidit, et comprehendit omnes contractus gratuitos, et alios, in quibus solum ex parte unius datur obligatio, uti est promissio, donatio etc., sic definitur: *Conventio duorum obligationem saltem in alterutro pariens.*

Ad essentiam igitur cujuscumque contractus requiritur consensus mutuus, internus, et obligatio. Obligatio definitur: *vinculum juris, quo necessitate adstringimur alicujus rei solvendae vel faciendae, cui jus petendi, et persequendi quod sibi debetur altera ex parte respondet*, princip. Instit. tit. de obligat. Quae triplex est, Naturalis, Civilis, et Mixta. *Naturalis* et illa, quae solo aequitatis vinculo sustinetur, non adjuta aliquo modo a jure Civili, ideoque solum obligat in conscientia (1), et ex ea adversus aliquem non datur actio: cujusmodi est pactum nudum, seu promissio nuda de dando aliquid. *Civilis* est illa, quae a jure civili habet vim, et vinculum aliquod, sed per *exceptionem* eliditur, ut nihil exigi possit, ideoque non obligat in conscientia: ejusmodi est stipulatio ejus, qui metu inductus, vel dolo deceptus stipulanti promisit, §. 1. Instit. tit. de excep. *Mixta* est illa, quae aequitatis, et juris vinculo nititur, actionemque producit efficacem, seu cum effectu agendi, adeoque in utroque foro obligat.

Q. Quaenam requirantur ad contractum, ut valeat?

R. Quatuor. I. Habilitas personarum ad contrahendum. II. Capacitas

(1) Quod olim consilium saluberrimum doctissimis Galliarum Jureconsultis fuit, ut in Codicis redactione cl. Pothier, et Domat vestigiis inhaerendo doctrinas omnes, quae contractus respiciunt ex Digesti Libris (qui sane Jurisprudentiam non jejunam exhibent: immo ad gravissima controversiarum momenta rite examinanda adjumenta abunde suppetunt) colligerent, et in methodum redigerent, idem quoque Regem Nostrum Ferdinandum I. impulit, ut in suis Legibus pro Utriusque Siciliae Regno an. 1819. ferendis ab ipso fonte sanctiones hauriret, et ad publicam suorum civium utilitatem confirmaret. Quamobrem Jure Romani constitutiones *de pactis*, *de obligationibus*, *de actionibus*, *de verborum significationibus* etc., quae prae ceteris jure meritoque optimo Jus commune constituunt, tum quia in pluribus Europae Principatibus observantur, tum quia teste cl. Bigot —Préameneu (in sua allocutione) Nationes omnes in hisce sapientissimis Legibus *Rationem ipsam veluti insculptam invenire gestiunt*, in suo Codice penitus sancivit. Unde colligas hasce doctrinas vel apud Nos vigere, cum obtinentia Jura proprie, aptisque verbis illis respondeant. Jamvero cum Legislator Noster nonnullas mutationes in illis induxerit, hinc eas e re nostra passim attexendas duximus.

(2) In Utriusque Siciliae Regno inter obligationes mere naturales illa adnumerari potest, quae ex ludo aleatorio oritur, cui Jus Civile non omnino adsistit: pro illius enim solutione victori actio denegatur: art. 1837. Cod. LL. Civ. Excipiuntur vero ludi omnes, qui ad corporis exercitium influunt, quique minime prohibentur: art. 1838.

Digitized by Google

rei, ut sit materia idonea contractus. III. Consensus mutuus, signo externo expressus, ac plane deliberatus, nempe talis ut sit sufficiens ad peccatum mortale, nam per contractum homo homini obligatur more humano. Hinc Ictus ait in L. 219. D. de verb. signif. *In conventionibus, contrahentium voluntatem potius, quam verba spectari placuit.* IV. Forma substantialis a jure praescripta, si aliqua sit constituta.

Q. Quaenam differentia intercedit inter pactum, et contractum?

R. Haec est: quod omnis contractus est pactum, non vero e contrario. Contractus utramque partem obligat, pactum vero unicam partem (1).

Q. Quomodo dividuntur contractus?

R. Dividuntur I. In *formalem, seu expressum, et virtualem, seu implicitum.* Primus est ille, quo duo, vel plures expresse conveniunt de eadem re cum obligatione mutua, vel saltem unius erga alterum. Secundum (*qui etiam* quasi contractus *dicitur*) est ille, quo tacite suscipitur obligatio justitiae ex facto aliquo licito, puta aditione haereditatis, officii etc., acceptatione tutelae, curae, negotiorum gestorum, officii Medici, Advocati, Artificis, Administratoris, Praelaturae, Magistratus, Beneficii etc.

II. In *Nominatum*, et *Innominatum.* Primus est ille, qui proprium nomen habet, uti venditio, emptio, locatio etc. Secundus est ille, qui non habet proprium nomen, cuius quatuor sunt species. Prima: *Do ut des*, puta do tibi vinum, ut tu mihi des pannum. Secunda: *Facio ut facias*, puta, colo tibi agrum, ut tu vehas mihi frumentum. Tertia: *Do, ut facias*, puta, do tibi vinum, ut colas mihi agrum. Quarta: *Facio ut des*, puta, facio tibi domum, ut tu des mihi agrum, L. *Naturalis* 5. D. de praescriptis verb. (2).

III. In *Gratuitum*, et *Onerosum.* Primus est ille, in quo habetur obligatio ex unica parte, ut est promissio, donatio etc. Secundus est ille, in quo habetur obligatio ex utraque parte paciscentium, uti est locatio, conductio. Vel gratuitus est ille, in quo nullum intercedit pretium, aut merces. Onerosus est ille, in quo dans accipit pretium, seu mercedem. (3).

IV. In *Nudum, et Vestitum.* Primus est ille, qui caret omni firmamento exteriori, et meris finibus conventionis consistit, seu est nuda conventio, quae obligationem in foro conscientiae parit, uti est contractus innominatus antequam ex altera parte impleatur. Secundus est ille, qui civili jure est confirmatus, et civilem actionem parit, uti sunt scriptura, testes, juramentum.

(1) Jure novissimo Cod. LL. Civ. nulla intercedit distinctio inter pactum, et contractum, ac proinde pactum, conventio, contractus idem designant. Contractus enim nomine conventio venit, qua unus, vel plures ad quid solvendum, faciendum vel non, erga unum, aut plures adstringuntur: art. 1055.

(2) Jure novissimo contractus sive nominati, sive innominati generalibus conditionibus a Lege praescriptis subjacent. Extant quoque praecipuae sanctiones, quae conventiones in specie respiciunt, quas suis in locis indicabimus: art. 1061.

(3) Jure novissimo quodvis factum licitum sponte admissum, ex quo obligatio saepe unilateralis, et aliquando bilateralis nascitur, *quasi-contractus* dicitur: art. 1325. Unde colligas in quasi-contractibus non requiri utriusque contrahentis consensum, sed dumtaxat eum, qui ex facto suo obligatur, ad contrahendum habilem esse.

Digitized by Google

V. In contractum *stricti juris*, et *bonae fidei*. Primus est ille, in quo Judex alligatur ad verba contrahentium, quia in ipso stricta interpretatio fieri debet secundum id, quod verbis expressis conventum fuit, ut sunt mutuum, census, emphytheusis, stipulatio, donatio gratuita etc., L. 99: D. de verb. oblig. Secundus est ille, in quo Judex multa potest arbitrari, quae secundum bonam contrahentium fidem censentur inesse, etiamsi verbis non fuerit expressa, uti sunt emptio, venditio, locatio, depositum, ceterisque omnes contractus, qui enumerantur in §. *Actionem autem*. Institut. tit. de actionib. (1).

VI. In *Absolutum*, et *Conditionatum*. Primus est ille, qui obligat a principio, quia a principio habetur consensus. Secundus est ille, qui obligat post conditionem verificatam, quia ea verificata, habetur consensus.

Tandem dividuntur in contractum *purum*, *et non purum*. Purus est ille, quia nulla additur circumstantia, seu qualitas, quae limitet contractum. Non purus est ille, cui additur circumstantia, seu qualitas quae limitet contractum. Circumstantiae autem, seu qualitates, quae limitant contractum, quinque sunt, scilicet Adjectio diei, Conditio, Modus, Causa, et Demonstratio; sed de his infra disseremus.

Q. Quid est contractus alternativus; et ad quid obligat?

R. Contractus alternativus est ille, qui disjunctionem admittit vel rei, vel personae, v. g. vendo tibi, vel Titio bovem, vel equum. Si hic contractus alternativus cadat supra res diversae speciei, v. g. promitto tibi bovem vel equum, ambae manent sub obligatione, sed disjunctive pro arbitrio promissoris, L. 10: D. de jur. dot., et Reg. Jur. 70. in VI. Una tamen pereunte, tenetur promissor dare illam, quae superest, nec sufficit dare pretium rei destructae, modo creditoris culpa non periit, Si vero alternativus contractus cadat supra res ejusdem speciei, sed solum differentes secundum plus, et minus, v. g. decem, vel viginti, vel secundum tempus, v. g. vel post mensem, vel post bimestre, debetur solum id, quod minus est, L. 209. D. de verb. oblig., quia in stipulationibus, seu promissionibus id servatur, ut quod minus esset, quodque longius esse videtur, scilicet tempus in obligationem deductum. Quare si per errorem majus datum fuit, restitui debet, tanquam indebite acceptum. Si denique alternativa cadat supra personas, v. g. dono centum Petro, vel Paulo, debentur quinquaginta utrique, quia disjunctiva, quae constituit contractum alternativum, accipi debet pro conjunctiva, et ex praescripto legum, L. 4. C. de verb., et rer. signif.

Q. Quotuplici modo perficiantur contractus?

R. Quadruplici, scilicet aut *re*, aut *verbis*, aut *litteris*, aut *consensu*. *Re* ideo contrahuntur, et perficiuntur, quia ante traditionem non reputantur perfecti contractus, sed nuda pacta, quae non pariunt obligationem in foro civili, uti sunt commodatum, depositum, mutuum, et omnes alii innomina-

(1) Jure novissimo confirmatur quod Jure Romano cautum, contractum nempe esse *bilateralem*, quando utrique contrahentes se ad dandum quid, vel faciendum obligent: *unilateralem* vero, quando alteruter solummodo sit obligatus: art. 1056. et 1057. Cod. LL. Civ. At nulla distinctio intercedit inter contractus *bonae fidei*, *et stricti juris*, quippe quod sancitum conventiones omnes a contrahentibus bona fide observandas: art. 1088.

Digitized by Google

ti contractus. *Verbis*, quia sunt contractus, qui ex solemni verborum formula vim accipiunt, uti est stipulatio, et acceptilatio, per quam obligatio orta ex stipulatione tollitur contraria verborum interrogatione, et responsione. Sed haec, ut advertit Layman, pertinet ad Jus civile, nam naturali Jure, et Canonico non attenditur ad hujusmodi verborum solemnitatem. *Litteris*, quia in scripturae substantia consistit, uti est donatio ultra quingentos etc. *Consensu*, quia sunt contractus, qui nihil praeter consensum ad sui perfectionem desiderant, uti sunt emptio, locatio, societas etc. Ex his patet, quod contractus alii sint reales alii verbales alii literales, alii consensuales (1).

Q. In quibus contractibus datur locus poenitentiae?

R. Dari in omnibus contractibus innominatis, in quibus pars contrahens per poenitentiam potest recedere, etiamsi ex sua parte nondum est impletus, et res integra est, L. *Si pecuniam* 5. D. de condit. caus. dat. etc. Dixi, *in omnibus contractibus innominatis*, quia in nominatis regulariter loquendo non datur, sed tantum, qui ex sua parte implevit contractum, agere debet, ut etiam altera pars impleat; nisi placuerit contractum mutuo consensu dissolvere, L. *Incivile* 12. C. de rei vindic.

Dixi *regulariter* etc., quia dantur contractus nominati, in quibus datur locus poenitentiae, uti sunt contractus, qui traditione perficiuntur; nam ante traditionem Jure Civili in istis datur poenitentiae locus, licet jure naturali, secundum Layman, poenitentiae locus non detur.

CAPUT II.

De consensu ad valorem contractus requisito

Q. Quinam consensus ad valorem contractus requiritur?

R. Requiritur consensus verus, seu internus, mutuus, omnino liber, et plene deliberatus, et signo aliquo externo declaratus. Hinc descendit, quod si contrahat tantum verbis externis absque interiori animo, contractus est nullus, quia deficit consensus internus. Unde vi contractus ad nihil tenetur, cum nullus fuit, sed tenetur ratione illatae injuriae per deceptionem alteri contrahenti adhibitam, tollere deceptionem vere contrahendo, et contractum vere implendo.

Q. Quomodo potest explicari consensus internus?

R. I. Vel per verba, vel per litteras, et dicitur consensus expressus. II. Per facta, vel gestus, et dicitur consensus tacitus.

Q. Quomodo impediri potest consensus?

R. Potest impediri ex parte intellectus contrahentium per errorem, vel dolum, et ex parte voluntatis per vim, vel metum. Potest etiam impediri per aetatem, ut si usus rationis nondum advenerit, vel per furorem, uti si quis usus rationis amiserit.

(1) Jure novissimo conventiones omnes, quas contrahentes secundum Leges ineunt, eos obstringunt, et tantummodo vel mutuo eorum consensu, vel causis a Jure expressis revocari possunt, ac proinde nihil interesse inter contractus reales, consensuales etc., exploratissima res est. Videsis art. cit. 1088. Cod. LL. Civ.

Digitized by Google

Q. Quid est error, et quotuplex?

R. Est judicium falsum, quo accipitur una res pro alia. Duplex est, circa substantiam, et circa qualitatem. Primus habetur, quando quis credit inire contractum de una re, et de alia contrahit. Secundus habetur, quando quis credit inire contractum de re aliqua quibusdam accidentibus affecta, et invenit postea illis eam destitutam, uti si quis credit emere equum strenuum, et fortem, et postea invenit illum ignavum, et pigrum (1).

Porro error dividi etiam potest in antecedentem, seu dantem causam contractui, et in concomitantem, seu incidentem in contractum. Primus est ille, quo ablato, contractus non fuisset celebratus; Secundus est, quo ablato, contractus fuisset celebratus, sed non tam de facili, nec tanto pretio.

Q. Quid est dolus?

R. Dolus generaliter acceptus est machinatio ad alterum decipiendum adhibita, nempe cum aliud agitur, aliud simulatur. Ex definitione patet differentia, quae intercedit inter dolum, et culpam Juridicam, scilicet, quod in dolo habetur animus decipiendi; in culpa vero juridica, non habetur hoc sed tantum negligentia L. *Latae culpae* 233. D. de verb. et rer. signif. (2).

Q. Quotuplex est dolus?

R. Duplex est, scilicet bonus, et malus. Primus est habitus ad interveniendum de repente id, quod congruit; de quo loquitur Paul. 2. ad Corinth.: *Cum essem astutus, dolo vos cepi;* hoc est, dolo bono usus sum adversum profectum spiritualem. Secundus est, *Calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita*, L. 1. §. 2. D. de dol. mal. *Calliditas* habetur, quando quis taciturnitate alium decepit, L. *Si res vendita* 1. D. de act. empt., et vendit., *Fallacia* habetur, quando quis mendaciis alium decipit, L. *Falsus* 43. D. de furt. *Machinatio* habetur, quando quis decipit alium verborum artificio. L. *Julianus* 14. D. de act. empt., et vendit., Porro dolus malus potest esse; et circa substantiam, et circa qualitatem, antecedens, et concomitans; sicut error.

Q. Quaenam differentia intercedit inter fraudem, et dolum?

R. Quoad substantiam idem important, quia uterque est ad alterum decipiendum, differunt tamen quoad modum, nam dolus proprie fit verbis, vel factis, fraus tamen magis proprie fit factis juxta D. Thom. q. 55. art. 5. ad 5. Hinc patet fraudem non posse esse sine dolo, et dolum posse esse sine fraude; quapropter fraus omnis est dolus, non vero e contrario.

Q. Num adest differentia inter errorem, et dolum?

R. Maxime: nam error provenit ex propria opinione, atque accidit sine animo decipiendi, dolus vero ab altero proveniens, in animo decipiendi consistit. Error potest esse proinde sine dolo, sed dolus non potest esse sine errore; nam ideo altera pars decipitur, quia versatur in errore. Ex errore absque culpa non oritur obligatio restitutionis, si ex errore sequitur da-

(1) Jure novissimo Cod. LL. Civ. art. 1063. cautum contrahentium consensum nullum prorsus esse quando errore, vi, aut dolo in captionem illi inciderint.

(2) Definitiones damni, doli, casus, quae extant in Corpore Juris adhuc vigeat in Codice novissimo Utriusque Siciliae Regni.

Digitized by Google

mum, at ex dolo, ex quo sequitur damnum semper oritur restitutionis obligatio, cum semper habeatur culpa.

Nota. Dolus potest procedere, vel ab altero contrahente, vel ab aliquo tertio. Error vero ab ipsomet decepto, qui sua ignorantia absque alterius malitia erravit.

Q. An contractus per errorem, vel dolum celebratus valeat?

R. Vel error, aut dolus versatur circa substantiam, et dico jure naturae esse irritum, quia tunc deest consensus substantialis, cum nullus sit erranti consensus L. *Non idcirco* C. de jur., et facti ignor., L. 15. D. de jurisd., et L. 14., et 41. D. de contrah. empt. Hinc si quis liberaliter donet centum Petro, quem putat esse Joannem, Petrus tenetur ea restituere, cum error versetur circa substantiam; etenim persona in hisce contractibus gratuitis constituit objectum substantiale. Vel versatur circa qualitatem, et dico esse validum, L. *Aliter* 50. et L. *Alioquin* 11. de contrahend. empt.; modo ea qualitas *uti conditio*, *sine qua non*, *non apponatur*, quia tunc non habetur consensus substantialis, quo contractus perficitur. Hinc, si quis donet centum Petro, quia illum existimat virum doctum, non tenetur ea restituere, licet sit ignarus, cum error versetur circa qualitatem.

Dixi *modo non apponatur uti conditio etc.*, quia si apponatur uti conditio sine qua non, contractus est nullus jure naturae, quando qualitas apposita non invenitur; quia non habetur consensus, cum consensus sit dependens a conditione, deficiente conditione deficit consensus. Hinc si quis donet centum Francisco sub conditione, quod sit vir doctus, Franciscus tenetur ea restituere, si ignarus inveniatur. Idem, dicendum, si qualitas redundet in substantiam (1).

Q. An persona, cum qua contrahitur, sit objectum substantiale; vel accidentale?

R. In aliquibus contractibus esse substantiale, uti in donatione, in matrimonio etc., quia in istis voluntas contrahentis erga certam personam exercetur, et ad certam personam terminatur; in aliquibus vero accidentale esse, uti in locatione, conductione, emptione, venditione etc. quia in istis nihil interest contrahentis, num cum hac, vel cum alia persona contrahatur.

Q. An contractus errore, vel dolo circa qualitatem celebratus, infirmari possit?

R. Vel error, aut dolus est concomitans, et dico non posse, quia non habetur ratio, cum remoto errore, sive adquisita scientia veritatis, contractus infirmari debeat; nam si error esset cognitus, etiam contractus fuisset celebratus. Licet venditor tenetur restituere excessum pretii, non solum supra summum, sed etiam supra illud justum, quo, sublato dolo, res vendita fuisset, L. 13. §. 4. D. de act. empt. Vel dolus, aut error est antecedens, et dico posse infirmari concurrentibus his conditionibus, scilicet I. Ut error, vel dolus procedat ab altero contrahente, non sine injuria. II. Ut deceptus velit illum infirmare III. Ut contractus sit dissolubilis.

(1) Dolus est caussa nullitatis cujuslibet contractus quando est essentialis, ut in Jure Romano, scilicet quando ipsemet conventioni caussam dedit: art. 1070. Cod. LL. Civ. Actio vero hujusmodi stipulationem rescindendi intra decennium (dummodo brevius temporis spatium lex specialis in quibusdam contractibus non definierit) a momento, a quo dolus contrahenti innotuerit, instituenda: art. 1238 Cod. LL. civ.

Digitized by Google

Dixi 1. *ut procedat ab altero contrahente*, quia si proveniat a *tertia* persona, vel ab ipsomet decepto, non potest infirmari, cum nulla injuria habetur. In quo est advertendum, quod cum procedat a tertia persona, deceptus actionem habet adversus illam de dolo. Excipe tamen contractus gratuitos, in quibus si error habetur, etiamsi a tertio provenerit ad arbitrium decepti revocari possunt. Dixi 2. *Si deceptus velit*, quia jura favent deceptis, non decipientibus, L. 2. D. ad Senatum Vellejan., ibi: *Nam deceptis, non decipientibus opitulatur lex.*

Dixi 3. *Ut contractus sit dissolubilis*, aliter enim res se habet ut in matrimonio sive carnali, sive spirituali, qui sunt contractus indissolubiles.

Num contractus celebratus per metum valeat, vide, quae dicta sunt in Tractatu de actibus humanis in cap. 6. de Vi, et Metu, ne hic actum agam.

Q. Quid est casus fortuitus?

R. *Est vis major, quae et praevideri nequit, et praevisa non potest praecaveri:* puta ruinae, naufragia, incendia etc. Casus fortuitus in nullo contractu praestatur, quia impossibilium nulla est obligatio. Excipe si recepit debitor in se casum, L. 23. D. de Reg. Jur., vel fuit in mora. L. *Ratio* 3. D. de action. empti, vel praecesserit culpa. Quia pacto, culpa, vel mora praecedentibus casus etiam fortuitus imputatur, cap. 2. de deposito (1).

CAPUT III.

De contractuum qualitatibus

Qualitates contractuum sunt plures, scilicet *adjectio diei*, *conditio*, *modus*, *demonstratio*, *et caussa* (2).

§. I. *De contractu adjectione diei inito*

Quod pure, et nullo adjecto tempore promissum est, confestim peti potest, §. 2. Instit. tit. de verb. oblig. quod autem dicitur *confestim*, non excluditur aliquorum brevis dierum mora, quae arbitrio boni viri concedi

(1) Jure novissimo Cod. LL. Civ. art. 1102. cautum debitorem ad nullum damnum resarciendum adigi posse quando aut vi, aut quovis casu fortuito rem tradere non potuerit, aut id peragere, quod ex contractu debuisset.

Quod vero spectat ad culpam, profecto art. 1336. sancitum, quodvis factum, quod alteri damnum inferat, eum adstringere, cujus culpa illud evenit ad resarciendum: immo art. 1339. constitutum quemvis teneri de damno, quod sua negligentia, vel imprudentia alteri inferatur.

Tum art. 1091. statuitur quemvis adigi in re custodienda ad illam diligentiam adhibendam, qua in suis expediendis negotiis frugales patresfamilias utuntur, tum in contractibus, in quibus par fuerit utriusque contrahentis commodum, tum in aliis, in quibus utilitas in unum redundet.

Illud vero heic animadvertas, quod in quibusdam conventionibus (ut indicabimus) major diligentia adhibeatur oportet.

(2) Leges Civiles, quas Noster recenset de obligationibus sub conditione, sub modo, sub caussa, sub demonstratione etc., quae tum contractuum, tum legatorum observantiam respiciunt, adhuc vigent Cod. Noviss. in Utriusque Siciliae Regno. Videsis Cap. IV. Sect. 1. art. 1121., et seq.

Digitized by Google

debet debitori, ut commode solvere possit. Quod autem adjecto tempore promissum est, tali tempore solvendum est. Hinc quaeritur:

Q. Quondam tempore obligat contractus adjectione diei celebratus?

R. Vel fuit celebratus adjectione diei certae, uti dono tibi centum die Paschatis, et dico statim obligare; quia dies censetur appositus non causa suspendendae obligationis, sed differendae obligationis Hinc actio hujus contractus transit ad haeredes, si contractus transit ad heredes: si creditor tamen ante eum diem petat, exceptione temporis nondum advenientis repelli potest (1). Vel fuit celebratus adjectione diei incerti, uti dabo tibi centum, cum Navis ex India venerit, et dico non obligare, nisi navis veniat, quia habetur, uti factus sub conditione, L. *stipulatio ista* D. de verb. oblig.

Not. Si promissio, donatio etc. facta sit ad certum diem, mensem, annum, non cogitur promissor solvere ante finem diei, mensis, anni; quia adjectio diei in favorem debitoris facta est, L. *Eum, qui Kalendis* D. de verb. oblig. Excipe tamen, si quid promissum esset nomine eleemosynae, vel alimentorum, quod in principio tradendum est diei, mensis etc., et ita etiam de legatis annuis decretum est in L. 1. C. quamdiu dies legat. etc.

Q. Num dantur casus, in quibus contractus fuit celebratus adjectione diei incerti, et a principio obligat, ita ut actio etiam ad heredes transmittat?

R. Maxime, et I. Est, quando dies est certo futurus, quia illa dies non censetur apposita causa suspendendae obligationis, sed differendae solutionis, uti si dicatur, promitto dare tibi centum, cum pater tuus moriatur. II. Est, quando dies incertus fuit adjectus promissioni in gratiam solius promissarii, legatarii etc., uti si quis promittat centum famulo pro servitio sibi praestito, cum matrimonium contraxerit, ne forte absumat male, quia fuit absolute illi facta promissio, licet in gratiam ipsiusmet promissarii fuit adjectus dies incertus, unde si famulus moriatur antequam matrimonium, vel Religionem ingrediatur, transmittitur actio ad heredes famuli, cum sit donatio remuneratoria. Ita Layman.

§. II. *De contractu sub conditione celebrato.*

Q. Quid est conditio, et quotuplex?

R. *Est adjectio casus in futurum collocati, a cujus eventu actus suspenditur.* Duplex est, propria, et impropria. *Propria* est illa, quae suspendit consensum, et est vera conditio. *Improprία*, non suspendit consensum, uti est conditio de praesenti, de praeterito, et de futuro necessario, sed abusive dicitur conditio, veluti: *Si pater tuus sit mortuus, si Titius Consul fuit.*

Conditio de futuro necessario triplicis generis est, una, quae dicitur necessaria ex natura rei, uti: *contraho tecum, si sol cras oriatur,* alia dicitur necessaria ex suppositione Divini Decreti contrahentibus noti, uti: *contra-*

(1) Jure novissimo Cod. LL. Civ. art. 1141. cautum quod debitor adjectione diei in contractu adposita minime fruatur, quoties bona distraxerit, vel jura creditoris in securitatem crediti in eodem constituta imminuat.

Digitized by Google

ho tecum, si Antichristus venerit, tertio generalis dicitur, quae omnibus inest, uti *contraho tecum, si vixerimus.*

Porro conditio impossibilis etiam triplicis generis est; una dicitur impossibilis ex natura rei, uti *contraho tecum, si digito coelum attigeris*, alia dicitur impossibilis jure positivo, uti *contraho tecum, si pupillo absque licentia Tutoris contrahere liceat*, tertia dicitur impossibilis ex ipso facto, uti si quis cum paupere loquens dicat: *contraho tecum, si mille miki dederis.*

Ad haec conditiones de futuro contingenti aliae sunt honestae, quae possunt adimpleri sine peccato; aliae vero sunt turpes, quae non possunt, nisi cum peccato adimpleri. Quaecumque autem sit conditio, his verbis exprimitur: *Si, nisi, dummodo, casu, alioquin etc.*

Q. Num contractus celebratus sub conditione valeat a principio?

R. Vel contractus fuit celebratus sub conditione impropria, puta de praesenti, vel de praeterito, et dico a principio valere, quando talis conditio est vera quia hujusmodi conditio non suspendit consensum. Vel contractus fuit celebratus sub conditione propria, puta, de futuro contingenti, honesto, et possibili, et dico esse suspensum, et non validum a principio, quia verificata conditione, consensus habetur. Hinc dicitur suspensa promissio facta sub hac conditione, v. g. *do tibi vineam, si Navis ex Asia venerit.*

Q. Num oriatur aliqua obligatio ex contractu conditionato, ante conditionis eventum?

R. Oriri obligationem imperfectam, scilicet expectandi eventum conditionis, contractum non revocandi, et non se reddendi impotentem ad contractum, si ea verificatur. Hinc si contrahens impediat conditionem, etiam obligatur, quia habetur tanquam verificata, et alter cum quo contractus hujusmodi initus fuit habet jus petendi promissum, et conveniendi in judicio, quia juxta regul. jur. 66. in 6.: *Cum non stet per eum ad quem pertinet, quominus conditio adimpleatur, haberi debet perinde ac impleta fuisset.*

Q. Num requiratur novus consensus, conditione adimpleta?

R. Minime, ita communiter ex L. *Haec venditio* 7. D. de contrah. empt., ibi. *Conditionales venditiones tunc perficiuntur, cum impleta fuerit conditio.* Excipe tamen, si consensus fuerit revocatus ante conditionis eventum; quia tunc requiritur novus consensus, ut valeat contractus, quando contractus consensu perficitur.

Not. Conditio de futuro honesta, et possibili parit obligationem suspensam, quae etiam ad promissoris heredes transmittitur. Discrimen tamen adest inter legatum, et contractum initum sub conditione; quia si factum sit legatum sub conditione, et ea pendente Legatarius moriatur, legatum non transmittitur ad heredes, sed penitus exspirat, L. 4. et 5. D. Quando dies legat. etc. Si vero factus sit contractus sub conditione, transit ad heredes sub eadem conditione, et ratio est, quia in contractu intervenit factum contrahentis volentis sibi et suis heredibus prospicere, L. *Si pactum* 9. D. prob: et conditio existens retrotrahitur ad tempus contractus, L. 78. D. de verb. oblig. In legato autem nullum factum Legatarii intervenit: Si autem conditio sit potestativa, ad heredes non transit; quia debet

Digitized by Google

adimpleri per ipsum contrahentem, laud. L. 5. D. quando dies legati ced.

Q. An contractus sub conditione impossibili celebratus valeat ?

R. Regulariter loquendo non valet, quia impossibilis conditio contractui apposita indicio est non adesse consensum serium, et verum, sed potius dissensum, quia impossibilium nulla obligatio. L. *impossibilis* 7. D. de verb. oblig., *et quia contrahere velle non creduntur, sed potius jocari, vel insanire*, L. 31, D. de oblig. et act. Dixi *regulariter*, quia si conditio ista sit apposita matrimonio vel in ultimis voluntatibus, puta testamento, fideicommisso, legato etc. habetur tanquam non apposita. De Matrimonio patet ex Cap. *Si conditiones* ult. de condit. appos., in quo Pontifex statuit, ut conditiones appositae in matrimonio, si turpes, aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adiectis haberi. De ultimis voluntatibus, patet ex L. *Sub impossibili* 1., L. *conditiones quae* 9. D. de condit. instit.

Q. Num contractus sub conditione turpi celebratus valeat ?

R. Regulariter loquendo non valet, quia ad illicita nulla obligatio, L. *Non solum* D. de oblig. et act. Cap. *in malis* de Reg. Jur. in VI. Dixi *regulariter*, quia si sit apposita in ultimis voluntatibus, aut in matrimonio, est a Jure etiam rejecta, uti fuse videbimus in Tractatu de matrimonio, quando nempe rejiciuntur a Jure.

Q. Num contractus sub conditione necessaria celebratus a principio valeat ?

R. Vel loquimur de conditione necessaria ex natura rei, aut ex suppositione Divini Decreti, et dico valere a principio, qui habetur uti absolutus, modo tamen conditio non accipiatur, uti designatio temporis, et modo sit cognita a contrahentibus, uti necessaria, secus contractus non esset validus a principio. Vel loquimur de conditione generali, et dico etiam esse validum a principio, quando illa sumitur eodem modo, quo contractibus inest; nam aliter esset contractus conditionatus, uti si quis dicat: contraho tecum, si probetur te praebuisse consensum, L. *Si ita legatum sit* 65. D. de legat., et fideicom. 1.

§. III. *De contractu sub modo celebrato.*

Q. Quid est modus ?

R. Modus est clausula, qua adjicitur onus contrahenti, sed non suspenditur dispositio, uti si quis legat centum Petro, ut sibi post mortem construat sepulcrum. Modus explicatur hisce particulis, scilicet *ut, ad, ne, pro etc.*

Q. Differtne modus a conditione ?

R. Maxime, quia modus non suspendit contractum, nam non suspendit consensum, sed solum aliquam aliam obligationem apponit, et solum potest suspendere, cum modus transit in conditionem. Conditio autem vera, et propria semper suspendit consensum. Layman.

Q. Num contractus sub modo celebratus valeat a principio ?

R. Maxime, quia a principio habetur consensus. Hinc si quis promittit, vel donat alteri centum, ut sepulcrum aedificet, a principio promissio, vel donatio valet, quia donatio, vel promissio sub modo habet suum esse substantiale absolutum, quomodo independenter ab accessorio modo, seu

Digitized by Google

gravamine, ita ut habetur a principio consensus. Est tamen gravis obligatio ex justitia talem modum praestandi. Layman, aliique.

Q. An promissio, vel legatum sub modo possit peti ante modi adimpletionem?

R. Maxime, quamvis promissarius, vel legatarius satisdare debeat de eo adimplendo. L. *Quibus diebus* D. de condit., et demonstr., et L. 7. D. eod. tit.

Q. Quid dicendum si promissarius, vel legatarius moriatur ante modi adimpletionem?

R. Transmitti omne jus ad haeredes, qui etiam modum adimplere possunt, ac debeant, atque onus impositum praestare, licet haeredes teneantur cautionem praestare de modi adimpletione; quia adquisitum fuerat jus a promissario, vel legatario.

Q. An contractus sub modo turpi, vel impossibili celebratus valeat?

R. Valet, uti si talis modus adjectus non esset. Hinc donatio facta sub hoc modo, ut a Fide Catholica quis deficiat, ut coelum tangat, est a principio valida, quia modus est veluti accessoria pactio, seu obligatio, qua corruente propter sui impotentiam, non etiam corruit pactio principalis, cum principale non pendeat a suo accessorio. At si modus repugnet substantiae contractus, tunc contractus est nullus. Hinc si quis dicat dono tibi centum, ut eosdem post annum mihi restituas, donatio est nulla. Lessius, aliique.

Q. An possit revocari donatio, vel legatum, quando modus possibilis, et honestus a Legatario, vel Donatario non servatur?

R. Posse revocari, quando colligitur modum fuisse adiectum, uti causam finalem, quae in eventu resolvi debet in conditionem sine qua non: uti si quis dicat: *Lego tibi centum ea lege, ut sepulcrum mihi aedifices, secus legatum retinere non possis.* In hoc casu legatum resolvitur in conditionatum, ac proinde conditione non impleta corruit. Si vero non constet modum fuisse adjectum, uti causam finalem, tunc etiam modo non servato legatum revocari non poterit, sed debet compelli legatarius, vel donatarius auctoritate judicis ad servandum modum vel praestandam modi aestimationem. Tamen excipe donationem factam ad causas pias, quia tunc nullo modo revocari potest, nisi in donatione hoc fuerit expressum, quia hujusmodi donatio praesumitur principaliter facta propter Deum, et pro remedio peccatorum, Cap. *Verum* 4. de condit. apposita.

Q. Quid si in donatione Ecclesiae facta expressum fuerit, ut modo non servato revocetur donatio, et modus non servetur defectu solius Praelati?

R. Non posse revocari, quia Praelatus non potest nocere Ecclesiae in jure adquisito. Hinc sciendum discrimen, quod intercedit inter donationem factam Ecclesiae sub conditione, et modo, scilicet, quod si Praelati defectu, conditio non adimpleatur, corruit donatio, quia Praelatus potest nocere Ecclesiae in jure adquirendo. Hinc si Titius promittat Ecclesiae se donaturum centum, si pro suis Majoribus anniversarius dies celebretur, promissor liberatur ab obligatione, si Praelatus postea recuset conditionem adimplere. Si vero defectu Praelati modus non adimpleatur; donatio non corruit, quia in jure adquisito Praelatus non potest nocere Ecclesiae. Hinc si quis dicat, do centum Ecclesiae, ut anniversarium diem celebret pro

Digitized by Google

neo patre donatio revocari non potest ob non impletum postea modum. Layman.

§. IV. *De contractu celebrato sub demonstratione*

Q. Quid est demonstratio, et quotuplex?

R. Est appositio signi ad ostendendam rem, de qua quis contrahere vult. Et ista explicatur per verba *qui, quae, quod, uti dono tibi Semproniae centum, quae est mea consanguinea.*

Demonstratio duplex est *Ostensiva*, et *Taxativa*. Prima est, quando designat, et ostendit rem, et proinde incipit a re, et desinit in mensuram: e. g. *vendo tibi hanc vineam, quae est centum modiis.* Secunda, quando designat quantitatem, et proinde incipit a mensura, et desinit in rem, e. g. *vendo tibi triginta modios ex hac vinea mea.* Porro demonstratio potest esse vera, vel falsa, sed explicatione non indiget.

Q. An contractus sub demonstratione falsa valeat?

R. Vel contractus est onerosus, et dico non valere, si demonstratio falsa est circa substantiam rei, quia quando res demonstrata in oneroso contractu non est, non habetur consensus. Hinc si quis demonstrat velle emere aurum, et emit aurichalcum, emptio est nulla, vel contractus est gratuitus, et dico valere, si error est accidentalis ex parte tradentis, si vero est substantialis, nullus est. Hinc non valet donatio, si dicat quis: *dono tibi hanc thecam, quae est argentea*, et tamen est aurea: *vel dono tibi, quia es meus frater*, et frater non est. At si error sit ex parte accipientis, et dico valere, quia qui tradit, intendit dare rem, sicut est, nec ad aliud se obligare.

Not. Quando constat de re, vel persona, cui fit depositio, falsitas non obest, L. 17., et 33. D. condit. et demonstr., quia demonstratio fit ad peculiariter demonstrandam rem, de qua fit dispositio, et personam, cui fit; quare si aliunde de utraque constet, non nocet falsitas demonstrationis. Praeterea si res, quae demonstratur non existit, nulla est dispositio defectu materiae. Hinc si dicas: *dono, vel lego Bertae margaritam, quam in tali loco habeo*, et nulla in tali loco reperitur, nulla est dispositio.

Q. Si demonstratio est falsa in quantitate, vel pondere, vel numero cuinam cedit incrementum, vel diminutio?

R. Si demonstratio falsa, est ostensiva, incrementum, vel diminutio cedit recipienti, si vero est taxativa, cedit tradenti. Hinc si testator dixerit, *Lego Titio vineam meam decem modiorum*, vinea tota debetur Titio, etiamsi amplior esse deprehendatur, quam decem modiorum. Et e contrario, si dixisset: *Lego Francisco decem modios vineae meae*, et vinea est duodecim modiorum, decem modii debentur Francisco et reliquum cedit haeredibus. Ita communiter.

§. V. *De contractu celebrato sub caussa*

Q. Quid est caussa, et quotuplex?

R. Est ratio expressa in contractu, propter quam dicitur fieri contractus. Duplex est, motiva, seu finalis, et impulsiva. *Finalis* est illa, quae movet disponentem ad disponendum, et sine qua non disposuisset. *Impulsiva* est

Digitized by Google

illa, quae movet disponentem ad disponendum ita ut sine illa etiam disposuisset, sed non tam de facili, Causa explicatur per particulas *quia*, *quoniam*, *propter quod etc.*

Q. An contractus sub caussa valeat, caussa non subsistente?

R. Vel fuit celebratus sub causa motiva, seu finali, et dico esse nullum, modo aliter non constet, vel rationabiliter aliud non praesumatur de voluntate disponentis, quia cum disponens non intendat disponere, causa finali non subsistente, dicendum, quod contractus sit invalidus sine ea. Vel fuit celebratus sub caussa impulsiva, et dico esse validum, quia habetur consensus; nam disposuisset etiam caussa non subsistente. Hinc si quis donet centum Petro, quia est pauper, et devotus, Petrus potest ea retinere si est pauper, et non vero si est devotus, et dives, cum devotio in casu *sit* causa impulsiva, et paupertas sit causa finalis.

Q. An legatum Petro relictum, si nubat feminae determinatae debeatur, si cum ea non nubat?

R. Regulariter loquendo non deberi, tum quia illa conditio est valida, tum quia, cum illa non impeditur matrimonium, sed tantum determinatur persona, cum qua est contrahendum; hinc ea conditio est servanda, ne Testatori voluntas impediatur, L. *Titio centum* 71. §. 1. D. de condit, et demonstr.

Dixi *regulariter*, quia dantur casus, in quibus Petrus, matrimonium non contrahit cum determinata persona, et tamen debetur ei legatum. Et I. est, quando ipsa cum Petro nubere non vult, vel parentes nolunt, quia in istis per legatarium non stat, quominus conditio a testatore posita adimpleatur; etenim quoties per eum, cujus interest conditionem impleri, fit, quominus impleatur, ut perinde habetur, ac si impleta fuisset, L. *Jure Civili* 24. D. eod. tit. . III. Quando illud est illicitum, vel impossibile, uti si mulier designata sit indigna, quia tunc conditio habetur pro non adjecta, L. *Cum ita* 62. D. de eod. tit.

Q. An legatum mulieri relictum, ne nubat, debeatur si nubat?

R. Vel testator reliquit illud mulieri virgini, et dico deberi, quia conditio ista a jure est rejecta in favorem nuptiarum, ut societas augeatur, L. *Titiae* 99. D. de condit., et demonstr. Vel reliquit mulieri viduae, et dico non deberi, Authent. *Cui relictum* C. de Indict. viduit. nam ex ea habetur, quod conditio non nubendi viduae apposita vim habeat. Idem est dicendum de viro, cui sub conditione est relictum legatum.

Q. Quid dicendum de muliere vidua, cui est relictum legatum, ne nubat si fornicetur?

R. Juxta Sanchez, Salmantic., aliosque deberi legatum, quia conditio est explicanda juxta verborum significationem, hinc quia conditio solum dicit quod ad secundas nuptias non perveniat, si ista talis committat fornicationem, ei legatum debetur.

Q. An legatum relictum mulieri, ut honeste, et caste vivat, debetur ei, dato quod non nubat?

R. Debetur, nisi aliud constat de voluntate Testatoris, nam in matrimonio vitam ducere est caste, et honeste vivere. Est tamen advertendum, quod hujusmodi legatum amittatur per illicitam copulam, inhonestos tactus etc. Quod tamen non est negandum mulieri, quae semel tantum in istis

Digitized by Google

deliquit, quia ex communi modo loquendi non dicitur vitam inhoneste agere. Ita Sanchez, aliique saniores DD...

Q. Num legatum relictum alicui, ut non nubat nisi cum tali persona vel in tali loco, debeatur, si matrimonium non contrahatur cum illa persona, neque in eo loco designato?

R. Non deberi, quia simpliciter non inhibetur matrimonium, sed tantum allicitur spe praemii ad contrahendum cum tali persona, vel in alio loco. Ita Layman, Bonac., aliique.

Q. An legatum relictum alicui sub conditione, si Religionem ingressus non fuerit, debeatur, si Religionem ingrediatur?

R. Maxime, quia ea conditio tanquam non adjecta habetur, cum conditio, quae a majore Religionis bono directe avocet, quatenus bonis moribus repugnat, a jure rejicitur. Layman, aliique saniores DD.

An contractus nullus confirmatur per juramentum, et quid efficit juramentum in contractibus, vide, quae dicta sunt in Tractatu de Religione, in Cap. *De juramento promissorio.*

CAPUT IV.

De iis, qui possunt celebrare contractus.

Ad valide contrahendum tria requiruntur, scilicet usus rationis, libera, et absoluta bonorum administratio, et ut persona contrahens non sit a Judice impedita. Defectu primae conditionis contrahere non possunt amentes furiosi, dum non habent lucidum intervallum, infantes, qui nondum habent usum rationis, dormientes, ebrii etc. Defectu secundae non possunt maritus, et uxor de bonis dotalibus; quia maritus de illis bonis habet administrationem, uxor vero habet proprietatem, sicuti etiam filiusfam. non potest contrahere de bonis adventitiis, et profectitiis; quia de primis habet tantum proprietatem, neque administrationem. Vide quae dicta sunt in lib. I. Justit., et Jur. Defectu ultimae conditionis, non possunt Tutor, ac Curator cum suis pupillis, ac minoribus contrahere durante tutela, ac cura. Item executores testamentorum de rebus suorum defunctorum; nisi Judicis interveniat auctoritas (1).

Q. An filiusfam. possit contractus valide celebrare?

R. Filiusfamil. valide contrahit de bonis castrensibus, vel quasi, quia de istis bonis liberam habet administrationem, L. *Cum antiquis* 37. Cod. de inoffic. testam., dummodo tamen sit pubes; nam si sit impubes, etiamsi sit proximus pubertati, non potest valide, etiam cum consensu patris, de istis contrahere, cum in ea aetate sit ei a Jure prohibitum de istis testari, aut disponere, §. *Pupillus* Instit. tit. de inut. stipul. Advertendum tamen, quod si filiusfam. proximus pubertati de istis bonis contractum celebraverit, naturaliter obligatus remaneat; quia apposuit sufficientem consensum, quem jus positivum clare non irritat. Layman, aliique.

(1) Jure novissimo Cod. LL. Civ. art. 1077. cautum quemvis iuire posse contractus, dummodo Lex eum diserte inhabilem non declaraverit. Prohibentur autem minores, interdicti, mulieres nuptae in iis casibus a Jure statutis: demum alii in quibusdam conventionibus.

Digitized by Google

At si loquamur de bonis adventitiis, vel profectitiis filiusfamil. non potest de iis contrahere, nisi de patris consensu, quia de istis non habet liberam administrationem ; L. *Cum non solum* C. de bonis quae lib. In quo advertunt Salmanticenses sufficere patris consensum tacitum, ut possint valide de istis contrahere. Qui consensus, tacitus habetur, si filius a patre accepit bona expendenda pro suo arbitratu, si pater longe abest, si a patre sit negotiationi expositus. Quae tamen sunt intelligenda modo sit pubes ; nam, qui in potestate parentis est impubes, ne auctore quidem patre obligatur Instit. loc. cit. (1).

Q. An pupillus possit celebrare contractum ?

Ante resp. pauca praemittenda sunt. Pupillus est impubes, qui desiit esse sub potestate patris, propter illius mortem, vel emancipationem. Pubertas in viris XIV. anno habetur, in feminis vero XII. completo, L. *Indecorem* ult. C. quando tut. desin. A nativitate autem usque ad septennium dicitur infantia, postea dicitur impubertas. Impubes vero, si est mas a septennio usque ad decimum cum dimidio, si est foemina a septennio usque ad nonum cum dimidio, dicitur infantiae proximus, et proxima. At vero masculus dicitur pubertati proximus a decimo anno cum dimidio, usque ad decimum quartum, foemina vero a nono cum dimidio usque ad duodecimum annum. Si filiusfam. a patria potestate discessit, pupillus dicitur, si nondum pervenit ad decimumquartum aetatis annum ad duodecimum si femina ; nam ab hac aetate usque ad vigesimum quintum de jure com-

(1) In Codice novissimo peculiorum distinctio, quae olim apud Romanos vigebant, minime occurrit : immo cautum art. 301. quod filiofamilias cedat quidquid ipse adquirit : item donationes, et legata ei relicta sub conditione, ut pater his non fruatur, absolute vindicat, ut supra innuimus (in additionibus ad cap. III. de subjecto dominii pag. 49. h. tom.).

Quod vero spectat ad alia bona, quae titulo lucrativo filio pervenerint : horum sane proprietas ipsi cedit, patri vero usufructus a lege constituitur usque ad annum XVIII, vel emancipationis actum : art. 298; patre mortuo usufructus pro dimidio matri addicitur usque ad annum XXI : quod si ad secunda vota transierit illum amittit art. 298, et 300.

Praeterea durante usufructu in filiorum bonis pater debet his oneribus satisfacere: 1. congrua alimenta filio praestare 2. usuras, quae creditoribus annualim debentur, solvere 3. impensas in funere factas, necnon in extrema infirmitate defuncti, cujus filius est heres, reddere : quibus tamen oneribus Mater dumtaxat pro dimidio tenetur: art. 299.

Tum art. 311. cautum quod filiusfamilias priusquam XXI. suae aetatis annum exegerit nulla stipulatione obligari possit. Illi autem potestatem facit Lex cum ad annum XVI. pervenerit, de semisse suae hereditatis in factione testamentaria disponendi; art. 820. Hoc autem Legis beneficio ipsum frui posse opinantur Richard (de donat. part. 1), et Delvincourt (v. 5. n. 16. p. 5.) cum jam annum XVI. exegerit, cui ne dies quidem desit.

His adde quod art. 1049., et seq. cautum, minores nempe in contractu nuptiali donationes in sponsas valide stipulari, dummodo eorum confirmatio accedat, quorum consensus ad conjugii foedus ineundum requiritur.

Postremo art. 295. constitutum quod filiusfamilias non possit absque parentis consensu ante annum XXV. expletum bona, quae proprio marte non adquisiverit, donare, distrahere, vel hypothecae vinculo subjicere: item mutuam pecuniam accipere, nomina exigere, aut remittere.

Digitized by Google

muni, vel ad decimum octavum annum expletum de jure Neapolitano dicuntur minores, Constitut. *Minorum jura* Tit. de restit. minor. Completo autem anno decimo octavo in nostro Regno dicuntur *Majores, et sui juris.*

Tutor est ille, qui immediate datur pupillo in sui curam, mediate vero in suorum custodiam bonorum, §. 4. Instit. tit. qui testam. tut. etc. Pupillo etiam invito tutor dandus est, L. 2. D. de tut. Inter tutorem, et pupillum intercedit quasi contractus, quo obligatur tutor operam dare, ut percipiantur fructus ex rebus pupilli, et convertantur in bonum pupilli, secus tenetur ad restitutionem illius, quod ab eo non sine culpa neglectum est. Porro curare debet omnia ejus bona, ac personam, L. *Tutoris* 30., L. *Tutor* 27. D. de administr. tut. Ratione tamen hujus curae, et administrationis salarium accipere interdictum est, praeterquam, si ei a Judice constitutum sit, L. *A Tutoribus* 34. §. 3. de administr. tut. Quin si pupillus sit pauper. Judex nec etiam salarium tutori constituere debet ex lege caritatis. Porro tutores vel sunt testamentarii, vel legitimi, vel dativi, de quibus vide si lubet, Vinn. ad tit. de tutel. His praemissis ad responsionem accedo.

R. Pupillus pubertati proximus, si cum consensu, et auctoritate tutoris contrahit de rebus mobilibus, non pretiosis, et quae servando servari non possunt, remanet tum civiliter, tum naturaliter obligatus, L. 13. D. de consens., et auctor. tutor. Dixi *pubertati proximus*, nam ante illam aetatem, solus tutor contractus celebrare debet, ipse vero pupillus ex proprio consensu non obligatur neque civiliter, neque naturaliter; quia pupillus infantiae proximus vix sufficientem intellectum habet. Vid. Tit. Instit. de inutil. stipul. Si vero contrahit de rebus immobilibus, vel mobilibus pretiosis, et quae servando servari possunt, et apponit auctoritatem tutoris, nec non Judicis, remanet naturaliter, et civiliter obligatus, secus non, L. *Non solum* 4. C. de praed. min. etc., L. 22. C. de administr. tut. Quod dicitur de contractu, intelligendum est etiam de hypothecae, et servitutis constitutione in re immobili, vel mobili pretiosa; item de transactione, si cum alienationis periculo fiat dict. L. 4. C. eod (1)

(1) Jure novissimo nulla distinctio occurrit inter pupillos, et minores, puberes, et impuberes. Statuitur enim art. 311. Cod. LL. Civ. cives omnes utriusque sexus vel minores, vel majores natu esse: minores scilicet usque ad an. XXI. expletum: exacta hac aetate eos majores existimari.

Quod vero tutelam respicit, cautum art. 313.: mortuo patre ipso jure matrem tutricem suae prolis esse, cui etiam a viro contutor eligi potest: art. cit. 313.: hoc munere autem illa liberari potest excusationes apud Judicem allegando: a tempore tamen, quo tutela incoeperit, si contutor deficiat, omne periculum ad eam pertinet, donec alius tutor eligatur: art. 316.

Praeterea parentibus vita functis absque tutoris electione, hoc munus publicum defertur avo paterno, quo defuncto, avo lineae maternae, vel alii adscendenti ulteriori gradus in utraque linea art. 323., et seq.

Tum deficientibus testamentariis, et legitimis tutoribus, cum Reipublicae intersit rem pupilli salvam fore, a Lege sancitum tutorem a Consilio-familias eligendum: art. 326.: immo cautum subrogatum quoque tutorem designandum, ut is minorum jura sarta tecta tueatur: art. 342.

Quod autem attinet ad tutoris officia; debet ipse, ut frugalis paterfamilias minorum bona administrare art. 373., cujus administrationis cessante tutela rationes

Digitized by Google

Q. Quaenam sunt bona, quae servando servari possunt, et quaenam dicuntur illa, quae servando servari non possunt ?

R. Bona immobilia, vel mobilia pretiosa, quae servari possunt ultra triennium, dici bona ea, quae servando servari possunt: bona vero mobilia, quae per triennium conservari non possunt, dici bona, quae servando non possunt servari. Ita DD.

Q. Quid si pupillus celebret contractum sine tutoris auctoritate in iis, in quibus ea requiritur, num remaneat naturaliter obligatus ?

R. Dissidium est inter Doctores, nam aliqui negant, quia in jure pupillus furioso comparatur, quando celebrat contractum absque auctoritate sui tutoris, L. *Interdum* 29. De de condit. indeb. Alii vero affirmant, quia naturalis obligatio oritur ex consensu; quare cum apponat verum, sufficientemque consensum, dicendum, quod contrahat sufficientem obligationem, L. *Stichum* §. *Naturalis* D. de solut. et liberat., et L. *Si pupillus* D. ad leg. Falcidiam. Ita Sanchez, Collet, aliique. Praeterea si ad contractum pupilli sine tutore celebratum, fidejussor accedat, hic etiam civiliter obligatur. §. 1. Instit. tit. de fidejuss., et L. 26. D. de fidejuss. Ergo apparet obligationem principalem pupilli saltem naturaliter subsistere, quia si obligatio pupilli tota corrueret, deberet corruere etiam obligatio fidejussoris; nam ruente principali, ruit etiam accessorium, modo pupillus sit proximus pubertati, vel pubes. §. *Pupillus* Instit. tit. de inutil. stip.

Q. Quid si pupillus celebret contractum absque auctoritate Judicis in iis, in quibus ea requiritur ?

R. Pupillum non remanere obligatum, neque civiliter, neque naturaliter, quia jura his contractibus resistunt, L. *Si ad resolvendum* 1, L. *Siquidem* 11., et L. *Si minor* 15. C. de praed., vel aliis reb. minor. etc, Quod etiam dicendum, quando pupillus cum ipsomet tutore contrahat; quia etiam leges hujusmodi contractibus resistunt, L. *Pupillus* 5. D. de auctorit., et consens. tutor. Quod intelligitur, quando pupillus non habet plures tutores; quia si plures habet, potest uni tutori obligari auctoritate alterius tutoris, dict. L. 5. D. eod. tit. Layman, aliique.

Q. Num dentur casus, in quibus pupillus celebrat contractum absque tutoris auctoritate, ac Judicis, et remanet obligatus naturaliter et civiliter ?

R. Dantur. et I. Est quando pupillus sine auctoritate Judicis obligatur ex contractu, quatenus inde locupletior est factus, dict. L. *Pupillus* 5. D. de auct. tutor., *nam locupletari non debet aliquis cum jactura alterius*; Reg. 48. Jur. in VI. Quare si venditor pupillo mercem tradidit non accepto

etiam reddere debet. Qua de re post decendium a sua electione onus illi inest inventarium coram subrogato tutore conficiendi, in quo nomina, quae in hereditatem ad eum spectant, sub poena amissionis, aperiat necesse est art. 374. Atvero sancitum tutorem non posse minorum bona etiam publica auctione emere: praedia conducere: art. cit. 374.: immobilia distrahere, donationes, aut hereditatem, quae pupillis deferuntur, repudiare, vel adire art. 384. mutuam pecuniam accipere: hypothecae vinculo illorum bona subjicere: art. 389.: actionem realem pro immobilium vindicatione instituere: art. 387.: divisionem de rebus hereditariis peragere: art. 388. In hisce enim expediendis negotiis deliberatio requiritur Consilii-familias a Tribunali Civili, annuente Regio Procuratore, confirmanda: art. 381.

Digitized by Google

pretio, repetet mercem suam, vel pretium: quod si merx amissa, vel absque dolo absumpta sit, non plus solvere compellitur pupillus, quam ex ea ditior factus est. Eadem ratio est, si non pupillo sed minori curatorem habenti datum sit. II. Quando res tradita pupillo, dolo ejus perit, in hoc casu datur contra eum actio civilis, qua solvere compellitur. L. 1. D. deposit. Advertendum tamen, quod non est praesumendus dolus in pupillo infantiae proximo, argum. L. *Quod infans* 60. D. de rei vind.

Q. Minor potestne valide contractus celebrare?

Ante resp. pauca subnecto. Curator dicitur ille, qui directe assignatur minori ad curam bonorum, indirecte vero ad ejus personam, §. 2. Instit. de Curator: Et curator non datur minori invito, tantum invito minori datur curator in litem. L. 1. C. qui pet. tut. At si minor curatorem suscipiat, hoc est in eum consentiat, tunc cogitur esse sub illo usque ad aetatem legitimam, sicuti etiam si a patre ei in testamento curator assignetur. Porro tutores, curatoresve ad tutelam, curationemque non admittuntur, nisi satisdent, *rem pupilli adolescentis salvam fore*, princip. Instit., tit. de satisdat. Tut. vel Curat. His praemissis.

R. Si minor viginti quinque annis de jure communi, vel decem octo jure Neapolitano contrahant, curatorem non habens de bonis mobilibus non praetiosis obligatur ex contractu tum civiliter, tum naturaliter. Idem potiori jure dicendum est, si et ipsius curatoris, cui subest minor accesserit auctoritas ad firmitatem contractus, tum firmus erit contractus, concesso tamen eidem minori beneficium restitutionis in integrum, L. *Si curatorem* C. de restit. in integr.

Si vero minor contractum celebraverit de bonis immobilibus aut pretiosis, scilicet iis, quae servando servari possunt ultra triennium, et tunc etiam valide contrahit, modo accesserit et consensus curatoris cui subest, et decretum Judicis. Secus vero invalidus erit contractus in utroque foro etc., L. *Non solum* 4. C. de praediis, et aliis reb. minor sine decr. non alienand. (1).

(1) Nonnulla heic quoad mulierum stipulationes observatu digna.

Et principio mulieres ante XXI. ann. minores sunt, ac proinde, parentibus vita functis, in expediendis suis negotiis Tutoris auctoritate indigent, ut supra innuimus (in addit. h. cap. pag. 166.): valide vero illae contrahunt, si aetate majores sint, et innuptae: art. 411. Cod. LL. Civ. Quod si conjugii foedus ineant, tunc bona, quae dote constituuntur ad onera matrimonii substinenda, nequeunt alienari, vel hypothecae vinculo subjici, cum expediat Reipublicae ea sarta tecta servari: nisi alienatio necessaria, vel utilis, caussa cognita a Civili Tribunali, annuente etiam Regio Procuratore, decernatur: art. 1367. et 1371. At vero quoad bona paraphernalia (illa nempe, quae in dotis constitutione non recensentur), eorumdem administrationem gerunt: actionem autem super his instituere nequeunt, nec ea distrahere, nisi accendente viri auctoritate, vel Judicis decreto interposito: art. 1389.

Tum nequeunt illae donare, alienare, hypothecae vinculo bona subjicere, necnon titulo lucrativo, vel oneroso adquirere, nisi interveniente viro in stipulationibus, aut accedente ejus consensu in scripturam redacto: licet ipsi conjuges rerum communionem non inierint, vel inter se bonorum separatio facta fuerit. art. 206. Item, in contractibus valide ineundis viri consensu indigent, iis exceptis ad publicam negotiationem spectantibus, quam sane consentiente viro, et Judicis auctoritate interposita, exercere valent art. 1078.

Jamvero absque viri consensu possunt nuptae donationes, quae filiis deferuntur,

Digitized by Google

Q. Quid sancitum jure nostro circa contractus filiorumfamil., et minorum?

R. I. Contractus initi a filiisfam. non valent, nec ex iisdem illi obligantur tam civiliter, quam naturaliter, nisi contractus initi fuerint in praesentia, et expresso consensu ipsorum Patrum. Ita decernitur jure nostri Regni, ut videre est in Pragm. 1. de Scto Macedon.

R. II. Filiusfamil., qui contraxerit cum alio sine consensu, et auctoritate Patris mentiendo se esse sui juris, atque ita alium decipiendo, etiam invalide contrahit; qui enim a filiofamil. deceptus est, mendiendo se esse Patremfam. sibi imputare debet ignorantiam suam, cit. Pragm. 1. Licet alter se res haberet jure Romano. L. 1. C. de Scto Macedon. (1).

R. III. Si filiifam. fuerint a Patre emancipati, vel habitent, et vivant seorsim a patre una cum eorum uxoribus, et familia, aut publice mercaturam exerceant, obligantur ex contractibus, quos celebraverint tum civiliter, tum naturaliter, Pragm. 1. et 3. de Scto Macedon.

Q. Num filiusfamil. habens etiam peculium castrense vel quasi etc. ex hisce contractibus obligatur?

R. Minime, si quidquam mercium ipsi venditum fuerit habita fide de pretio (vulgo a credenza). Imo nulla erit hujusmodi obligatio, quamvis literis collybisticis (vulgo lettere di cambio) munita fuissent. Secus vero dicendum, si praesens pecunia numerata in hujusmodi contractibus intervenisset, Pragm. 3. et 4. eod. tit.

Item quoque dicendum erit Pupillis, minoribus, mulieribus, aliisque sub aliena potestate degentibus. Utrum tandem hi omnes remaneant naturaliter obligati, jam est dictum supra.

Q. Num remaneat naturaliter obligatus, quando minor absque auctoritate Judicis contrahit de bonis, quae servando servari possunt?

R. Minime, quia jura istis contractibus resistunt, uti colligitur ex L. 7., 11., et 15. C. de prediis etc. supra citat. Ita Layman, Sanchez, aliique.

Q. Quinam sunt effectus naturalis obligationis?

R. Esse plures, et I. Est, quod creditor habeat jus accipiendi, et retinendi, si, quod naturaliter debitum est, sibi, nulla opposita exceptione, solvatur. II. Quod possit creditor fidejussionem, ac pignus exigere. III. Quod

acceptare: art. 859: immo ipsis donare art. 206.: tum bona, quae ad eas pertinent administrare, mobilia quoque distrahere, dummodo auctoritate Judicis bonorum separatio fuerit decreta: art. 1413.: item donationes, quas durante conjugio viro fecerint, revocare: art. 1086: inscriptionem legalem in bonis viri in nuptiali contractu ad dotis securitatem promissam petere, art. 2026: donationem viri auctoritate acceptatam in publicis hypothecarum tabulis transcribere: art. 864: denique testamentum condere: art. 815. Si vero nuptae communionem bonorum inierint, Judicis auctoritate indigent in obligationibus super hujusmodi bonis contrahendis, etiamsi in viri, aut filiorum utilitatem redundent: art. 1398. Conventiones autem, quas eae contrahunt, licet Judicis potestate interposita, bona, quae in communione sunt, minime afficiunt, nisi mulier publicam negotiationem exerceat, et conventiones initae eam respiciant. art. 1397.

Postremo si vir suam auctoritatem interponere nolit, aut sit minor, absens, interdictus, vel poena, cui infamiae nota inhaeret, mulctatus, tunc mulier, in suis rebus expediendis Judicis auctoritate omnino indiget. Videsis art. 207., et seq.

(1) Videsis nostras additiones pag. 166.

Digitized by Google

debitor non possit repetere jam solutum. IV. Creditor habet jus compensandi, servatis conditionibus. Laymah.

Q. Num contrahant valide minores in sutm commodum absque auctoritate Curatoris, Judicisve?

R. Maxime (quod etiam dicendum de pupillis pubertati proximis) quia jura statuerunt in favorem illius aetatis, ut aetas illis subveniret in damnis, et in prospere gestis non obesset, L. 9. D. de auctor. tut. et §. 1. Institut. de auctor. tut.

Q. Nutn dentur casus, in quibus minor contrahit absque auctoritate curatoris, dum illum habet, et remanet naturaliter, et civiliter obligatus?

R. Maxime, et I. Est, quando minor Religionem sit professurus, tunc omnia bona sua absque auctoritate curatoris potest alienare, cuicumque donare, etiam sine restitutionis in integrum beneficio, quia censetur mori. II. Quando minor contractum juramento firmavit, Authent. *Sacramenta puberum* C. si advers. vendit. etc. Quae constitutio juxta DD. sententiam locum habet etiam in alienatione rerum immobilium.

CAPUT V.

De Restitutione in integrum.

Minoribus tutorum, curatorumve negligentia, vel aliorum fraude laesis succurritur per in integrum restitutionem.

Q. Quid est restitutio in integrum?

R. Est extraordinarium juris remedium, quo graviter laesus ex naturali aequitate per officium Judicis reducitur, seu restituitur, in pristinum statum, ac jus, in quo erat ante laesionem, L. *Utilitas* 1. D. de in integr. restitut. Cap. *Requisivit* Cap. *Auditis* de in integr. restit.

Q. Quaenam conditiones requirantur, ut possit aliquis petere beneficium restitutionis in integrum?

R. Plures, scilicet, ut patiatur damnum, aut amittat lucrum ex contractu, non satis prudenter celebrato, sive oneroso, sive gratuito, ut laesio sit notabilis, L. 4. D. de in integr. restit., et ut laesio veniat ex vi contractus, vel quasi contractus validi, nam si contractus fuit nullus, non est locus beneficio restitutionis in integrum; quia tunc laesus communi auxilio, ac mero jure munitus est, ideoque non debet ei tribui remedium restitutionis in integrum, quod nonnisi in subsidium, seu defectum remedii ordinarii conceditur, L. *Causae cognitionem* D. de minorib. Demum, ut ad restitutionis beneficium Judicis accedat auctoritas.

Q. Quinam gaudent privilegio restitutionis in integrum?

R. Hujusmodi beneficio gaudere Minores, L. 1., L. 3., et L. *Minoribus* 6. D. de minorib. Ecclesiam, Cap. *Requisivit* 1, et Cap. 2. de in integr. restit. Rempublicam, L. *Respublica* 4. C. quibus ex caus. major. in integrum etc. Nomine autem Reipublicae veniunt etiam Civitates, Castra, Villae, Pagi, si bonorum, seu jurium communium Administratores habent, Bartol. in cit. L. *Respublica* 4. C. quibus etc., Abbas in cit. Cap. *Requisivit* 1. de restitut. in integrum. Porro restitutionis in integrum beneficium conceditur quandoque etiam Majorennibus, hoc est majoribus 25.,

Digitized by Google

vel 18. completis annis, si graviter laesi sunt, at vero in istis praeter gravem laesionem necesse est aliam justam causam intervenire, v. g. causa absentiae, utilitatis publicae, detentionis in vinculis etc. Vid. tot. tit. Digest. ex quibus caussis major. etc., et tot. tit. C. quibus ex caus. major etc. (1).

Q. Quid si contractus, v. g. venditionis, celebratus ab Ecclesia, Civitate, minori per in integrum restitutionem rescindatur, fructus ad quem pertinet: num ad emptorem, num ad venditorem, puta Ecclesiam, minorem? etc.

R. Certum est ante omnia pretium emptori esse restituendum, simul cum melioramentis, si quae sunt, aliter emptor utitur jure retentionis, donec ipsi satisfactum sit. Quoad fructus vero dico, illos bona fide perceptos pertinere ad emptorem, tanquam dominum, neque rescisso venditionis contractu, restituendos esse, si res justo pretio vendita fuit, tunc enim Ecclesia, vel minor laesus non fuit ratione perceptorum fructuum, cum acceptum pretium ad lucrum capiendum etiam adhiberi potuerit, sed tantum ratione rei venditae. Layman, aliique.

Q. Quanti temporis spatium conceditur minori, ut possit restitutionem in integrum petere?

R. Concedi continuum quadriennium, L. *Supervacuam* 7. C. de tempor. in integr. restit., et concordat Cap. *Ecclesia* in VI. Quadriennium istud restitutionis minorum incipit currere juxta commune jus a primo die vigesimi sexti anni inchoati, dict. L. 7. C. de in temp. integr. etc. At in illis minoribus, qui veniam aetatis impetrarunt, quadriennium incipit currere a die, quo venia aetatis obtenta, et intimata fuit, L. *Eos qui* 1. C. de his, qui ven. aetat., et L. *Ea quae* 5. C. de temp. in integr. restit.

Nota. In restitutione Ecclesiae, vel Reipublicae, quadriennium incipit currere a tempore factae lesionis, hoc est a tempore celebrati contractus, ex quo Ecclesia laesa est, Clement. de in integr. restit. Molin. tract. 2. de Justit. disputat. 574: aut saltem incipit decurrere ab eo tempore, cum re intellecta integrum fuit ipsi Ecclesiae jus suum in judicio prosequi. Et hoc tempus quadriennii concessum pro petenda restitutione non currit juste impedito, puta ob absentiam publicam, aut si per vim, aut dolum adversarii non potuit peti restitutio in integrum, debet postea suppleri totum illud tempus, quo duravit illud justum impedimentum, addito ad quadriennium quantum temporis ablatum fuerat, colligitur ex cit. L. *Supervacuum* 7. C. de tempor. etc. (2).

(1) Jure novissimo Cod. LL. Civ. art. 1259. cautum Minores non emancipatos, si laedantur in quibusvis conventionibus restitutione in integrum frui: emancipatos vero in iis stipulationibus, quae eorum capacitatem excedant: hoc beneficio quoque ii gaudent, licet se majores declaraverint: art. 1261.

Quod vero ad majores attinet, art. 1267 sancitum illis hujusmodi beneficium dumtaxat, concessum in casibus a Jure statutis, et sub conditionibus diserte praescriptis: ut ex. gr. si coheres in quota hereditaria laesionem ultra quartum in rerum divisione passus fuerit: art. 807: item in contractu emptionis, si venditor damnum ultra dimidium expertus fuerit, peracta rei traditae aestimatione ad tempus initi contractus, licet suo juri cesserit, aut reliquum pretium emptori donarit: art. 1550; et seq.

(2) Jure novissimo Cod. LL. Civ. cautum actionem restitutionis in integrum intra decennium esse instituendam: art. 1258: intra biennium vero, quando in contractu emptionis laesio locum habuerit: art. 1522.

Digitized by Google

Q. Num dentur casus, in quibus minor non potest uti privilegio restitutionis in integrum?

R. Dari plures casus, et I. Est, quando minor veniam aetatis impetravit, quia tunc tanquam major aetate reputatur, cit. L. *Eos qui* 1. C. de his, qui ven. aetat. etc. II. Quando ratificavit contractum factus major, L. *Si inter minores.* L. *Qui post vigesimum* C. si major fact. rat. hab. III. Quando in minore aetate contractum juramento firmavit, cit. *Autent. Sacramenta puberum* etc. (1).

Q. Quomodo fit restitutio in integrum in contractibus?

R. Duobus modis, scilicet aut contractum rescindendo, aut pretium, in quo contrahens fuit laesus, augendo.

Pro coronide contractuum in genere duo quaeruntur, et I.

Q. An contractus absque solemnitatibus celebratus valeat?

R. Vel loquimur de solemnitatibus a jure constitutis, uti substantialibus, et dico non valere in utroque foro, quia leges, quae statuunt istas solemnitates, non fundantur in praesumptione doli, sed in periculo doli, et fraudis, quod semper habetur. Hinc si quis contrahat matrimonium absque praesentia Parochi, et testium, nulliter contrahit, cum haec sit solemnitas substantialis. Vel loquimur de solemnitatibus accidentalibus, et dico valere, quia res absque perfectione accidentali semper subsistere potest. Hinc si contrahat matrimonium absque proclamationibus, valide contrahit, cum haec sit accidentalis substantiae.

Q. II. *An omnis contractus obliget in conscientia?*

R: Omnem contractum validum, etiam nudum, parere obligationem in conscientia, licet non tribuat actionem in foro externo, Cap. *Antigonus* 1. de pactis, ubi generaliter dicitur, pacta esse custodienda, et paciscentes censura etiam Ecclesiastica posse compelli ad servanda pacta conventa. Secus periret bona fides, sine qua existere societas humana non potest. Ratio autem est, quia ad talem obligationem, supposita materiae capacitate, et contrahentium habilitate, sufficit mutuus consensus signo externo manifestatus; per illum enim datur jus alterutri, vel utrique, quod amplius violare non licet.

Nec obstat Ulpianus in L. *Juris gentium* 7. §. 3. D. de pact. ubi dicit: *Nuda pactio obligationem non parit*, nam ibi loquitur de obligatione civili, hoc est in foro externo. Ast si contractus Jure positivo est nullus, nullam parit obligationem in utroque foro, quia cum nullus sit, habetur tanquam non factus. Si vero contractus non sit absolute irritus, sed irritandus, obligat in conscientia, quousque a Judice irritetur pro foro externo Layman, Lessius, aliique.

(1) Jure novissimo Cod. LL. Civ. art. 1260. et seq. sancitum quod minores beneficio restitutionis in integrum minime gaudeant: 1. cum damnum ex casu fortuito, vel eorum delicto, et quasi delicto experti fuerint: 2. si negotiationem publicam ii exercentes, in stipulationibus ad eamdem pertinentibus laesionem passi fuerint: 3. in pactis nuptialibus in matrimonii contractu adpositis, si eorum ratihabitio accesserit, quorum consensus ad conjugii foedus ineundum requiritur. 4. denique si natu majores stipulationes in minori aetate contractas confirmarint, licet eae ratione formae prorsus irritae fuerint: art. 1260.

Digitized by Google

CAPUT VI.

De contractus materia

Q. Quaenam est materia contractus?

R. Quaelibet res, vel actio, modo sit possibilis, existens, honesta, certa, propria, et a Jure non impedita, seu prohibita.

Q. Num contractus de re turpi sit validus, sive ante, sive post patratum scelus?

Not. Contractus de opere turpi ille dicitur, qui est de aliquo opere illicito, uti si pretio aliquo convenias cum sicario, ut inimicum tuum occidat; cum Judice, ut iniquam ferat sententiam. Hoc notato:

R. Minime, non est validus contractus ante sceleris executionem, quia talis conventio, si esset valida, imponeret necessitatem peccandi; non est validus post executionem sceleris, quia obligatio adimplendi promissionem non habet, unde vim accipiat, non a pacto praecedenti; quia fuit nullum, non a nova conventione, quia non habetur, uti supponitur. *In malis enim promissis fidem non expedit observari.* Cap. in malis de Reg. Jur. in VI. Quare adimpleto opere illicito, promissor non tenetur ex justitia ad solvendum pretium, de quo conventum fuit. Antoine, Collet.

Excipe pactum pretium cum meretrice, quod nulla Judicis expectata sententia solvendum est, lege sic decernente in poenam scortatorum. Excipe porro matrimonium puellae promissum ad stuprum extorquendum, quod jura exequi etiam cogunt. At acceptum pretium pro opere illicito, sive patrato postea, sive non, semper est restituendum, quia nullus fuit contractus, ideoque non tribuit jus retinendi. Quare restitutio facienda est donatori, quia hic non videtur renuntiasse juri suo, cum donavit per actum omnino nullum. Vel ut placet Divo Thomae, pauperibus, vel in usus pios erogandum est, quando agitur post factum. *Vide tamen Cuniliatum.*

Q. Num valeat contractus de opere debito ex aliqua virtute, puta ex justitia, caritate etc.?

R. Si opus debitum est ex justitia, contractus non valet, quia venditor venderet id, quod suum non est, sed emptoris, unde tenetur restituere id, quod accepit pro pretio. Hinc si promisit quis aliquid Judici, ut ferat justam sententiam, non valet promissio, et si accepit Judex tenetur restituere. Si opus debitum est alia virtute, v. g. caritatis, religionis etc., et dico probabilius contractum esse nullum; quia opus debitum ex caritate ex communi hominum judicio non est pretio aestimabile. Quare, qui noluit facere opus, ad quod ex caritate tenebatur, nisi pretio constituto, tenetur restituere quod accepit, quia vendidit, quod non erat pretio aestimabile. Concina, aliique.

Q. Si res post contractum pereat, vel deterior fiat cuinam perit, vel deterioratur, num creditori, num debitori?

R. I. Si res certa, sive in individuo ex aliquo contractu debita, puta, hic equus, haec ovis, casu pereat, aut deterior fiat, creditoris damnum est, §. *Cum autem* Instit. tit. de empt., et vend., et L. 7. D. de peric., et comm. rei vend. Excipe tamen I. Nisi aliter conventum fuerit. II. Nisi

Digitized by Google

debitor fuerit in mora culpabili solvendi; nam mora sua cuilibet nocet, Reg. 55. Jur. Dixi *culpabili*, nam si culpabilis non fuit non tenetur de damno.

R. II. Si res incerta, et indeterminata in aliquo genere debeatur, debitoris damnum est, quia genus perire non potest, argum. L. *Incendium* C. si cert. petat. Unde si equum aliquem dare debeas, licet plures tibi equi pereant, non tamen liberaris. quia potes alium dare. Si vero res post contractum pereat, vel deterior fiat, non ex casu fortuito, sed ex culpa juridica; tunc si contractus institutus fuit in gratiam solius accipientis, accipiens tenetur de omni culpa, si in gratiam solius dantis, accipiens tenetur de dolo, et culpa lata, si in gratiam utriusque, tunc obligabit culpa lata, et levis. Vid. quae dicta sunt in Tract. de restit. (1)

PARS SECUNDA.

De contractibus in specie

Exposui hactenus contractus universe acceptos, sed levioris momenti illa fuere, si cum iis comparentur, quae de contractibus in particulari dicturi sumus. Quare breviter de illis, fuse, et distincte de istis disputabimus. Et primum contractus onerosos, seu non gratuitos enucleabimus, postea contractus gratuitos. Quare sit.

CAPUT I.

De Emptione, et venditione

Q Quid est contractus emptionis, et venditionis ?

R. Est contractus mutuo consensu initus ultro, citroque obligatorius de determinata merce pro determinato pretio, et e contrario determinato pretio pro determinata merce tradenda. Ita communiter, et argum. L. 1. De de contrah. empt. Hinc ad hunc contractum tria requiruntur, consensus, res, et pretium.

Nomine *mercis* veniunt omnes res mobiles, et immobiles, actiones, et jura, quae pecunia aestimari, et compensari solent, L. *Si emptione* 24. §. 1. D. de contrah. empt., Nomine *Pretii* venit ipsum numisma, seu numerata pecunia, §. *Item* 2. Instit. tit. de empt., et vend. (2).

(1) Quaeritur inter DD. an liget in conscientia contractus sine debitis solemnitatibus celebratus? Multi affirmant, ut *Sot.*, *S. Antoninus*, *Sa*, *Mol. etc*, dicentes legem humanam auferre quidem actionem in hujusmodi contractibus, non autem naturalem obligationem, pro qua sufficit solus consensus. Multi alii vero id negant, ut *Less.*, *Lugo*, *Bonac.*, *Salm. etc.*, et dicunt legem humanam, ut fraudum periculo occurrat, bene posse etiam naturale debitum auferre. Sed cum utraque sententia sit probabilis, puto in praxi omnino amplexendam esse tertiam sententiam *Sanch. Cabass. Bon. Beja etc.* (cui adhaeret etiam *Sot.*) nempe cum ei tale sit dubium, praeferendum esse possessorem, donec a Judice non sit damnatus ad restituendum. Ex *S. Ligorio Tract. X. Cap. IV. de contract. in gen. Punct. 1. §. 126.*

(2) Jure Novissimo Cod. LL. Civ. emptio venditio est conventio, qua unus ad quid tradendum, alter ad ejusdem rei pretium solvendum adstringitur: art. 1427.

Digitized by Google

Q. Quomodo perficitur contractus emptionis, et venditionis?

R. Mutuo perficitur consensu supra pretium determinatum, et mercem determinatam praestito a contrahentibus, nam emptio, et venditio contrahitur, simul ac de pretio convenerit, ait Justinianus lib. 3. Institut. tit. 24. Verum traditione rei venditae consumatur, hoc est, habet suum ultimum complementum, scilicet dominium transfertur. Dominia enim rerum ex juris dispositione, traditionibus, et non nudis pactis adquiruntur, L. 9. De public. in rem act. (1)

Q. Quotuplici modo res potest esse determinata?

R. Duplici, vel in specie, sive actu, vel in spe. Primo modo, cum res actu existens determinatur, secundo modo, quando non existit, sed habetur spes, quod existat aliquando. Sive primo, sive secundo modo determinetur res, sufficit ad contractum emptionis, et venditionis. Quare si vendantur pisces capiendi in hoc jactu retis, vel aves capiendae in hoc aucupio, valida est venditio, L. *Si jactum* 11. De act. empt., et pretium est solvendum, etiamsi nihil capiatur; dummodo non accesserit aliqua fraus.

Q. Quaenam res vendi, vel vendi non possunt?

R. Possunt vendi omnes res, quae sunt in commercio, seu pretio aestimabiles, imo jura, et actiones, nisi aliqua lege non prohibeantur. Quare non possunt vendi res sacrae, prout sacrae sunt, Ecclesiae, via publica, theatra, balnea, eaque omnia, quae publicis usibus sunt destinata, L. 22. D. de contrah. empt. Item homo liber, venena prout deserviunt ad nocendum homini, vel animalibus etc. (2).

Q. Num valida dicatur venditio, quando pretii determinatio emptori remittitur?

R. Minime, quia non adest pretium determinatum, et emptor in causa propria potest hallucinari, *L. Quod saepe* 35. D. eod. tit. At si remittitur tertiae personae pretii determinatio, valida est venditio, si ille pretium definiverit, secus nulla erit venditio. §. 1. Instit. tit. de empt, et vend. (3).

(1) Codice novissimo art. 1428. cautum quod solo contrahentium consensu emptio venditio perficitur, et licet res non sit tradita, nec pretium solutum, illius tamen dominium ipso jure emptori addicitur, simul ac de certa re, et pretio conventum.

(2) Ecclesiarum Administratores, Praelati, Rectores, quocumque nomine vocitentur, bona Ecclesiae immobilia, vel mobilia pretiosa, quae servari possunt, vendere nequeunt, latae excommunicationis poena, inconsulto R. Pontifice: immo nec permutare, donare, aut hypothecae subjicere, ultra triennium locare. *Extravag. Ambitiosae de reb. Eccl. non alien.* Excipiuntur vero res exiguae, et parum utiles. *arg. Can. Terrulas caus. 12 quaest. 2.*

Praeterea Jure novissimo Cod. LL. Civ. art. 1445. cautum 1. quod nullo pacto viventis hereditas alienari possit. 2. praediorum fructus adhuc immaturi vendere nequeant, quoties contrahentes constituant eorum traditionem faciendam certo pretio ad pondus, numerum, et mensuram sine respectu ad aestimationem, quam tempore messis, aut vindemiae fructus ipsi habuerint. At vero si tota messis, vel ejusdem pars per avversionem certo pretio alienetur, valida sane erit isthaec stipulatio: art. 1446.

(3) Jure novissimo Cod. LL. Civ. sancitum pretium rei in contractu emptionis vel a contrahentibus definiendum, vel in arbitrium tertiae certae personae relinquendum: haec vero si illud minime definierit, emptio venditio sane irrita erit: art. 1436, et 1437.

Digitized by Google

Q. Quid si res fuerit vendita pretio justo, uti si quis dicat: vendo tibi hanc vestem justo pretio?

R. Vel res habet pretium taxatum, et dico esse validum contractum, quia habetur pretium determinatum. Vel non habet pretium taxatum, et dico esse invalidum ob pretii incertitudinem. Layman, Antoine.

Q. An ante traditionem in hoc contractu rei dominium adquiritur?

R. Minime, uti patet ex L. 14. D. de peric., et commod. rei vend., et L. *Traditionibus* 20. C. de pact., nam per traditionem, et usucapionem dominia rerum adquiruntur, et post traditionem emptor evadit dominus rei emptae, etiamsi pretium nondum sit solutum, modo cautio fidejussoria, aut pignoratitia ab emptore praestita fuerit, aut venditor fidem habeat emptori de pretio, L. *Quod vendidi* 19. D. de contrah. empt. (1).

Q. Cuinam cedit rei emptae periculum post traditionem?

R. Statim pertinet ad emptorem. Ita communiter, et L. *Lectos* 12. D. de peric., et commod. rei vendit. Quin periculum rei venditae pertinet ad emptorem etiam ante traditionem, si vendatur res certa, et determinata in individuo; tunc enim non obstante interitu, vel deterioratione rei, debet emptor solvere totum pretium, si nondum solvit, et si jam solvit, nihil potest repetere, dict. §. *Cum autem* Instit. tit. de empt., et vendit.

Q. Cuinam debetur res quando est duobus vendita diverso tempore in solidum?

R. Vel neutri est tradita, et dico deberi priori emptori juxta Reg. Jur. 54. in VI. *Qui prior est tempore, potior est jure.* Vel vendita est uni tantum, et alteri est vendita et tradita, et dico deberi illi, cui fuit tradita, licet sit posterior; quia per traditionem, et pretii solutionem adquiritur dominium, et jus in re, ideoque praeferendus est priori emptori, qui habebat tantum jus ad rem, L. *Quoties* 12. C. de rei vind. Advertendum tamen quod venditor in casu, priori emptori teneatur, vel rescisso secundo contractu rem venditam tradere, vel solvere omnia damna, quae illi obvenere L. *Qui tibi* C. de haeredit., et action. vendit. Imo haec doctrina locum etiam habet in permutatione, donatione, aliisque hujusmodi contractibus uti tenent DD. (2).

Q. An primus emptor possit evincere rem a secundo emptore?

R. Posse, quando secundus emptor mala fide processit, hoc est, conscius prioris contractus emit; quia tunc primus emptor habet jus exigendi rem, quatenus in fraudem sui alienatam, et nullo suffragante privilegio ei est tradenda res a secundo emptore.

Q. Num detur casus, in quo primus emptor possit evincere rem a possessore, cui res antea vendita, et tradita fuit per alium contractum, licet

(1) Quum emptio venditio sit contractus mere consensualis: art. 1427. Cod. LL. Civ. hinc cautum periculum, et commodum rei venditae in emptorem statim transire cum contrahentes de certa re, et pretio consenserint, licet res non sit tradita, nec pretium solutum art. 1428.: dummodo venditor non fuerit in mora, quo casu periculum in ipsum cadit: art. 1092.

(2) Jure novissimo Cod. LL. Civ. art. 2081. sancitum quod res immobilis duobus vendita, priori emptori addicatur, dummodo contractum is rite probet, licet alter in publicis hypothecarum tabulis conventionem jam transcripserit. Si vero res sit mobilis, et jam posteriori emptori tradita, ad hunc pertinet, modo bona fide illam possideat: art. 1095.

Digitized by Google

non conscius primi contractus bona fide iste secundus contrahens processerit ?

R. Maxime, et est, quando primus emptor habebat rem titulo oneroso, et secundus contrahens, cui res est jam tradita, habuit titulo gratuito, puta donationis, dummodo tamen res extet, vel ditor factus sit, L. *Ignoti* 5. C. de revoc. iis, quae etc.: similiter et quando res primo emptori vendita fuit, et in contractus securitatem ejusdem rei data illi fuit hypotheca, quia tunc jus in re adquisivit, L. *Si creditor* 7. D. de distract: pignor.

Q. Si quis emat rem alienam, adquiritne dominium ?

R. Minime, quia venditor non poterat transferre dominium illud, quod non habebat. Et hoc verum est, sive processerit bona fide, sive mala fide emptor, qui proinde rem tenetur domino restituere, nisi bona fide procedens eam praescripserit, nec potest repetere pretium a domino, quia iste non tenetur emere rem suam. Concina.

Q. Quid dicendum si emptor rem alienam bona fide emptam, bona fide revendidit, et dominus compareat, et rem repetat suam ?

R. Qui bona fide revendidit, et potest rem recuperare ab eo, cui revendidit, tenetur recuperare, ut possit domino restituere. Si vero non potest recuperare; ad nihil tenetur, dummodo ex venditione in nihilo factus sit ditior: et ratio est, quia teneretur ex re accepta, et res accepta non extat. Ergo etc. At si dominus rei evincat rem suam a secundo emptore, tunc tenetur revenditor restituere acceptum pretium secundo emptori, et damna resarcire; quia ex contractu emptionis tenetur de evictione. Layman., Collet, aliique.

Q. Quotuplici modo potest quis vendere ?

R. Duplici modo, scilicet in genere, et in specie. In genere, uti vendo tibi decem oves de grege, centum cados olei etc. In specie uti vendo tibi hunc equum, hanc domum etc., quae venditio dicitur a Jctis. *in specie determinata*, a Theologis vero, *in individuo determinata*.

Q. Quotuplici modo res dicitur determinata in specie ?

R. Duplici modo, scilicet quoad corpus, quando venditur aliquid totum unico pretio, et a corpore incipit, licet quantitatis etiam mentio facta fuerit: uti vendo tibi totum hunc cumulum tritici; haec omnia dolia vini sine ordine ad mensurationem. Quoad mensuram, quando pro unaquaque mensura (idem dic de numero, pondere etc.) assignatur pretium, uti vendo tibi horreum frumenti decem argenteis pro singulis mensuris, aut vendo tibi totum hoc dolium vini, et pro quavis urna dabis mihi unum argenteum.

Q. Si res vendita, casu fortuito perit, cuinam perit ?

R. Vel res fuit tradita, et pretium solutum, aut habitum pro soluto, et dico perire emptori. L. *Quod si neque* 14. D. de peric., et commod. rei vendit; nam emptor traditione plane dominus rei efficitur, et res domino perit. Vel res non fuit tradita, et videndum: si res fuit vendita in genere et dico venditori perire; nam genus nunquam perit. L. *Incendium* 2. C.. Si cert. pet. Si vero res fuit vendita in specie, et denuo videndum, vel fuit vendita res, quoad corpus, aut certum individuum, v. g. integer grex ovium, vini dolium, hic equus etc., et dico perire emptori, textu expresso in L. *Cum convenit* C. de peric. et commod. rei vend. ibi: *Cum univer-*

Digitized by Google

cum, quod in horreis erat positum venisse sine mensura, et claves emptoribus traditas alleges, post perfectam venditionem, quod vino mutato damnum accidit, ad emptorem pertinet. Vel fuit vendita res quoad mensuram, numerum, pondus etc., et dico venditori perire, L. *Quod saepe* 35. §. 5. D. de contrah. empt.; ratio est, quia venditio haec non censetur omnino perfecta et absoluta, sed quasi sub conditione facta, si mensuratio, ponderatio, accesserit.

Porro si vinum, mel, vel quid simile vendatur ad corpus quidem, non ad mensuram, cum pacto tamen, ut degustetur antequam omnino rata, vel perfecta venditio sit, tunc ante degustationem factam periculum spectat ad venditorem. L. 1. princ. et L. *Si quis vina* 4. §. 1. D. de peric., et commod. rei vend. Ita etiam communit. At si certus terminus mensurationi, ponderationi, numerationi, vel degustationi praefixus fuit, aut venditor coram testibus emptorem moneat, ut intra certum tempus ad mensurandam, ponderandam etc. rem emptam accedat, post culpabilem ejus moram, periculum ad ipsum emptorem pertinebit, dict. L. *Si quis vina* §. ult. D. de peric. et commod. etc.

Q. Quid dicendum si res vendatur sub disjunctione. v. g. hic equus niger, vel ille albus, et ambo simul casu pereunt?

R. Quod unus perit emptori, et alter venditori: si successive, prior perit venditori, posterior perit emptori, L. 34. D. de contrah. empt., quia quando disjunctim venditur, unus de duobus absolute venditur. Ita etiam si res vendita est sub conditione, ante conditionis adimpletionem perit venditori, L. 7. D. eod. tit., ibi: *Conditionales venditiones tunc perficiuntur, cum impleta fuerit conditio.*

Q. Ad quem pertinent fructus rei venditae?

R. Peracto contractu mutuo consensu, commoda, et fructus rei venditae pertinent ad emptorem etiam si res non sit tradita, et pretium non sit solutum, nisi aliter expresse conventum sit; quia cujus est periculum rei, illius debet esse commodum, L. 12., et L. 24. de peric. et commod. rei vend. Ita enim communiter. Quare cum rei periculum totum ante rei traditionem, et pretii solutionem sit apud emptorem, apud eundem etiam debet esse commodum; fructusque rei, ideoque ad emptorem pertinent omnes fructus, et emolumenta rei venditae, sive sint maturi, sive immaturi, L. *Julianus* 13. §. 10., *et* 18. D. de act. empt., et L. *Fructus* 13. C. de act. empt., quia licet depositio Juris civilis impediat translationem dominii ante traditionem, noluit tamen impedire quominus effectus dominii, h. e. commoda, et incommoda rei emptae pertineant ad emptorem, modo venditor fidem habebat de pretio, nam tunc utile dominium, hoc est jus ad fructus etiam sine solutione pretii statim transit in emptorem, L. *Quod vendidi* 19. D. de contrah. empt. Nisi aliter sit in contractu conventum, quia in tali casu standum esset conventioni ex Regul. Jur. 85. in VI., ibi: *Contractus ex conventione, legem accipere dignoscuntur* (1).

(1) Quaeritur an emptor possit cum aliis conventionem facere, ne plus offerant? Hic casus apud DD. parum a DD. invenitur discussus. *Diana* cum *P. Navar.*, et aliis videtur id permittere, quoties obtulit justum pretium saltem infimum quanti res valet. Sed ego cum *de Lugo*, et aliis doctis, quos consului, puto oppositum, casu quo res exponitur sub hasta ex Judicis sententia; ratio est, quia cum vendens

Digitized by Google

Q. Quotuplici modo contractus emptionis, et venditionis dissolvi potest?

R. Multiplici modo. I. Per pactum addictionis in diem. II. Per pactum legis commissoriae. III. Per pactum retrovenditionis. IV. Mutuo consensu V. Per conditionem non adimpletam.

Q. Quando venditio dicitur facta per pactum addictionis in diem, vel legis commissoriae?

R. Dici factam per pactum addictionis in diem, quando quis hoc modo vendit, scilicet: *vendo tibi hanc domum hac lege, ut si intra annum meliorem conditionem alius obtulerit, domus sit inempta.* Dici vero factam per pactum legis commissoriae, quando quis hoc modo vendit, scilicet: *vendo tibi hanc domum, ut intra annum pretium solvas, aliter domus inempta erit.* Ita communiter, et L. 2. et 5. D. de lege commiss. et cap. *Significante* 7. de pignoribus et L. 1. D. de in diem addictione (1).

Q. Quotuplici modo fieri potest venditio per pactum addictionis in diem, vel legis commissoriae?

R. Duplici modo, vel verbis directis, vel obliquis. Tunc dicitur facta verbis directis, quando verbis contrahentium diserte significatur contractum non impleta conditione ipso facto esse nullum, aeque ac si venditio nulla intercessisset, seu patet in allatis exemplis. Tunc dicitur facta verbis obliquis, quando a principio est valida, licet rescindenda, uti si quis dicat: *vendo tibi domum hac lege, ut si meliorem conditionem alius obtulerit, vel si pretium non solveris intra annum, contractus dissolvatur, seu ex tunc sit dissolutus.*

Q. Ad quem spectant fructus medii temporis, puta fructus percepti a die celebrationis contractus usque ad diem dissolutionis, quando contractus fuit celebratus per pactum addictionis in diem, vel legis commissoriae?

R. Vel fuit celebratus verbis directis, et dico spectare ad venditorem, cum a principio contractus non fuerit perfectus, sed suspensus per conditionem appositam, qua non servata penitus corruit. Vel fuit celebratus verbis obliquis, et dico spectare ad emptorem, cum a principio sit validus contractus, licet rescindendus tempore quo melior conditio offeratur, vel pretium non solvatur, L. *Idem quod dictum* 9. D. in diem addict., et L. *Si fundus* 4. D. lege commiss. Hinc tamen advertit Lessius in Tract. de just. et jur., quod in foro conscientiae inspicienda est mens contrahentium potius, quam forma verborum.

tunc teneatur, rem dare plus offerenti, injustitiam ei irrogat emptor, si offerendo pretium tantum infimum, aut etiam medium, impedit vendentem quominus speret medium, aut supremum ad quod habet jus, nimirum ne impediatur illud consequi; nam sicut vendens, si alius offerens desit, est in periculo rem tradendi minori pretio, et etiam infimo minore, ita contra aequitas exposcit, ne defraudetur spe consequendi pretium majus si forte occurrent plures offerentes, qui aemulatione augent pretium. Hoc exposcit aequitas, et hoc videtur exposcere jus licitationis. *Ex S. Ligorio Tract. X. Punct. V. §. 177.*

(1) Jure novissimo Cod. LL. Civ. art. 1502. sancitum in immobilibus locum non habere pactum legis commissoriae in emptionis stipulatione adpositum, nisi actu judiciali emptor in mora constituatur: secus vero in mobilibus: art. 1503.

Digitized by Google

Q. Contractus venditionis cum pacto retrovenditionis, estne licitus?

R. Maxime, et patet ex L. *Si fundum* 2. C. de pact. init. empt., vendit., et ex Levit. 25., ubi Dominus praecepit, ut omnes terrae populi Istrael sub conditione redemptionis venderentur, modo tamen contractus hujusmodi habet necessarias suas conditiones, quarum I. est, ut non fiat ad palliandam usuram. II. Ut pretium sit justum habita ratione ad gravamen, quod imponitur emptori, ut ad arbitrium venditoris ipsi rem revendere debeat. III. Ut res redimatur eodem pretio, quo vendita fuit, nisi opera emptoris meliorata sit. IV. Ut emptor vere fiat dominus rei emptae, ejusque periculum subeat, et fructus, et commoda percipiat (1).

Q. Ad quem spectant fructus rei venditae cum pacto retrovenditionis, antequam res redimatur?

R. Spectant ad emptorem, quia emptor a die celebrationis, usque ad contractus dissolutionem, est dominus. Quod idem dicendum de contractu, qui mutuo consensu dissolvitur. Layman, aliique.

Q. Quid est Retractus gentilitius?

R. Est jus concessum proximo venditori consanguineo intra certum tempus rescindendi, et ad se revocandi venditionem rei immobilis eodem pretio oblato, quo empta fuit ab extraneo, vel a consanguineo remotiore. Hujusce retractus mentio occurrit in L. *Dudum* 14. C. de contrah. empt., attamen, licet in praedicta Lege hoc privilegium fuerit cassatum, multorum tamen Regnorum Constitutionibus, et Consuetudine postea firmatum fuit. Confer Caput *Constitutus* 8. de in integrum restit. Ratio hujusce Constitutionis fuit, ut possessiones paternae, atque avitae ad alienas manus non devenirent, sed conservarentur in familia.

Nota I. Peccat contra justitiam qui dolis, fraudibus, aliave via injusta impedit, ne proximus consanguineus tali jure utatur. II. Peccat contra justitiam consanguineus qui fundum retrahit, seu recuperat in favorem alterius, et in fraudem emptoris. III. Retractum extendi solum ad venditionem, non autem ad alias alienationes, puta donationes, legatum, locationem, emphyteusim etc. IV. Haec actio, seu jus retrahendi competit proximo consanguineo intra certum tempus, scilicet intra annum, et diem a peracta venditione, etiamsi ignoret, quamvis si fuerit ignorantia probabilis, et justa, potest petere restitutionem in integrum. Quod si proximus consanguineus fuit requisitus, et justo pretio emere noluit, tunc potest post duos menses fundus alteri vendi, et proximo consanguineo nulla datur actio. V. Sub retractu cadere bona immobilia, non autem mobilia, quamvis pretiosa. VI. Retrahens tenetur solvere illud idem pretium, quod solverit emptor, sicut non potest emptor majus pretium exigere. Ad haec tenetur solvere expensas quas prior emptor ratione contractus fecerat, et hoc privilegium est personale, non autem reale, ita ut si decedat consanguineus vel civiliter, vel naturaliter, privilegium hoc non transit ad heredes (2).

(1) Jure novissimo pactum retrovendendi quinquennio dumtaxat constitui potest: art. 1506. Cod. LL. Civ.: qui autem eo frui velit, tum ad pretium solvendum, tum ad impensas initi contractus, tum denique ad meliorationes in praedio peractas reddendas adigitur. Quibus solutis, hypothecae, aliaque onera ab emptore praedio imposita evanescunt: art. 1519. LL. Civ.

(2) Jure novissimo Cod. LL. Civ. art. 760. cautum quod cohaeredes in actione

Digitized by Google

Q. Quid est contractus mohatra? (vulgo dictus Baratto).

R. Est contractus, quo venditor alicui dat rem pecunia credita, pretio supremo, cum pacto retrovendendi sibi venditori, eandem rem pecunia numerata, sed pretio infimo, v. g. Petrus indigens pecunia, pergit ad mercatorem causa eam petendi, et mercator pro pecunia offert merces, ut eas emat pecunia credita pretio supremo, cum pacto sibimetipsi retrovendendi pecunia numerata pretio infimo.

Hic contractus est illicitus, quia non adest animus revera vendendi, sed tantum mutandi ad finem percipiendi lucrum sub pallio contractus emptionis venditionisque, ideoque damnata fuit ab Innoc. XI. haec Proposit.: *Contractus mohatra, licitus est etiam respecu retroventionis praeviae inito, cum intentione lucri.*

Q. Ad quem pertinet fructus rei venditae sub conditione, usque dum conditio adimpletur?

R. Vel fuit facta venditio sub conditione casuali, et dico, conditione verificata, spectare ad emptorem, quia contractus sub hac conditione factus, retrotrahitur ad diem, quo fuit celebratus, ac si tunc purus, et absolutus fuisset, L. 78. D. de verb. oblig. Vel fuit facta sub conditione potestativa, et dico fructus spectare ad venditorem, quia hujusmodi conditio apponitur ad sollicitandam adimpletionem. Hinc, ut sollicitetur adimpletio, privatur emptor fructibus, usque dum ea impletur. Ita communiter.

§. I. *De Evictione*

Q. Quid est evictio?

R. Evictio, quae est recuperatio rei propriae apud Judicem, quam alius justo titulo adquisitam habet, proprie definitur: *Est actio emptoris contra venditorem, vel e contrario ad servandum se indemnem.* L. *Evicta* D. de evict.

Q. In quibus contractibus locum habet evictio?

R. In omnibus contractibus onerosis, L. 8 C. de sentent. et interlocut., nam par non est, ut quis damnum patiatur ex re, quam debito pretio accepit.

Q. An evictio locum habeat in contractibus gratuitis?

R. Regulariter loquendo non habere locum, quia par non est, ut damnum quis patiatur ob traditionem rei alteri ex pura liberalitate factae. L. *Aristo* 18. D. de donation. Et ita communiter.

Dixi *regulariter*, quia si habetur in gratuito contractu pactum de evictione, locum habet in illo evictio, L. 2. C. de evict., quia liberum est contrahentibus opponere pactum, quo se subjiciant periculo damni, licet ratione contractus non sint ad illud obligati: sicuti etiam quando habetur culpa, uti si donatarius damnum patiatur ex eo, quod donator sibi tradidit rem furtivam, sciens esse talem, tenetur in hoc casu donator damna, quae passus est donatarius, resarcire, quia injusta censetur caussa damni.

familiae erciscundae extraneum emptorem quotae hereditariae excludere possint, pretium ipsi solvendo cessionis, quam a coherede obtinuit.

Digitized by Google

Q. Num teneatur venditor praestare evictionem, quamvis non promiserit?

R. Maxime, tenetur ad ipsam, postquam res vendita fuerit evicta, *L. Non dubitetur* 6. C. de evict., ibi. *Non dubitetur, etsi specialiter venditor evictionem non promiserit, re evicta, ex empto competere actionem.* Et quidem venditor tenetur re evicta restituere emptori totum pretium, si tota res fuerit evicta, et partem solum, si pars tantum evicta sit. L. 1. L. 13, et L. 64. D. de evict. Quinimo venditor re evicta, non solum pretium, sed etiam tenetur emptori restituere, et praestare totum id quod ipsius emptoris interest, rem fuisse evictam, L. *Titius* 43.D.de act. empt.,et L.70., D. de evict., ibi: *Evicta re ex empto, actio non ad pretium dumtaxat recipiendum, sed ad id, quod interest emptoris, competit.* Nomine autem illius, quod interest, venit lucrum cessans, et damnum emergens, L. *Si sterilis* 21. §. 3. D. de act. empt. (1).

Q. Num dantur casus, in quibus venditor non teneter de evictione?

R. Dari, et I. est quando emptor non denuntiavit venditori litem motam esse, ut eam defenderet, L. *Emptor*, et L. *Empti actio* 21. C. de evict., et Cap. *Si venditor* 7. de emptio.,et vendit. II. Quando emptor scienter emit rem alienam a fure, tunc fur non tenetur de evictione, nisi specialiter conventum sit de ea, L. *Si fundum* 27. D. de evict. III. Quando venditore absente, emptor non appellavit a sententia, L. *Herennius* 63. D. eod. tit. IV. Quando emptor potest usucapere, et non usucapit. L. *Si dictum* 56. D. eod.

Q. An peccet, qui cogit alterum, rem suam justo pretio vendere?

R. Maxime, et quidem graviter, vel leviter pro quantitate materiae, quia facit injuriam domino, L. *Invitum* 2. C. de contrah. empt. Et ita communiter.

Q. Num dantur casus, in quibus potest quis cogi ad vendendam rem propriam?

R. Dari, et I. Est si adsit publica necessitas, vel inopia, v. g. frumenti etc., nam tunc potest cogi civis a Magistratu ad vendendum justo pretio taxato, argum. L. 1. D. de offic. Praefect. urb., et L. 14., et 18. C. de operib. public. II. Quando requiritur res aliena ad publicum favorem, uti si fundus personae privatae sit necessarius ad constructionem, vel ampliationem Civitatis, Principis Palatii, Templi etc., argum. L. *Si locus* D. quemadmod. servit. amitt., et L. *Si quis pulchrum* 22. D. de relig. et sumpt. funer. III. Quando dominus nimis severe, ac inhumanae tractat servum

(1) Si qua praedii pars fuerit evicta, eaque tanti sit, ut emptor integrum praedium sine ipsa non adquisivisset, optio ei datur vel contractum rescindendi, vel aestimationem partis evictae, inspecto tempore evictionis, a venditore petendi: art. 1482., et seq.

Praeterea licet emptionis contractui pactum non accesserit, quod venditor emptorem de rei evictione indemnem redderet, ad indemnitatem tamen adigitur: art. 1472., ac proinde tum pretium reddere tenetur, tum impensas, et damna, quae passus fuerit emptor: art. 1476. Atvero si emptor in jus venditorem non vocaverit, seque defendere neglexerit, et sententia in rem judicatam transierit; venditor de evictione minime tenetur, si probet actionem rite elidi potuisse: art. 1486: aeque ac si in emptionis stipulatione rei periculum emptor agnoverit, et in se susceperit: art. 1473.

Digitized by Google

suum; tunc enim cogi potest eum vendere, §. 2. Instit. tit. de his, qui sunt sui vel alien. jur. (1).

§. II. *De mercium pretio*

Justitia contractus emptionis, et venditionis sita est in aequalitate, quae servari debet inter rem et pretium, secus nullus erit contractus L. 35. §. 1. D. contrah. empt.

Q. Quid est pretium, et quotuplex?

R. Est pecunia valori rei commensurata, atque illum exaequans. Duplex est *legitimum*, seu legale, et *naturale*, seu vulgare. Primum est illud, quod a Lege publica, seu a Principe, vel ab alio superiore legitimo est taxatum. Secundum est illud, quod est taxatum a communi hominum existimatione, et dicitur etiam pretium fori.

Q. Quotuplex est pretium vulgare?

R. Triplex est, scilicet supremum medium, et infimum. *Supremum* est illud, supra quod venditor juste non potest vendere. *Infimum* est illud infra quod emptor juste non potest emere. *Medium* vero est illud, quod est medium inter supremum, et infimum; ita ut si medium sit centum, infimum est nonaginta quinque, supremum centum, et quinque. Supremum alii vocant *rigorosum*, Infimum *pium*, Medium *moderatum*.

Quoad latitudinem justi pretii definiendam judicio prudentum standum esse, ita ut si res sit pretiosior, latitudo sit major, si res sit minus pretiosa, latitudo sit minor, v. g. Si pretium rei sit centum, supremum erit centum, et quinque, infimum nonaginta quinque. Item si pretium medium sit viginti, infimum erit decem, et novem, supremum erit unum, et viginti. Unde quamdiu emptio, et venditio fit intra limites pretii summi, et infimi, est justa, et licita in utroque foro, quamvis eadem res specifica ab aliis infimo, et ab aliis medio, et ab aliis summo pretio vendatur, et respective ematur. Concin., Antoin., Layman lib. 3. Tract. 4. cap. 17. §. 1. n. 4., aliique communiter.

(1) Emptio venditio praeter alias causas communes, ex quibus contractus omnes solvuntur, ob laesionem quoque enormem, nempe ultra dimidium justi pretii rei immobilis rescindi potest: quae actio competit venditori, licet in contractu huic juri cesserit, at intra biennium, ut supra innuimus, instituenda: art. 1520. et 1522.

Hac actione in judicio admissa emptori potestatem facit lex vel rem restituendi, vel retinendi. Primo casu rem cum fructibus a die petitionis restituere tenetur, pretium vero, quod solvit cum usuris a die ejusdem petitionis, vel tempore solutionis, si nullum perceperit fructum, recipiet. Altero casu, justam rei aestimationem cum usuris a die inchoatae rescissionis solvere tenetur: art. 1527., et 1528. At vero in casu rescissionis, onera singula, quae ab emptore praedio fuerint imposita, evanescunt, iisque venditor minime tenetur: arg. ex art. 1136. et 2011. Tum quoad impensas: venditor necessarias solvere tenetur, utiles, quatenus res pretiosiores factae fuerint: ad voluptuosas vero non tenetur; eaeque auferri possunt, si res deteriores non reddantur: *Delvincourt, v. 8. n. 124., et 147. pag. 26. et v. 29.*

Praeterea actio isthaec rescissionis admitti nequit: 1. post biennium a die initi contractus, ac proinde spatium istud perentorie decurrit contra absentes, interdictos, nuptas: immo si pactum retrovendendi adpositum fuerit, biennium quoque non suspenditur: 2. in rerum venditionibus, quae nonnisi ritu judiciario, causa cognita distrahi possunt: art. 1522., 1523., et 1530.

Digitized by Google

Q. Ex quotuplici capite pretium vulgare augeri potest ?

R. Ex quadruplici, scilicet ex multitudine emptorum, ex abundantia pecuniae; ex caritate mercium, et ex paucitate venditorum (1).

Q. Ex quotuplici capite potest diminui pretium ?

R. Etiam ex quadruplici, scilicet ex multitudine venditorum, ex abundantia mercium, ex caritate pecuniae, et ex penuria, sive paucitate emptorum. Less., Layman, aliique communiter.

Q. Quo pretio potest quis vendere, et quo potest quis emere, quando pretium est vulgare ?

R. Seclusa fraude, venditorem posse vendere usque ad supremum pretium, et emptorem posse emere usque ad infimum pretium, secus ambo peccant contra justitiam, et ad restitutionem tenentur ex justitiae commutativae laesione. Et sic intelligendum illud Pomponii in L. 16. D. de minorib. *In pretio emptionis, et venditionis naturaliter licere contrahentibus se circumvenire*, quatenus scilicet venditores, et emptores possunt se circumvenire infra latitudinem justi pretii, hoc est vel infimi, vel medii, vel supremi. Less., Layman, et vid. Covarruv. lib. 2. variar. cap. 3. n. 2.

Q. Num possit mercator, qui rem vendit pretio infimo, pretium reducere ad medium, vel supremum, occulta rei diminutione, minuendo scilicet mensuram ?

R. Minime, quia hoc esset contra conventionem, et proinde Proximum deciperet contra justitiam commutativam. Ita communiter, et D. Thom. 2. 2. q. 77. art. 1.

Q. Num res, quae sub hasta venditur, et per auctionem (vulgo all' incanto) *potest enim minoris, vel vendi pluris, quam valet?*

R. Maxime, modo absit fraus, et dolus, quia ibi merces incerto, et fortuito pretio subjiciuntur. Dixi *modo absit fraus, et dolus*, sive ex parte venditoris, si celet occultum vitium rei, aut si fictos licitatores immittat, qui se emptores fingant, ut pretium augeatur, sive ex parte emptoris, si vi, metu, fraude, minis impediat, ne alii plus offerant; sive ex parte aliorum, v. g. *Proxenetarum*, si exponunt res vendendas eo tempore, quo pauci emptores adsunt, ut merces amicis suis adjudicentur. Qui omnes tenentur ad illius pretii restitutionem, ad quod de se res licitata perveniret, sive teneatur illud restituere, donec perveniatur ad justum pretium, quia injuriam Proximo afferunt.

(1) Notandum quod praecise ob dilationem, aut solutionis anticipationem, non potest pretium augeri, nec minui interveniret alius titulus periculi aut damni, aut lucri cessantis, de quibus titulis semper monendus est emptor, ut dictum est n. 149. Et hic advertendum quod mercatores vendendo carius pecunia expectata, difficulter excusantur ob solum titulum lucri cessantis; quia vendendo dilata solutione, majorem mercium copiam distrahunt, et ita restauratur lucrum quod eis cessat ob dilationem. Potius excusare potest titulus communis existimationis, quae probabiliter reddit justum pretium hujusmodi venditionem dilatae solutionis, ut dicunt *Lugo, Less. Gano, Mol. Tolet. Sanch. Castrop. Ronac. et Salm.* quia in hujusmodi venditionibus adest major copia emptorum et minor numerus vendentium, et quia semper inest periculum commune amittendi sortem. Et idem dicunt de Emptoribus, qui anticipate solvendo pretium minus exhibent, quia in hujusmodi emptionibus adest copia vendentium, et inopia emptorum, et etiam aliquod periculum rem non habendi, aut saltem non habendi juxta optata. *Ex S. Ligorio loc. cit.* §. 178.

Digitized by Google

Q. Num res quae neque vulgare, neque legitimum pretium habent, possit venditor vendere, quanti vult, v. g. gemmam, avem ruram etc.

R. Minime, quia res non ideo tanti valet, quia tanti vult dominus vendere, adeoque vendere debet tanti, quanti valet arbitrio prudentum, spectata raritate, vetustate, Artificis notabilitate etc. Ita de Lug., Less.; Cajet. aliique.

Q. Num ille, qui res minutim vendit, possit carius aliquando vendere?

R. Maxime (moderate tamen), quia majores expensas, labores etc. subire debet ad earum conservationem, et venditionem. Ita communiter.

Q. An possit diminui pretium, quia quis emit multa simul ab eodem?

R. Maxime, quia tunc venditor liberatur multis curis, ut expeditus sit ad alia nova comparanda. Layman, aliique.

Q. Estne licitum pluris vendere rem unice ob dilatam solutionem, aut minoris emere ob anticipatam solutionem?

R. Minime, si excedatur ultra latitudinem justi pretii, quia in utroque casu haberetur mutuum implicitum, unde illud, quod acciperetur ultra debitum pretium, esset ratione mutui, et proinde usura, Cap. *Consuluit* de usur. Excipe tamen si concurrat lucrum cessans, et damnum emergens, et serventur debitae conditiones dicendae in cap. de usuris. Ita communiter.

Not. Quando anticipata solutione emitur, pretium statuendum est, non prout currit tempore, quo fit contractus, sed tempore, quo traderetur res, quia pretium debet esse simile, aut ejusdem justa mensura, prout valet tempore traditionis. Excipe si dubium sit, quod tempore traditionis pluris; vel minoris res fortasse valitura sit; tunc enim potest peti justum pretium ab emptore, quo celebratur contractus, cum emptor, et venditor aequali periculo subjiciantur, cap. 10. de usuris.

Q. An licitum sit emere minori pretio chirographa, et credita, quae post annum solvenda sunt?

R. Vel sunt litigiosa, dubia etc., et dico esse licitum, quia res cum tali periculo exigenda, semper minus valet; nam requiruntur expensae ad illam adquirendam, et multa subeunda erunt incommoda. Vel sunt certa, et facilia, et non habetur lucrum cessans, et damnum emergens mentis, et dico non esse licitum: quia non valet pluris pecunia praesens, quam absens, seu futura. Ita communiter.

Q. Num idem debitor possit minori pretio suum redimere debitum in posterum solvendum, secluso damno, aliove justo titulo?

R. Non posse sine labe usurae, quia ut patet diminueretur de justo pretio ratione anticipatae solutionis, quasi plus valeret pecunia praesens, quam futura; quod fuit damnatum ab Innocentio XI.

Q. Est licitum emere rem viliori pretio, quia res non est sibi utilis, sed incommoda ad emendum, vel emitur, quia sibi ultro offertur?

R. Maxime (moderate tamen), quia res ultroneae vilescunt pro tertia parte, quia signum est, quod habeatur paucitas emptorum, vel quod non sit sibi tam necessaria. Concina, aliique.

Q. Num adsit obligatio servandi pretium taxatum a Principe, quando res notabiliter est variata, quoad valorem?

Digitized by Google

R. Minime, hinc si Princeps constituerit pretium tritici tempore abundantiae, nec illud mutaverit, adveniente inopia, venditor non tenetur hoc pretium servare, quia non est credibile, Principem, posita notabili mutatione velle in eodem robore legem suam perseverare. Layman, aliique. Hoc verum est quando constat, Principem taxasse pretium ob abundantiam: aliter non licet usquedum Princeps non mutet pretium. Hinc in dubio standum taxato pretio.

Q. An Clerici teneantur servare pretia legitima mercium?

R. Maxime, quia etiam Clerici servare tenentur verum, et justum pretium, quod est pretium a Principe taxatum. Hinc peccant mortaliter Clerici, qui non servant pretia a Principe taxata in vendendis suis mercibus. Ita Salmantic., aliique.

Q. An emptor, qui fuit deceptus quoad pretium ab emptore actionem habeat contra emptorem decipientem, ut vel contractum rescindat, vel illud ad aequalitatem reddat?

R. Vel fuit deceptus ultra dimidium justi pretii, et dico habere actionem non solum in foro interno, sed etiam in exteriori foro, ut vel laesio sarciatur, vel rescindatur venditio, L. *Rem* 2. C. de rescind. vend., et cap. 3., et 6. de empt. et vendit. Hinc, si quis emat rem sex cum dimidio, quae ad minimum valet quatuor et decem cum dimidio, venditor habet actionem contra emptorem, ut, vel rescisso contractu, mercem restituat, vel justi pretii defectum suppleat. Vel fuit deceptus intra dimidium justi pretii, et dico habere actionem tantum in foro interno, argum. reg. 206. D. de Reg. ubi dicitur: *quod jure naturae aequum est, neminem cum alterius detrimento, et jactura fieri locupletiorem*, et concinit Reg. 48. Jur. VI, et ita communit., cum D. Thoma 2. 2. q. 77. art. 1. Hinc, si quis emat rem valentem decem, quinque, sex etc. iste tenetur in conscientia reducere contractum ad aequalitatem. Hinc tamen advertendum quod haec doctrina, quae data est pro deceptione in contractu emptionis, venditionis etc., locum etiam habeat in aliis onerosis contractibus, ut notant DD.

At si venditor rem malitiose vendidit, vel occultavit rei vitium, vel non manifestavit defectum, uti e. g. morbos animalium etc., ita ut in toto, vel notabiliter est inutilis ad finem ementis, adeo ut si emptor scivisset, non emisset, tunc emptor habet actionem *Redhibitoriam* contra venditorem ad redhibendam, idest iterum habendam, vel resumendam rem venditam, e contrario ad pretium, omniaque in pristinum restituenda, L. 23. §. *Julianus* et L. 6. et seq. D. de Ædilitio edict. Vel habet actionem aestimatoriam, *seu quanti minoris*, ut tantum restituatur emptori, quanto minoris emisset, si vitium, vel morbum scivisset, L. 18., et L. 31. D. eod. tit.

§. III. *De mercium vitio*

Q. Quid est vitium mercis, et quotuplex?

R. Est quicumque defectus, qui minuit, aut tollit consensum contrahentium. Multiplex est, scilicet quoad substantiam, et quoad qualitatem, occultum, et manifestum, damnosum, et non damnosum. *Quoad substantiam*, si scilicet vitium tale sit, ut mercis substantia videatur mutata, ut acetum ex vino. *Quoad qualitatem*, si vitium, qualitatem mercis deteriorem efficiat. *Occultum*, quando vitium non apparet. *Manifestum*, quando

Digitized by Google

apparet. *Damnosum*, quando contrahenti aliquod damnum affert. *Non damnosum*, quando contrahenti nullum damnum infert.

Q. An licitum sit vendere res defectuosas, vel mixtas, e. g. calceos ex debiliori corio factos, vel vinum aqua mixtum?

R. Licitum est, dummodo defectus, vel mixtura non sit emptori noxia, vel inutilis inde non fiat res empta, et pretium sit justum, habita proportione defectus, vel mixturae, hoc est diminuatur pro ratione mixtionis, vel defectus, quia tali modo nulla habetur violatio justitiae. Si aliter se res habeat, illicitum est contra justitiam commutativam. Antoine, Stampo.

Q. Num venditor teneatur manifestare emptori vitium rei?

R. Si vitium est manifestum non tenetur, semper ac vendat rem justo pretio, habita ratione defectus, nam sibi imputet emptor, si ad vitium non advertat. Excipe, si non advertat ex imperitia, vel ex inadvertentia; nam tunc relate ad istum emptorem vitium dicitur occultum. Ita communiter. Quod si vitium per se est occultum, et interrogatur venditor de vitio rei ab emptore, et tunc venditor tenetur manifestare illud sive damnosum sit, sive non; nam aliter committitur dolus dans causam contractui, et ad omnia damna restituenda tenetur emptori. Antoine, Less., et communit. DD.

Si vero non est interrogatus, et vitium est damnosum emptori, tenetur etiam manifestare, quia aliter habetur deceptio, et proinde tenetur ad omnia damna, quae inde sequuntur. Ita communiter, et argum. L. *Labeo* 1. §. *Proinde* D. ad. aedilit. edict. . Tandem si non est interrogatus, et vitium non est damnosum, non tenetur vitium manifestare, modo res vendatur justo pretio, habito respectu ad vitium, quia tunc nulla fit emptori injuria. Antoine., Salmantic. aliique.

Q. Quam actionem habet, qui rem vitiosam ignoranter emit?

R. Si ignorantia dederit causam contractui, petere potest rescissionem contractus, vel restitutionem pretii superflui: item omnium damnorum compensationem, et lucri cessantis, L. *Julianus* D. de act. empti. Si vero ignorantia incidat in contractum, quatenus, si emptor scivisset vitium etiam emisset, et tunc emptor solum petere potest restitutionem pretii superflui. Quod si venditor quoque ignoraverit vitium rei invincibiliter, non tenetur ad damna, quae proveniunt ex venditione rei vitiosae, nam quae culpa carent, in damnum revocari non convenit ex Regul. Jur. *Concinunt.* art. 1488. et seq. Noviss. Cod.

CAPUT II.

De Monopolio

Q. Quid est Monopolium?

R. Est quando unus, vel plures mercatores inter se propria auctoritate conveniunt, ut coemendo merces certi generis, eas carius divendant, efficiendo in praejudicium Reipublicae, ut vix alibi inveniri possint.

Q. Quotuplici modo potest fieri monopolium?

R. Multiplici modo. I. Quando mercatores conspirant inter se de non emenda, vel vendenda re, nisi tali pretio. II. Quando duo, vel plures mercatores emunt omnes merces alicujus speciei, et proinde inopiam ejus indu-

Digitized by Google

cunt, ut ipsi soli vendant eo pretio, quo volunt. III Quando duo, vel plures mercatores impediunt ne merces advehantur alicujus speciei, ut ipsi vendant suas pretio majori. IV. Quando quis obtinet privilegium a legitimo Superiore, ut ipse solus aliquod genus mercium vendat.

Q. Monopolium esne licitum?

R. Primum, et secundum esse illicitum, quia adest detrimentum Reipublicae, etiamsi conspirent mercatores de vendenda re pretio supremo, vel medio, aut de emenda re pretio infimo, vel medio; quia per hujusmodi monopolia laeditur libertas ceterorum venditorum, et emptorum, nam emptores emere possunt pretio infimo, et venditores vendere possunt pretio supremo, quod eis interdicitur per monopolium. Antoine, Layman.

Quod attinet ad tertium monopolium, dico, quod si impediant vi, vel fraude, ne aliae merces ejusdem generis afferantur, illicitum est, quia sunt injusta causa damni. Si vero sine fraude, vel dolo, sed solum honestis rationibus, et tunc tale monopolium non est contra justitiam, quia non faciunt aliis injuriam; nam preces, et verba honesta non tollunt voluntarium: attamen videtur esse contra caritatem Proximi, quia ut ipsi lucrum faciant, parum curant ceterorum detrimentum, et proinde etiam illicitum. Concina, Cunil.

Q. An ultimum monopolium sit licitum?

R. Maxime, modo justum pretium a Principe taxetur in rebus necessariis, vel a viris prudentibus, et modo fuit impetratum justa de causa privilegium, quia potest fieri, ut hoc expediat Reipublicae, et nulli fiat injuria.

Q. Quid si venditores fecerunt monopolium de vendenda re pretio supremo, licet ne emptoribus etiam inter se conspirare de non emenda eadem re, nisi pretio infimo?

R. Illicitum est, quia monopolium monopolio non depellitur, ut contractus ad aequalitatem reducatur; nam adest publica potestas, quae interpellari potest, ut reducat ad aequalitatem.

Q. Facto monopolio de pretio injusto a mercatoribus, potestne alius mercator, qui monopolii particeps non fuit, merces eodem pretio vendere, aeque ac si in eodem monopolio et ipse communicaret?

R. Minime, quia semper venderet, vel emeret injusto pretio, et in idem monopolium facto ipso communicaret. Concina aliique.

Q. Quid dicendum est, si conveniant de vendenda re pretio rigoroso, puta supremo?

R. Est litigium inter Doctores, nam aliqui tenent eos peccare contra caritatem, quia sunt causa penuriam inducendi in Civitatem. Alii vero tenent eos peccare contra justitiam, quia laeditur jus civium emendi infimo, vel medio pretio. Haec sane posterior opinio est probabilior, et in praxi sectanda. Quinimo illicitum hujusmodi monopolium, patet ex L. unic. C. de monopol., ubi prohibetur monopolium sub poena privationis omnium bonorum, et exilii perpetui (1).

(1) Prohibitum est *Monopolium* cum his duobus sequentibus modis fit. 1. Quando quis impedit quominus aliae merces in regionem introducantur, ut ipse solus vendat suas cum civium damno. 2. Quando unus, aut plures emunt omnes merces, ut eas vendant pluris pretio supremo, quam in foro venderentur, nisi Monopolium

Digitized by Google

CAPUT III.

De Negotiatione

Q. Quid est negotiatio, et quotuplex?

R. Est emptio rei cum intentione illam vendendi, aliove modo distrahendi causa lucrandi. Duplex est, *propria, et impropria.* Prima est illa, qua quis rem aliquam emit eo animo, ut integram, et immutatam vendendo lucretur. Secunda est illa, qua quis rem aliquam emit eo animo, ut meliorem effectam vendendo lucretur; uti si ex lana empta panni conficiantur, et majori pretio vendantur.

Q. An licita sit negotiatio propria?

R. Per se non esse malam, tum quia eadem merx potest emi infimo pretio, et vendi supremo, tum quia mercium pretium pro temporum, ac locorum varietate mutatur, et lucrum quaerere, ac captare ob honestum finem, puta ad sui, suaeque familiae substentationem est per se licitum. Layman, ahique, et D. Thomas 2. 2. q. 77. art. 4. in corp.

Dixi *per se non esse malam*, quia per accidens potest esse mala, tum quia ob hominum cupiditatem, et malitiam saepe salutis periculum affert, tum quia animum temporalibus curis implicatum a rebus coelestibus avocat, tum quia mendaciis, et fraudibus occasionem ministrat. Hinc illicita negotiatio dici potest, vel ratione effectus, aut finis, quia nempe distrahit a coelestibus rebus, aut quia finis ultimus constituitur in lucro quaesito; vel ratione personae, si ipsis negotiatio prohibeatur, sicut est negotiatio Clericis, et Religiosis severe interdicta, Cap. *Secundum* 6. Ne Clerici, vel Monachi, sive per se negotiatio exerceatur, sive per alium, tradendo scilicet alteri pecuniam, ut negotietur, et lucrum dividatur.

Q. Quinam veniunt sub nomine Clericorum, et Religiosorum?

R. Venire illos sub nomine Clericorum, qui sunt in sacris constituti, et etiam in minoribus si sint beneficiati. Nomine Religiosorum venire omnes Religiosos, etiam nullo ordine insignitos, exceptis novitiis, uti monet De Lugo, et alii.

Q. Quaenam poenae statutae sunt a Jure contra Clericos exercentes negotiationem propriam?

R. Excommunicationem, et suspensionem ferendae sententiae, quas, et alias poenas innovavit Tridentinum Sess. 22. cap. 1. de reformat. Similiter perseverantes in negotiationis exercitio post tertiam monitionem, inci-

factum fuisset. Caeterum si quis aut plures emunt merces, postquam cives jam sufficienter sibi comparaverunt, ut eas vendant lucro aliquo moderato, hoc utique licitum est, ut communiter docent DD. Et probabiliter dicunt *Lugo, Med. Less. et Holzm.*, quod hujusmodi mercatores non peccarent contra justitiam si venderent pretio supremo, et ne contra caritatem quidem, modo non inducerent alios ad vendendum carius. Unde fit quod si inter se conspirarent de non vendendo, nisi supremo pretio, licet probabile sit cum *Less. Viva, Lugo, Holzm. Molin. Bonac. Salmant. etc.* (contra *Tournel, Spor, etc.*) non peccare contra justitiam nihilominus non possunt excusari a peccato gravi contra caritatem, ut certum est apud omnes. *Ex S. Ligorio loc. cit. §. 183.*

Digitized by Google

dere in amissionem privilegii clericalis immunitatis, Cap. *Ex litteris* ult. de vit., et honest. Cleric. Imo privilegio etiam Canonis expoliantur; qui abiectis vestibus Clericalibus turpia lucra sectantur, et negotiis saecularibus se immiscent, si tertio muniti ab Episcopo non desistant, Cap. *Contingit* 45. de sentent. excomm. Lucrum tamen perceptum ex negotiatione non tenetur restituere, quia licet peccant graviter contra praedictas prohibitiones, cum justae sint de re gravissima; non peccant tamen contra justitiam, nec in illa fiunt inhabiles ad dominium lucri capiendum.

Q. An dentur casus, in quibus Clerici non peccant ob exercitium negotiationis propriae?

R. Maxime, et I. est, quando bis, vel ter exercent, secluso scandalo, et modo negotiatio non sit nimis turpis, vel in magna quantitate, quia jura loquuntur de Clerico exercente negotiationem, vel ei insistente, et negotiatione victum comparante. II. Quando exercent ob urgentem necessitatem familiae, , pupilli, viduae, aut personae miserabilis; nam Ecclesiae leges non obligant occurrente ista necessitate. Requiritur tamen Apostolicae sedis dispensatio, aut saltem Ordinarii in locis extra Italiam, ut eximatur tum a culpa, tum a Canonicis poenis. Vide epist. Encycl. Clem. XIII. editam ann. 1759.

Q. Num licitum sit eis emere jumenta causa ea locandi, et lucrandi?

R. Minime, quia videtur esse quaedam negotiatio, ita etiam non possunt conducere aliena praedia, vel similes res fructiferas clerici aut Religiosi, ut fructus vendant, et ita quaestum faciant. Layman, aliique. Hinc advertendum, quod sit licitum illis. I. Expressum vinum ex propriis vineis, sicuti et empta pecora in propriis praediis enutrita vendere. II. Praedia, ac jumenta propria locare III. Aliquam materiam ab ipsis emptam, et proprio manuum labore elaboratam divendere, exemplo Apostolorum, Actorum 18., et Monachorum veterum.

Not: Plura sunt advertenda; quae continentur in Bulla Benedicti XIV. contra Clericos negotiantes, edita Romae die 25, Februarii anni 1741, quae incipit *Apostolicae servitutis*. I. Haec bulla confirmat constitutiones omnes Apostolicas, omnesque poenas in iis contentas contra clericos illicite negotiantes. II. Dictas constitutiones, et poenas expresse extendit etiam ad Clericos illos, qui non suo, sed alieno laici nomine illicitam negotiationem quomodocumque exercent, aut per alios, licet non per se ipsos, sed per interpositas personas illicitis vacent negotiationibus. III. Item bona illicite adquisita per negotiationem alieno laici nomine exercitam inevitabili spolii poena subjecta declarat ad formam constitutionis Pii V., quae incipit *Decens esse*. IV. Negotia Clericis illicita, si a laicis fuerint inchoata, atque prius exercita, et ad Clericos deinde quocumque titulo delata, statim ab ipsis sunt dimittenda, quod si statim dimitti nequeant sine temporali Clerici detrimento, permittitur continuatio, sed ad tempus dumtaxat et per interpositam laici personam, ac de licentia S. Congregationis. V. In hoc casu si Clericus, vel sine dicta licentia, vel cum hac quidem, sed ultra tempus praescriptum, vel intra hoc tempus quidem per seipsum, non per laici personam haec negotia ministravit, subjicitur omnibus praefatis poenis, etiam spolii. His adde laudatam epistolam Clement. XIII., in qua declaratum fuit, ac definitum Cambium activum natura sua esse actum verae, ac

Digitized by Google

propriae negotiationis, ac proinde illum exercentes obnoxios esse omnibus ecclesiasticis poenis adversus Clericos negotiatores latis.

CAPUT IV.

De Societate

Q. Quid est Societas ?

R. Est contractus de re, vel opera communicanda ad commune lucrum, et quaestum. Quae dupliciter considerari potest, vel inter duos, quorum unus ponit industriam, et alter sortem, puta pecuniam, frumentum, animalia, navim, vel aliud hujusmodi, vel ambo ponunt sortem, et industriam.

Q. Num in finem societatis ante omnia restituendum sit capitale domino pecuniae, si in ipsa societate unus contulerit pecuniam, et alter industriam ?

R. Maxime, quia pecunia collocata in societate, minime fit communis quoad dominium et proprietatem, sed quoad usum, et commoditatem. Unde sicut si perit, domino apponenti perit, sic et si supersit, eidem restituenda sit.

Q. An Contractus societatis sit licitus ?

R. Maxime, habitis conditionibus, uti patet, tum ex Jure Canonico, Cap. *Per vestras litteras* 7. de donat. inter vir. et uxor: tum ex Jure Civili lit. pro socio D., et tum ex communi Doctorum sententia.

Q. Quaenam conditiones requiruntur in societate ?

R. Plures I. Quod sit de re licita, et honesta: nam aliter non obligaret, et esset societas nulla, L. *Nec praemittendum* 58. D. Pro socio. II. Ut singuli socii conferant aliquid in commune, scilicet, vel pecuniam, vel industriam ad revera negotiandum, L. 5. et 6. D. eod tit. III. Ut servetur aequalitas in lucro, ut in damno, juxta proportionem rei, vel industriae in societatem appositae, ita ut quo quis plus posuit pecuniae, vel industriae, plus habeat de lucro, L. *Si non fuerint* 29. D. eod. tit. IV. Ut periculum sortis sit apud apponentem sortem dict. L. *Si non fuerint* 29. et L. *Depositum.* 1. §. 6. D. deposit., et §. 2. Instit. tit. de societat. V. Ut serventur pacta juste apposita, quia fides data servanda est. Concina, Antoine. (1).

Q. Quomodo perficitur iste contractus ?

R. Mutuo consensu, et ideo dicitur conventio, hinc potest fieri etiam inter absentes, et absque scriptura. Molina (2).

Q. An possit apponi pactum in societate de casu fortuito, hoc est pacisci, ut si pereat pecunia, pereat apponenti industriam; et lucrum, si sit, pro medietate dividatur ?

(1) Jure novissimo Cod. LL. Civ. Societas est contractus, quo inter duo, vel plures res communicantur, lucri in commune faciendi caussa: art. 1704. Hinc merito *consortium voluntarium* eum dixere Veteres (*L. 2. §. 2. ff. pr. soc.*): in scripturam vero stipulatio isthaec redigi debet, si duc. 50. excedat: art. 1706.

(2) Societas, in qua unus sibi omne lucrum stipulatur, alteri omne damnum relinquitur, ut ratio ipsa suadet, est irrita: art. 1727: item in hujusmodi contractu conveniri nequit, ut si pereant nomina, et praedia ab uno, pluribusve sociis tradita, nihil alii tribuant: art. cit. 1727.

Digitized by Google

R. Minime, quia non servaretur aequalitas, et esset contractus *ad caput salvum*, ideoque usurarius. Contractus ad caput salvum est ille, quo quis dat sortem alicui, cum pacto dividendi lucrum, sorte *seu capite* semper salvo, quamvis amissa sit.

Not. Contractus ad caput salvum existimatur. I. Si oves aestimatae tradantur alteri, earumque pretium, vel ex fructibus, vel ex venditione ovium extrahat primo dans, reliqua vero emolumenta ipsi cum recipiente sint communia. Qui contractus tanquam injustus reprobatur a D. Antonin., Sylv., aliisque. II. Si pastori tradantur animalia cum pacto reddendi ea salva in eodem numero in fine societatis, et dividendi lucrum, qui contractus reprobatur, quia animalia, quae pastori socio dantur, si pereant sine pastoris culpa, domino apponenti perire debent, et quia etiam non servaretur aequalitas, nam periculum esset unius, et lucrum est commune, et aequale. Vid. Synod. Mediolan. a S. Carolo celebratam an. 1565; ubi hic contractus reprobatur, tanquam illicitus. III. Si Titius tradat pastori decem vaccas aestimatas cum tali pacto, quod liceat pastori eas distrahere, et absumere arbitratu suo, post triennium vero quandocumque Titius petat similes vaccas, earumque aestimationem, reddere cogatur pastor, et interea quotannis pensionem ipsis solvere. Qui contractus usurarius est, quia perinde est, ac si Titius pastori vaccas venderet; et pretium numeraudum crederet, et mutuo daret ad triennium; interim pensionem ex credito recipiens.

Q. Num contractui societatis animalium apponi possit pactum assecurationis, minorem exigendo portionem pro tali pacto, v. g. do tibi centum vaccas pascendas ea lege, ut pro pereuntibus substituere tenearis alias vaccas, et pro tali pacto, et onere modicam pensionem solvas, v. g. tres vitulos?

R. S. Antonin. cum aliis tanquam usurarium illud damnat, quia hic contractus perinde est, ac si quis mutuas daret pecunias cum pacto, ut sorte semper salva, aliquid sibi detur, in quo societatis contractu sic inito palliaretur usura, licet alii defendant eumdem contractum tanquam licitum: verum minus solide, ac recte (1).

Q. An detur casus, in quo sors perit socio apponenti industriam?

R. Maxime, et est, quando perit culpa apponentis industriam, si vero sine ulla culpa sociorum sors pereat, damnum censetur commune, posito, quod sors fuerit communis. Ita communiter. Praeterea si nulla intervenien-te culpa unius Sociorum causa negotiorum societatis damnum aliquod ob-

(1) Injusta est societas pecudum cum pacto quod dicitur ad caput salvum, nempe, ut absoluta societate prius restituantur pecora in eodem numero, et valore, licet illa sint mortua, aut deteriora facta, deinde reliqua dividantur; hic contractus est injustus, quia damnum sortis (ut dictum est) totum domini est, nihil Custodis. Et ita etiam dicimus cum *Tamb. Silv. Angelo* etc. (contra *Azor. Ronc.* etc.) non licere (ex se loquendo) pactum durante societate, sufficiendi partus in locum armentorum quae moriuntur, quia partus uti fructus societatis non debent substitui, sed dividi; unde tale pactum redundaret in Custodis damnum. Advertendum tamen hic deficientibus pecoribus, custodis interierit probare quod illa sine sua culpa perierint, ut notat *Pontas., Tourn.* etc. *ex L. Cum duabus, 52. §. Damno ff. Pro socio, Ex S. Ligorio Homo apostol. Tract. X. Punct. X. §. 226.*

Digitized by Google

venerit, illud censebitur commune inter socios, et uterque pro sua rata sentire illud debet, uti patet ex L. *Cum duobus* 52. §. 4. D. pro socio, uti mox fusius explicabimus. Hic sciendum, quod hic contractus, cum sit in favorem utriusque, obligat de culpa lata, et levi, seu obligat adhibere illam diligentiam, quam adhiberet persona diligentior §. *Socius* 9. Instit. tit. de societat. L. 28. et 27. D. pro socio, L. 5. q. 2. D. commodati, et L. 23. de Reg. Jur.

Q. Ad quem spectat damnum uni ex sociis, causa societatis secutum?

R. Vel hoc damnum evenit ex societate, tanquam ex causa proxima, ut si socius causa defendendi merces vulneretur, vel si aliquid de suo expendit ad merces vehendas, custodiendas etc., vel causa itineris, vel si in latrones incidit, a quibus rebus suis, ac pecuniis fuit expoliatus, et dico esse commune hujusmodi damnum, quia sicuti lucrum proveniens ex ea est commune, ita et damnum, laud. L. *Cum duobus* 52. §. 24. Vel evenit ex societate tanquam ex causa remota, uti exercens negotiationem in via vulneretur ab inimico, et dico non esse commune, sed tantum ipsius vulnerati, quia non est damnum ex societate, neque censentur socii in illud consensisse. Lessius, Layman, aliique (1).

Q. Num socius teneatur ex pecunia propria facere impensas ad mercium conservationem etc. dato, quod non suppetat pecunia societatis?

R. Maxime, quia alioquin merces non sine culpa socii periisse censebuntur, si eas, vel mutuo petitis, vel ex propria substantia suppeditatis sumptibus conservare potuisset, quae tamen pecunia detrahi debet in fine societatis cum interessurio, si passus est socius.

Q. Potest ne socius inita societate cum uno, aliam inire societatem cum alio diversam?

R. Sine damno prioris societatis potest, alias non potest, et si facit aliam societatem, peccat, et ad restitutionem tenetur quia esset causa damni alterius socii. Cuniliati, Concina.

Q. Qui non possunt inire societatem?

R. Illi, qui impediuntur a Jure, vel bona non habent. Hinc 1. filius, nisi sit pubes, et bonis castrensibus, vel quasi, non potest inire societatem. 2. Medicus cum infirmo durante infirmitate. 3 Advocatus cum cliente durante lite. 4. Tutor cum pupillo, et minor cum curatore. Vid. Voet ad tit. pro socio Pandectarum. Vide etiam Jus neapolitanum de filiisfamilias, ut supra.

Q. Quomodo facienda est divisio lucri in societate?

R. Facienda est pro aequalitate, habita tamen ratione ad illud, quod quisque attulit in societate, quia sic postulat hujus justitia contractus, qui in aequalitate fundatur; hinc si quis majorem partem posuit, vel sortis, vel industriae, pro aequalitate debet accipere majus lucrum. Concina, aliique communiter (2).

(1) In societate ineunda si dumtaxat rerum usufructus communicetur, quae usu non consumuntur, harum periculum illi sentiunt, in quorum dominio res extant: atvero sancitum quod si res fungibiles tradantur vel caussa venditionis, vel in societatem communicentur, jam aestimatae in Inventario, tunc earum periculum ad socios transit: art. 1723. Cod. LL. Civ.

(2) Si partes lucri, et damni in contractu sociali expressae non fuerint, cautum illas aequales fieri pro rata ejus, quod quisque contulit; qui autem suam operam

Digitized by Google

Q. Qui ponit pecuniam tantum in societate, quomodo potest accipere lucrum, si pecunia ex se est sterilis?

R. Lucrum accipit, quia exponit periculo sortem, seu pecuniam suam, quae fit instrumentum societatis, a qua provenit lucrum.

Q. Liceine contractui societati adnectere contractum emptionis lucri incerti majoris, pro lucro certo minori?

R. Maxime, quia est novus contractus, habitis tamen hisce conditionibus. I. Ut periculum lucrandi, et perdendi sit ex utraque parte. II. Ut ematur minori pretio. III. Et, ut periculum sortis remaneat penes apponentem sortem.

Q. Quotuplici modo finitur societatis contractus?

R. Multiplici modo, scilicet ex personis, ex rebus, ex voluntate, et ex actione, L. *Verum est* 63. §. 10. D. pro socio, ibi: *Societas solvitur ex personis, ex rebus, ex voluntate, ex actione, ideoque sive homines, sive res, sive voluntas, sive actio interierit, distrahi videtur societas.*

Ex *personis* dissolvitur societas per mortem naturalem unius socii, quamvis societas cum pluribus contracta fuerit, et plures supersint, L. 4., et L. 63. §. 10. D. pro socio, nam haeredes defuncti socii non succedunt in locum ejus, nisi novo consensu ineatur societas, L. 35. et L. 37. D. eod. tit. Et istud Doctores extendunt etiam ad mortem civilem alicujus socii, argum. cit. text., et §. *Minor* 2. Instit. tit. de capit. diminut.

Ex *rebus* dissolvitur societas, quando sors capitalis periit in totum, vel conditionem mutavit, ita ut non amplius sit in hominum commercio, L. *Verum* 64. §. 10. D. pro socio.

Ex *voluntate* dissolvitur per renuntiationem, dict. L. *Verum* §. 10. Advertendum tamen, quod hoc intelligitur per renuntiationem, seu mutuum consensum sociorum omnium; nam si unus dumtaxat renuntiet, ipse quidem a se liberavit socios suos, se vero non liberabit ab ipsis, quando ipsius societatis interfuit non dirimi tunc societatem, L. *Actione* 65. §. 3. D. pro socio, et §. *Manet* 4. Instit. tit. de societ.

Ex *actione* dissolvitur societas, Judicis judicio, et auctoritate, hoc est, quando excitata inter socios controversia per judicem dirimitur per contractus dissolutionem, dict. L. 65. pr. D. eod. tit. Porro societas dissolvitur publicatione bonorum, §. *Publicatione* 7. Instit. tit. de societ., cessione bonorum, cum quis aere alieno, et egestate oppressus bonis suis cedet §. *Idem si quis* 8. Instit. eod. tit.

Q. An contractus Trinus, seu trium contractuum sit licitus?

Ante resp. not., quod contractus iste est ille, in quo habetur contractus societatis, assecurationis sortis, et venditionis lucri sperati v. g. Petrus init contractum societatis cum Paulo negotiatore, apud quem centum aureos deponit, ut ipso ponente pecuniam, et Paulo industriam, uterque lucretur;

praestitit, lucrum recipiet illi socio aequale, qui minorem partem in societatem communicavit: art. 1725. Si vero in arbitrium boni viri lucri partes definiendas reliquerint socii, tunc hujus sententiae ipsi parere debent, dummodo ea evidenter aequitati non repugnet: quo casu sociis intra trimestre appellandi jus est: art 1726. Postremo sancitum quod leges omnes, quae hereditatis divisionem judicialem ritum, obligationesque inter coheredes inde exortas respiciunt, bonorum distributionem quoque inter socios regant: art. 1744.

*

Digitized by Google

ex quo quia sperat lucrum triginta se reportaturum init alium contractum assecurationis, et pro assecuratione dat Paulo decem, et, ut lucrum sit certum sibi, init alium contractum, quo vendit illi viginti incerta, quae sperat pro duodecim certis, sic salvo capitali, et nulli periculo exposito, ob triplicem contractum fit, quod certo recipiat duodecim supra sortem, hoc notato:

R. Est dissidium inter Doctores, nam aliqui tenent esse licitum, habitis conditionibus, quarum I. Est, quod accipiens pecuniam obligetur cum ea ad negotium. II. Quod lucrum certum sit adeo moderatum, ut attento capitali, quod confertur, et spe lucri majoris omnia contractus onera compensentur. III. Ut talis contractus assecurationis capitalis fiat ad instantiam alterius socii ponentis industriam. Ita Layman, de Lugo, Lessius, Molina, aliique cum Salmant.

Alii vero tenent esse licitum cum diversis personis, quia revera in casu apponens sortem subest periculo perdendi, et lucrandi, non esse vero licitum cum eadem persona, quia per assecurationem finitur societas, ac destruitur, quae postulat inter socios, ut omnino habeatur communio damni, ac lucri. Quare destructo per triplicem pactionem societatis contractu, si apponens sortem aliquid accipiat, ex mutuo accipit. D. Antonin., D. Bernardin. His etiam adde Bullam Xysti V., quae incipit *Detestabilis*, per quam hujusmodi contractus reprobatur, damnatur, ac severissime prohibetur. Hic nostra sententia cum cordatioribus Theologis non est licitus, utpote usurarius (1).

CAPUT V.

De Census contractu

Q. Quid est census, et quotuplex?

R. Est jus percipiendi annuam, vel menstruam pensionem ex aliena re immobili, et fructifera, cum pacto redimendi quandocumque favore ven-

(1) Hic agitatur illa celebris quaestio, an liceat exigere lucrum certum, salvo capitali, mediis *tribus contractibus*, nempe societatis, assecurationis sortis, et assecurationis lucri; contra qui confert pecuniam cedere debebit, majori lucri parti, quod sibi probabiliter contingeret praecisis praefatis assecurationibus. Multi DD. ut *Herbes*, *Concina*, *Habert*. *Tourn*. etc. negant, quia (uti dicunt) talis conventio, posita sortis atque lucri assecurationis non esset amplius societas, quae de natura sua cum ea sit ut dans pecuniam periculo subjaceret, transiret in mutuum, unde non potest exigi lucrum. Sed alii communius admittunt, ut *Navar*. *Tolet*. *Less*. *Lugo*, *Castrop*. *Bon*. *Ronc*. *Salm*. etc. dicentes quod illi tres contractus si separarim inirentur, jam essent justi, et ita volunt etiam, cum fiunt eodem. Nec est verum, subiunguntur, quod talis contractus transeat in mutuum, quia qui accipit mutuum potest suo libitu pecuniam impendere; sed hic socius omnino debet in negotiationem eam impendere, quapropter essentialiter mutatur natura mutui. Et sciendum quod hic trinus contractus approbatus fuit a facultatibus Theologicis Coloniensi, Trevivensi, Salmaticensi, Moguntinensi, et aliis ut refert quidam liber typis editus Parisiis 1746 cum titulo: *Exam. Theol. sur la societé pre a rente*. Dicerem tamen ut hic contractus nunquam fieret Theologorum consilio non praecedente. *Ex S. Ligorio homo Apostol. Tract. X. Punct. X. §. 227.*

Digitized by Google

ditoris, quod restituta pecunia extinguitur. Census dividitur in reservativum, et consignativum. *Reservativus* est, quo quis transfert rem suam in alterum quoad dominium directum, et utile, servata sibi pensione annua super eadem re. *Consignativus* est illud quod in census definitione explicatum est.

Q. Quomodo dividitur census consignativus?

R. Dividitur I. in *realem*, et *personalem*. Primus est ille, qui fundatur, seu constituitur super re aliqua fructifera, cui adhaeret, et qua pereunte, census perit. Secundus est ille, qui fundatur super certa persona obligante, se ad annuam pensionem ex industria, arte, opificio, vel labore suo solvendam.

Dividitur II. in *perpetuum*, *temporalem*, et *vitalitium*. Primus est ille, quo pensio stante contractu, ceterisque salvis, semper solvenda est, ideoque etiam ad heredes censuarii, et censualistae transit. Secundus est, quo pensio solvenda est solummodo ad tempus aliquod in contractu conventum. Tertius est ille, qui fit ad vitam, ita ut tamdiu perduret, quamdiu censualista vivit.

Census perpetuus dividitur in *redimibilem*, et *irredimibilem*. Primus est, qui restituto per venditorem pretio potest redimi. Secundus est ille, qui amplius redimi nequit.

Q. Quinam dicitur censualista, et quinam censuarius?

R. Censualista dicitur ille, qui pecunia emit jus percipiendi annuam pensionem ex re alterius. Censuarius vero dicitur ille, qui accepta certa pecuniae quantitate, se obligat ad solvendam certam pensionem ex re propria.

Q. Contractus census estne licitus?

R. Census reservativus est licitus, quia quisque potest in alium transferre rem suam sive gratis, sive cum aliquo onere, ac proinde sub onere solvendi annuam pensionem. Census vero consignativus, si sit fructuarius, etiam est licitus, quia potest quis licite emere, vel omnes fructus alicujus fundi, vel partem, si vero sit pecuniarius, licitus est habitis conditionibus.

Q. Quaenam conditiones requiruntur ex natura contractus, ut census pecuniarius sit licitus?

R. Haec requiruntur I. Ut adsit vera intentio emendi, et vendendi. II. Ut apponens censum liberam rei censitae administrationem habeat III. Ut fundetur census in re fructifera. IV. Ut ematur justo pretio. V. Ut si res censita pereat in parte, vel in toto, aequaliter pereat census.

Ut autem census sit licitus, et justus Jure Canonico plures aliae conditiones requiruntur, ut videre est in Constitutione Martini V. in cap. *regimini*, edita 1414, relata in Extravag. 1. de empt., et vendit. inter commun., et in Constitutione Callixti III. incip. *Regimini*, edita 1455., et etiam relata in Extravag. 2. eod tit., et in Constitutione S. Pii V. incip. *Cum onus Apostolicae servitutis*, edita 1569., et in Constitutione Nicolai V. incip. *Sollicitudo pastoralis*, quae instante Alphonso I. Aragonio emanata fuit in Regno Neapolitano. In Regno nostro Bulla Nicolai V., petente Alphonso Rege edita, recepta est, et inserta corpori Pragmaticorum, sub. Pragm. 1. *de censib.*, et secundum eam in Regno nostro regitur census consignativus, unde dictus *Bullaris*. Aliae constitutiones non sunt receptae

Digitized by Google

apud nos, saltem in iis, quae non conveniunt cum Nicolai Bulla, collect. Reg. Diplomat. part. II. ut. 126. Diplom. 2. tom. IV. Vid. Fimian. in elem. jur. Reg. Neapolit.

Q. Quaenam igitur conditiones requiruntur in censu juxta Bullam Nicolai V.?

R. Hae requiruntur. I. ut census constituatur in re immobili, vel quae pro immobili habetur, uti sunt pistrina, jurisdictiones etc. II. Ut res immobilis vel quasi immobilis sit fructifera, nam aliter esset mutuum cum usura, quia deficeret res empta, idest fructus, ex quo redditus percipi debet III. Ut apponatur pactum *de redimenda quandocumque* favore venditoris, seu *de retrovendendo*, ideoque non licet pacisci, ut census arbitrio emptoris, vel intra certum tempus redimatur. IV. Ut res censui obnoxia sit certa, et secerni ab aliis possit, sive id definitis praedii finibus, sive alio modo fiat. V. Ut pecunia pro pretio solvatur coram Notario, aut publica solutae pecuniae fides exhibeatur, aut saltem cum liquido credito compenseatur. VI Ut nonnisi decem aurei in singulos centenos quotannis a venditore solvantur. Si census Bullaris his instructus sit conditionibus, nullam usurae labem continet.

Q. Num census personalis, sive irredimibilis sive redimibilis ex parte solius venditoris sit licitus?

R. Spectato Jure Naturae, juxta Layman, pluresque alios Doctores esse licitum, nam meno negat, quod supra industriam personae constitui possit obligatio solvendi partem aliquam lucrorum annuorum, uti constituuntur decimae personales, Cap. *Pastoralis* 28 *de decim.*

Dixi *spectato Jure Naturae*, quia si respiciamus jus positivum, hoc videtur prohibitum ex Constitutione Pii V., imo et Nicolai V. qui exigit, ut census fundetur super re certa, unde excludit personam, quae non venit sub nomine rei. Ergo etc.

Q. An possit apponi pactum de casu fortuito in contractu census?

R. Minime, ita ut pactum, quo venditor obligatur ad solvendum censum, si res subjecta censui pereat, sit nullum; nam Censuarius ex natura contractus non tenetur de casu fortuito, sed pereunte re censita, in totum, vel in partem, perit etiam census ad ratam.

Q. Potestne apponi pactum in censu, ut si res censita pereat in parte, vel in toto, semper eadem pensio solvatur?

R. Regulariter loquendo non potest, quia non adest justitia contractus. Dixi *regulariter*, quia si minuatur pretium, potest emptor tale pactum apponere, quia habetur, uti contractus assecurationis.

Q. An vitalitius sit licitus, et validus?

R. Juxta communem Doctorum sententiam esse licitum, et validum; ita ut possit quis emere jus certae pensionis sibi solvendae, donec vixerit, concurrente tamen justo pretio. Ratio est, quia tam Censuarius, quam Censualista subit periculum aeque lucrandi, et perdendi. In Regno nostro probatur census vitalitius, modo pecunia detur ea lege, ut mortuo eo, ad cujus vitam constitutus est, a venditore non sit restituenda, et quatuordecim ducati in singulos centenos quotannis exigantur. Pragm. 2. de censib., licet hodie census vitalitius non ultra novem, aut decem in singulos centenos con-

Digitized by Google

stituatur, uti cavit Carolus Borbonius, collect. Regal. Diplom. part. II. Tit. 226. Diplom. 1. Tom. 4.

Q. Num in censu possit apponi pactum anticipatae solutionis?

R. Minime, nam venditor solveret quod adhuc non debet, quia ipse in fine anni tenetur solvere pensionem, non autem tempore constituti census. Ita communiter.

CAPUT VI.

De Cambio

Q. Quid est cambium?

R. Est commutatio pecuniae pro pecunia, aliquo pacto diversa, cum lucro Campsoris.

Q. Cambium differtne a contractu permutationis vel mutui?

R. Maxime, quia in cambio traditur pecunia pro pecunia, in permutatione vero traditur una res pro alia. Differt etiam a mutuo, quia mutuum fit de quacumque re consumptibili, cambium vero fit de sola pecunia. Mutuum non redditur, nisi post aliquod tempus, in cambio vero pecunia praesens, pro praesenti statim datur. Demum mutuum est gratuitum, cambium vero lucrosum.

Q. Quotuplex est cambium?

R. Multiplex est, scilicet siccum, et reale. *Siccum*, seu fictum est mutuum palliatum sub nomine cambii, quia fingitur cambium, quando revera non fit nisi ad recipiendum lucrum propter solam dilationem solutionis. *Reale* est, quod revera fit, atque est legitima permutatio pecuniarum. Quod si permutatur pecunia aurea cum argentea, vel argentea cum alia, dicitur cambium *minutum*. Si vero pecunia a nostra Civitate alio mittitur per literas (vulgo *cambiale*) ad solvendum dicitur *locale*, uti si Compsarius Campsori numeret pecuniam hic Neapoli, ut a Campsore recipiat literas cambii, quarum ope eamdem summam Romae recipiat.

Q. Quinam dicitur Campsor, et quinam Campsarius?

R. Campsorem dici illum, qui in gratiam alterius cambit. Campsarium vero dici illum, in cujus gratiam fit cambium.

Q. An cambium sit illicitum?

R. Cambium siccum esse illicitum, et usurarium, nisi lucri cessantis ratione, periculi extrinseci, aut damni emergentis quaestus fiat justus. Pius V. damnavit omnia cambia ficta, et simulata in Bulla, quae incipit *In eam* ann. 1571. Cambium vero reale sive minutum, sive locale esse licitum declaravit, quando absque dolo, ac fraude fit, quia adsunt justi tituli lucrandi. Ita communiter cum D. Thom. 2. 2. q. 74. art. 4.

Q. Quinam sunt tituli quibus in cambio minuto lucrari quis possit?

R. Esse plures. I. Est conductio officinae. II. Officium cambiendi. III. Lucrum cessans. IV. Labor numerandi, quem constat esse pretio aestimabilem, quamvis modico stipendio dignus sit, cum labor sit exiguus. His adde, quod expensae, atque incommoda in conquirendis, coacervandis, custodiendis diversis monetarum speciebus sunt pretio aestimabilia, quae omnia sunt necessaria in cambio minuto.

Digitized by Google

Q. Quinam sunt tituli, quibus lucrari quis possit in cambio locali?

R. Sunt plures, et I. est translatio pecuniae. II. Ejusdem assecuratio. III. Major aestimatio pecuniae in uno loco, ubi datur, quam in alio, ubi redditur. Ultimus est, quia pecunia praesens pluris aestimatur, quam pecunia absens, et loco distans, quia multis est subjecta ex natura rei periculis.

Neque dicas, quod Campsor non subeat aliquando haec pericula, cum solvat, vel recipiat pecuniam per correspondentem, nam respondetur, quod hoc est per accidens, attamen subit revera Campsor onus transferendi pecunias, quod est pretio aestimabile. Stampò.

Q. An licitum sit in foro conscientiae Campsori exigere pignus, aut aliam securitatem a Campsario?

R. Maxime, quia sicut in aliis contractibus est licitum, ita et in hoc; nam non est aequum, ut Campsarius, qui in sui gratiam pecuniam exigit, sit in tuto, et Campsor, qui beneficium confert, in periculo permaneat. Salmantic.

Q. An illi, qui officium cambiendi non habent, liceat lucrari cambio minuto?

R. Juxta aliquos Doctores esse licitum, quia hoc nec Jure Naturae, nec jure positivo est illicitum, et prohibitum; non Jure Naturae, quia cambium illud est pretio aestimabile, non Jure positivo, quia nullum datur jus hoc prohibens. Layman, aliique.

Q. Si servus, vel procurator permutat domini pecuniam, et aliquid lucretur, potestne illud retinere?

R. Vel in tali permutatione adest damnum domini, et tenetur ad damna; aliter potest retinere lucrum, quia esset fructus industriae. Concina.

Q. Si litterae mittantur pro cambio locali, et non habent executionem, teneturne Campsor ad damna causata Campsario?

R. Maxime, quia in hoc contractu habetur implicitus contractus de servando eo indemni. Porro Campsor non potest protrahere solutionem ultra tempus praefixum, quia laederet Campsarium, et si damnum evenit, tenetur compensare.

Q. Quodnam pretium potest exigi in cambio?

R. Tantum, quantum a prudentibus, vel Consuetudine, spectato cambiendi officio, vel a legitima potestate fuerit determinatum, *ex Cod. Com. noviss. art. 67. pretium hoc determinatur a mercatorum, navium rectorum etc. conventu* (Borsa di commercio) (1).

(1) Jure novissimo Cod. Par. V. (quae Leges ad Commercium spectantes exhibet) art. 111. cautum litteras collibysticas ritu judiciario executionem non obtinere, ac veluti simplices promissiones eas judicari, quando nomen, vel qualitas, vel loca supposititia praeseferant.

Si vero conditionibus a Jure praescriptis eae scribantur, ad publicam sane negotiationis utilitatem executionem paratam recipiunt, proindeque nulla exceptione acito ex illis orta elidi potest, dummodo litterae non amittantur, earumque possessor bonis non cesserit: art. 148. Unde constitutum quod is, ad quem illae diriguntur, statim ac exhibentur, vel intra 24. hor. intervallum eas recognoscere, et excipere debet: art. 124. LL. Comm.

Tum peracto recognitionis actu eodem die, quo praescribitur, quidquid in litteris designatur, praestari debet: art. 129.: si vero solutio non fiat, Campsarius actionem

Digitized by Google

CAPUT VII.

De Emphyteusi, et Feudo

Q. Quid est emphyteusis?

R. Est contractus nominatus, quo sub onere annuae pensionis transfertur in alterum rei immobilis dominium utile, retento directo. Itaque in hoc contractu res immobilis cum translatione dominii utilis, retento directo, seu proprietate sub onere certae annuae pensionis proprietario solvendae, alteri fruenda, et colenda conceditur, vel in perpetuum, vel ad determinatum tempus, non minus decennio, v. g. ad vitam ejus, cui conceditur, vel ad unam, pluresve generationes.

Q. Quaenam differentia intercedit inter censum, et emphyteusim?

R. In emphyteusi dominium directum penes dominum manet, utile vero transit in emphyteutam. In censu nullum dominium habet censuista, seu consualista, sed solum jus percipiendi ex fructifera re certam pensionem in contractu conventam.

Q. Quaenam differentia intercedit inter emphyteusim, et locationem?

R. Haec est, quod per emphyteusim transfertur in emphyteutam dominium utile rei, L. 1. et 2. D. si ager vectigal etc.: per locationem vero non transfertur in conductorem, ne quidem dominium utile rei, sed usus tantum, seu commoditas fructuum, L. 39. D. locat.: emphyteusis potest constitui solum in rebus immobilibus, quae cultura meliores effici possunt; locatio autem non solum in rebus immobilibus, sed etiam mobilibus.

Q. Quotuplex est emphyteusis?

R. Duplex est, una dicitur *ecclesiastica*, et est illa, per quam bona, quorum proprietas ad Ecclesiam, monasterium etc. pertinet, fruenda, et colenda conceduntur, L. 14. C. de Sacros. Eccles., et cap. *Potuit* de locat., et conduct. Alia dicitur *laica*, seu communis, et est illa, per quam bona, quorum proprietas ad laicum pertinet, fruenda, et colenda traduntur, L. 1. C. de jur. emphyt.

Q. Quaenam conditiones requiruntur in emphyteusi?

R. Plures. I. Ut hujusmodi contractus fiat per scripturam, L. 1. de jur. emphit., Molina disp. 447. n. 4., Card. de Luca discurs. 37. de emphyt. n. 4. aliique II. Ut fundetur in re immobili. III. Ut dominium di-

instituere potest vel contra Campsorem, vel etiam in illos, qui in solidum eas scripserunt: art. 163. Isthaec actio vero intra bimestre institui debet, si de litteris agatur, quae in Italia, ejusque Insulis sint solvendae: intra quatrimestre pro aliis in Europae Principatibus: semestre in Africae Septemptrionalibus Regionibus: intra annum in Occidentalibus ejusdem Africae Regionibus: demum biennio in Indiis Orientalibus: art. 165. Tempore autem elapso ad hujusmodi actus explendos, si hi sequantur, Campsarius jus suum amittit contra illos, qui vulgo *giranti* dicuntur, et etiam contra Campsorem, si demonstret tempore solutionis, eum, cui litterae dirigebantur, solvendo imparem non fuisse: art. 167. et seq.

Denique Campsarius edita protestatione pro solutionis defectu Judicem adire potest, ut illorum mobilia pignori tradantur, nec non ipsi carceri mancipentur: art. 709, et 711.

Digitized by Google

rectum remaneat apud dominum. IV. Ut singulis annis solvatur debita pensio. V. Ut fiant in re emphyteutica meliorationes. VI. Ut si culpa emphyteutae deterioratur res, privari possit re emphyteutica. VII. Ut possit eam oppignorare, quoad dominium, quod ipse habet.

Q. Quinam tenentur facere expensas ad rem emphyteuticam necessarias ?

R. Vel istae expensae requiruntur ad rei meliorationem, aut collectionem fructuum, et dico teneri eas facere emphyteutam. Vel requiruntur ad restaurandam rem, posito, quod res sit omnino collapsa absque culpa emphyteutae, et dico teneri dominum directum. Ratio est, quia substantia rei pertinet ad ipsum dominum, jus autem fructuum ad emphyteutam. Layman, aliique.

Q. An emphyteuta teneatur ad pensionem re pereunte ?

R. Vel periit in totum, et dico non teneri, quia res domino perit, et destructo subjecto, destruitur etiam quod in ipso erat, L. 1. C. de jur. emphyt., et §. *Adeo* Instit. tit. de locat. et conduct. Vel perit in parte, et dico ad totam teneri pensionem, quia haec solvitur ad recognitionem dominii directi. Ita communiter cum Julio Claro lib. 4. recept. quaest. 8., ubi adducit duos sequentes versus.

Si periit tota, non debuit emphyteuta,
Si periit ex parte, nulla se liberat arte (1).

Q. Num emphyteuta possit repetere expensas in dimissione rei emphyteuticae ?

R. Magnum adest dissidium inter Doctores, nam alii negant, quia ratione contractus emphyteuta rem emphyteuticam meliorare tenetur. Alii vero affirmant, quia emphyteuta illam meliorare non tenetur, nisi id expresse fuerit deductum in pactum, ideoque potest eas repetere, quando non sunt modicae, sed extraordinariae. Ita Lessius, Palaus, aliique. Verum in hoc attendendae sunt locorum leges, consuetudines, et praxis judicandi, et tandem quantitas pensionis, nempe si est magna, si parva respectu rei in emphyteusim traditae (2).

Q. Quid dicendum, quando emphyteuta non solvit statuto tempore pensionem ?

R. Rem emphyteuticam ipso jure cadere in commissi poenam, ita ut dominus possit expellere emphyteutam, licet de solutione interpellatus non

(1) Jure novissimo Cod. LL. Civ. art. 1688. cautum quod si praedium emphyteuticum ex parte pereat, frustra postulet emphyteuta, ut pro rata canon imminuatur: dummodo reliquae praedii partes sufficiant ad illum solvendum. Si vero pars tanti sit, ut dominus utilis ad canonem praestandum impar evadat, tunc domino directo praedium restituere potest.

(2) Jure novissimo Cod. LL. Civ. cautum quod in casu devolutionis meliorationes omnes, quas emphyteuta in praedio egerit, ipsi cedant: art. 1703. Illud autem heic animadvertendum quod si devolutio culpa emphyteutae eveniat, tunc meliorationes is recipiet inter impensum et melioratum: Si vero jus emphyteuseos tempore elapso in contractu definito expiret, tunc dominus directus meliorationes juxta praedii augmentum tempore restitutionis existimandas restituere adigitur: potestatem vero illi facit lex annuos praedii redditus pro meliorationibus emphyteutae cum speciali hypotheca constituere: art. cit. 1703.

Digitized by Google

fuerit: praxis tamen exigit, ut admoneatur. Advertendum tamen, quod ut cadat in commissi poenam emphyteuta Ecclesiasticus, requiritur, ut duobus annis continuis emphyteuta non solvat pensionem, Cap. *Potuit* de locat., et conduct.: in emphyteusi vero laica requiritur, ut tribus annis continuis pensionem non solvat, L. 2. C. de jur. emphyt. (et art. 1639. Cod. Civ. noviss). Licet hodie aequitate Juris Canonici potest celeri satisfactione purgare moram emphyteuta, dict. cap. *Potuit*. de locat.

Excipiuntur tamen nonnulli casus, in quibus emphyteuta non cadit in poenam commissi, et I. Est quando per dominum stat, quominus pensio recipiatur, vel quando ratione compensationis pensio non solvitur. Ita communiter, et arg. L. *Si constat* 4. C. de compensat. II. Quando per ignorantiam, vel aliam justam causam, pensio non solvitur; nam ubi culpa non est, nec poena commissi locum habet. Ita communiter. III. Quando emphyteuta in emphyteusi ecclesiastica post elapsum biennium intra decem dies ablatis pensionibus purgat moram; in hoc casu liberatur a poena commissi, uti tenent communiter DD. Hic nota, emphyteutam non cadere in poenam commissi, nisi dominus directus declaret circa hoc suam voluntatem, L. 2. C. de jur. emphyt.; quare si dominus omiserit voluntatem suam declarare, cum facile potuisset, non potest deinde ejus successor caducitatis poenam exequi.

Q. An emphyteuta possit vendere jus suum utile?

R. Minime, nisi prius moneat dominum directum qui tamen post duorum mensium spatium tenetur consentire, modo ipse dominus uti noluerit jure praelationis, neque sibi emere voluerit ad consolidandum dominium utile cum proprietate. Nam si vendat inconsulto domino, cadit in commissi poenam. Excipitur tamen casus, in quo titulo gratuito in dotem dat, vel donat, vel legat, Gloss. in L. final. C. de jure emphyt. vel locat infra decennium, ut alteri nomine hypothecae obligat, vel censum, aut servitutem constituit, durante emphyteusi; in quo casu res emphyteutica non cadit in commissum, si inconsulto domino directo, emphyteuta hoc faciat. Layman, Molina, aliique.

Q. An post monitionem statim emphyteuta possit fundum emphyteuticum alienare?

R. Minime, quia post monitionem conceduntur domino duo menses ad deliberandum, num velit ipse emere, quibus elapsis, ipsoque recusante emere, potest emphyteuta vendere, cui voluerit, L. *Dubitabatur* 3. C. de jur. emphyt.

Nota. In venditione rei emphyteuticae praelatio semper competit domino directo, in aliis vero alienationibus ista non datur, sed solum debet fieri domino denuntiatio, ne immittat in emphyteusim personas a Jure interdictas, dict. L. C. 3. eod tit. quia difficilius posset pensionem annuam repetere, atque exigere, et fortasse privaretur ipse laudemii.

Q. Quid debetur domino directo, quando res emphyteutica transit ad alium per venditionem, permutationem, donationem, locationem etc.?

R. Deberi a secundo emphyteuta laudemium propter investituram, vel laborem, quem dominus directus subit, mittendo novum emphyteutam in possessionem, et propter recognitionem dominii directi. Hoc laudemium de

Digitized by Google

jure potest esse quinquagesima pars pretii rei venditae, nisi alia sit loci consuetudo, Lessius.

Nota. Circa laudemii solutionem aliter fert Jus Neapolitanum. Consulantur hac in re regia diplomata penes Gatta.

Q. An dentur casus, in quibus non debetur laudemium?

R. Maxime, et I. Est quando heres necessarius succedit in rem emphyteuticam, quia non est par, ut heres necessarius, quia propria auctoritate, sive jure suo adit hereditatem, aliquid solvat. II. Quando pater tradit rem emphyteuticam filiae in dotem ratione necessitatis; quia laudemium debetur pro alienatione voluntaria, non necessaria. Ita DD. (1).

Q. Quinam sunt successores in emphyteusi?

R. Si constituta sit emphyteusis intra certum tempus, et dico, quod intra hoc tempus succedunt heredes omnes. Si vero constituta sit in perpetuum nulla expressione temporis, et personarum, et tunc etiam succedunt heredes omnes. Ita communiter.

At si tempus fuerit definitum per generationes, et tunc tantum descendentes admittuntur in emphyteusim. Praeterea si emphyteusis ecclesiastica constituta sit sine expressione temporis, et personarum, non censetur perpetua, nec transit, ut laicalis ad omnes heredes, etiam extraneos, sed ad solos descendentes, usque ad tertiam generationem. Vid. Covarruv. variar. resolut. lib. 2. cap. 17. n. 16., et cap. 18., n. 1. At hodie praedia ecclesiastica laicis in emphyteusim data tanquam allodiala ipsorum bonorum haberi, ideoque omnes succedunt, quin extinctis lineis, quibus fuerant concessa, possunt pro lubitu de iis disponere, modo statutum annuum canonem solvant, uti cavit Ferd. IV. Rex noster die 17. Augusti 1771. Qua de re vid. Collect. Reg. diplom. part. 1. tom. 1. diplom. 19. (2).

Q. Quid est feudum?

R. Est contractus, quo fit cessio rei immobilis cum translatione dominii utilis, retento sibi dominio directo, sub onere fidelitatis, et obsequii personalis exhibendi.

Q. Quaenam conditiones requiruntur ad contractum feudi?

R. Plures I. Ut dominium directum perseveret apud priorem dominum, et translatio fiat dominii utilis in vassallum. II. Ut feudum constituatur in re immobili. III. Ut vassallus non alienet feudum sine consensu domini directi. IV. Ut vassallus in investitura praestet juramentum fidelitatis. V. Ut praestet obsequium, et servitium personale.

Q. Quaenam sunt causae, ob quas vassallus possit expoliari feudo?

R. Plures I. Si requisitus non praestet obsequia personalia, et fiat contumax. II. Si committat delictum felloniae, vel arma capiat adversus Prin-

(1) Jure novissimo Cod. LL. Civ. art. 1697. sancitum laudemium domino directo non deberi, nisi in contractu emphyteuseos expresse fuerit conventum: hoc vero quinquagesimam pretii partem non excedit.

(2) Jure novissimo Cod. LL. Civ. art. 1685. sancitum quod emphyteusis solvatur 1. si perpetua non fuerit, elapso tempore in stipulatione designato: art. 1685. 2. Rei totius interitu. 3. Re ignorante domino vendita art. 1692. 4. Canone per triennium domino saeculari non soluto art. 1689. 5. Re insigniter reddita deteriore. 6. Demum si successor in dominio utili intra bimestre ab instantia judiciaria obligationem canonis domino directo praestandi non contrahat: art. 1700.

Digitized by Google

cipem. III. Quando alienat fundum sine licentia domini, et IV. Quando abutitur juribus feudi. Qui oberiorem hujusce argumenti, scilicet feudorum, cognitionem desideret, adeat Francisc. Hotoman, in comment. de feud., Conrad. Rittershusium in partit. jur. feud., Hubert. Giphan. in disput. jur feud. Henric. Zoes in praelect. de jur. feud.

CAPUT VIII.

De Locatione, et Conductione

Q. Quid est locatio?

R. Est contractus, quo quis rem aliquam alteri utendam, vel fruendam concedit, certo pretio, sive mercede constituta. Ita communiter.

Dicitur *contractus, quo quis rem aliquam, utendam, fruendam etc.*; ad denotandum, quod locantur, et conducuntur non solum res, quae ad solum usum deserviunt, puta domus ad inhabitandum, bos ad arandum etc., sed etiam res, quae deserviunt ad fructus percipiendos, ut ager, vinea, pascua, jura etc., L. 29. §. 1. D. de locat., et conduct. Quin etiam locantur etiam personae, seu potius operae, et labores personarum, ut patet in famulis, operariis, artificibus etc. L. *Item* 51. D. de locat. et conduct. Dicitur *certo pretio* etc. quia pretium, seu merces necessario debet intervenire in locatione, L. 23. D. comm. divid., et in hoc differt locatio a commodato, et praecario, vi quorum res gratis ad usum conceduntur.

Q. Quid est conductio?

R. Est contractus, quo rei usus, aut fructus, imo et personae opera certa constituta mercede comparatur pro aliquo determinato tempore. Ita communiter (1).

Q. Quinam dicitur locator, quinam conductor, et quinam inquilinus?

R. Locator dicitur ille, qui pro usu, et fructu rei aut pro opera sua pretium, seu mercedem recipit. Conductor dicitur ille, qui pro usu, vel fructu rei, aut opera personae, pretium aut mercedem dat, tot. tit. D., et C. de locat. et conduct. Inquilinus dicitur ille, qui conducit praedium urbanum, vel domum. L. 21. §. 4. et §. D. eod., tit. Colonus dicitur ille, qui conducit praedium rusticum, vel agrum, L. *Res pignoris* 37. D. de adquir. possess., qui vero conducit operam personae, dicitur *Redemptor*, L. *Cum in plures* 63. §. D. eod. Tit.

Q. Quaenam res possunt locari?

R. Omnes res quae possunt vendi, nisi aliqua prohibitio adsit a legitima potestate.

Q. Quaenam sunt obligationes locatoris?

R. Plures sunt, et I. Tenetur aperire vitium rei locatae, alias tenetur ad damna (*etiamsi vitium ignoraverit tempore locationis*). II. Tenetur ad expensas necessarias rei locatae, ut integra, et incolumis consistat, et etiam

(1) Jure novissimo Cod. LL. Civ. art. 1557. cautum locationis non unum esse genus: habentur enim locationes praedii tum rustici, tum urbani: item operarum, vel operis: pro ejus autem diverso genere obligationes diversas contrahentes inire constitutum.

Digitized by Google

ad illas quae sunt necessariae ad convenientem usum praestandum, et etiam vectigalia, et onera publica solvere, nisi aliud conventum sit. III. Si locator revendat alteri, debet servare conductorem indemnem, usque ad praefinitum tempus. IV. Non debet locator privare conductorem re locata usque ad praefinitum tempus (1).

Q. Num locator possit exigere pensionem a conductore, si ex re locata nullos fructus percepit?

R. Regulariter loquendo non potest, quando conductor propter sterilitatem, seu alios casus fortuitos, atque inopinatos fructus non percepit ex re fructifera locata, nam tunc locator tenetur remittere mercedem, vel totam, si nullos conductor perceperit fructus, vel pro rata, ac proportionaliter illam diminuere, si paucos, et exiguos collegerit. Ita communiter ex Cap. *Propter sterilitatem* 3. de locat., et conduct., L. 16. §. 2. D., L. 28. §. *Vis major* D. eod. tit., et L. *Licet*. 8. C. de locat. et conduct. Quia pensio, sive merces locationis constituitur in compensationem fructuum ex re, vel fundo conducto percipiendorum, ideoque ratio, et aequitas postulat, ut si conductor nullos omnino percipit fructus, aut paucos, et exiguos, pensio, seu merces ex toto, vel ex parte juxta damni proportionem, remittatur ei a locatore.

Dixi *regulariter*, nam si sterilitas unius anni compensetur ex abundantiori fertilitate alterius anni sive praecedentis, sive subsequentis, non tenetur locator pensionem minuere, text. expres. in laud. Cap. *Propter sterilitatem*, ibi: *Nisi cum ubertate praecedentis, vel subsequentis anni valeat sterilitas compensari*, et concinit L. *Ex conducto D. Locat et L. Licet*. C. eod., Praeterea, si inter locatorem, et conductorem conventum sit quod quocumque eveniente casu, fructuum perceptionem impediente non teneatur locator remittere pensionem seu mercedem, tunc conductor pensionem solvere debet, L. *Si quis* 9. §. D. de locat., et conduct., et cit. L. *Licet* C. eod., Licet in hac hypothesi pensio erit minuenda propter hujusmodi periculum, cui subest conductor. Ad haec, quando sterilitas provenit ex propria culpa conductoris, non tenetur etiam locator remittere pensionem, seu mercedem, argum. L. *Ex conducto* D. locat., et Cap. *Damnum* 86. de Reg. Jur. in VI. ibi: *Damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare.*

Q. Dantur ne casus, in quibus possit locator expellere conductorem?

R. Dantur, et I. Est si res locata, locatori ex aliquo inopinato casu est

(1) Si in locationis contractu in scripturam redacto tempus conductionis definiatur, hoc elapso, absque denunciatione locatio cessat: art. 1583. Si vero dumtaxat verbis stipulatio isthaec inter contrahentes inita fuerit, tunc locator juxta loci consuetudinem conductori denunciationem facere adigitur. art. 1582.

Praeterea in praedii rustici locatione, quae scriptura non initur, elapso tempore a Lege definito, ipso jure conductio cessat: art. 1620. Qui vero elapso tempore in contractu constituto praedio urbano utitur absque locatoris oppositione, in eamdem conditionem, mercedem, et tempus juxta loci consuetudinem tacite reconduxisse videtur: art. 1605. Fidejussio autem, quae veteri stipulationi accessit in tacita reconductione minime presumitur, ac proinde expresse fieri debet: arg. ex art. 1235, et 1906.

Digitized by Google

necessaria (1), L. *Æde*, C. de locat., et dict. Cap. *Propter* 3. de locat. II. Si res locata egeat refectione, dict. L. *Æde*, C. III. Si conductor per biennium non solverit pensionem, cit. Cap. *Propter*, et L. *Quaero* 57., et L. *Cum domini* 59. D. locat. IV. Si male utatur re locata, vel contra bonos mores, vel eam deteriorando, cit. L. *Æde* C.

Q. Quaenam sunt obligationes conductoris?

R. Plures I. Debet uti re ad usus concessos. II. Tenetur ad curam rei locatae tali modo, ac si sua esset. III. Tenetur pensionem statuto tempore solvere. IV. Tenetur rem conductam non dimittere ante tempus, et si dimittit, tenetur ad totam pensionem. V. Tenetur rem conductam completo tempore locationis restituere, secus tenetur ad damna causata locatori. VI. Non potest rem conductam alteri sublocare, sine domini consensu; uti constitutum apud nos est Jure nostro consuetudinario Neapolitano, Consuet. *Conductor* tit. 24. de locat., et cond., licet aliter se res habeat ex Jure communi. Vid. L. *Nemo* C. de locat. etc. (2).

Q. Qui locat domum meretrici peccatne?

R. Si domus sit in loco pro istis foeminis deputato a publica potestate, non peccat, quia nulli injuriam facit. Si vero sit in loco honesto, peccat quia praebet aliis molestiam, tum quia aliis est occasio scandali, tum tandem, quia praebet locum peccandi. Collet, Concina.

Q. Conductor de qua culpa tenetur?

R. De culpa lata, et levi, quia est contractus in gratiam utriusque, et periculum rei locatae penes dominum remanet, nisi aliter conventum sit, quia tunc contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur, cap. *Contractus* 85. de Regul. Jur. in VI.

Q. Quid debet dare dominus servis, vel ancillis, vel famulis?

R. Si sunt mancipia, victum, et vestitum, nempe alimenta, si sunt famuli, vel ancillae, qui locant mediante pretio operas suas, debet eis dare justum pretium, vel taxatum in contractu, vel juxta hominum existimationem. Concina.

Q. Si quis locavit operas suas alicui, sed ob conductoris impedimentum operas non praestitit, neque aliis interim locare potuit, teneturne conductor pretium locatori?

R. Si impedimentum evenit ex casu fortuito sine culpa locatoris, tunc tenetur pactum stipendium solvere. Nam, qui operas suas locavit, totius temporis mercedem accipere debet, si per eum non stetit, quominus operas praestaret, L. *Opus* 38. D. eod. tit. Si vero locator operam conductam non praestet ob impedimentum ex sua parte proveniens, licet sine culpa, non debetur illi merces.

(1) Jure novissimo Cod. LL. Civ. art. 1607. cautum locationem minime resolvendam cum locator rei usum sibi omnino necessarium fore dixerit, nisi hoc pactum stipulationi accesserit.

(2) Conductori potestatem facit lex rem sibi locatam alteri cedere, dummodo diserte id minime illi in stipulatione interdicatur: art. 1563. Cod. LL. Civ. Colonus vero *partiarius*, qui scilicet pro mercede fructuum partem locatori solvit, et socio quodammodo similis, praedium sublocare nequit, nisi expresse pactum istud stipulationi accesserit: art. 1609.

Digitized by Google

Q. Quid si iste poterat ire in alium locum, et ibi locare operas suas?

R. Et tunc conductor non tenetur. Verum si eundo non exigit totam mercedem, tenetur conductor ad illud, quod ei defuit ad justam, ac pactam mercedem.

Q. Quid si res locata non utatur conductor, num teneatur solvere pensionem?

R. Vel impedimentum accidit ex parte rei locatae, vel locatoris, et dico non teneri conductorem ad pensionem juxta proportionem temporis, quo non utitur re locata. Vel impedimentum accidit ex parte conductoris, et dico teneri ad pensionem. Hinc si conductor non utatur re quia mutavit consilium, vel quia non bona valetudine ibi moratur, ad pensionem tenetur. Concina, aliique communiter.

CAPUT IX.

De Fidejussione

Q. Quid est Fidejussio?

R. Est contractus, quo quis alienam obligationem suscipit implendam si debitor principalis non solverit §. 1. Institut. tit. de fidejuss., et L. *Sicut* D. eod. tit.

Q. Unde dictus fidejussor?

R. Dictus a *fide*, et *jubeo*, hoc est fide sua jubens, ut alteri credatur. L. *Creditor* §. 1. D. mandat., quod revera praestat alienam obligationem in se suscipiendo, seu fidem suam interponendo de solvendo debito, dato, quod debitor non solverit.

Q. In quibus debitis potest constitui fidejussio?

R. In omnibus debitis, et obligationibus quomodocumque contractis. L. 1. D. de fidejuss. ibi: *Omni obligationi fidejussor accedere potest.*

Q. Quinam possunt fidejubere?

R. Omnes, qui possunt sine damno, vel praejudicio alterius debitum pro illis solvere, pro quibus dant fidejussionem, seu illi possunt fidejubere, qui liberam suorum bonorum administrationem habent. Hinc filiusfam., pupilli, Religiosi, fidejubere non possunt.

Q. Obligatio fidejussoris transitne ad heredes?

R. Maxime, quia est actio realis L. *Fidejussoris* 24. C. de fidejuss. ibi: *Fidejussoris quidem heres exemplo fidejussoris tenetur, et* §. 1. Institut. tit. de fidejuss., ibi: *Fidejussor non tantum ipse obligatur, sed heredem reliquit obligatum.*

Q. Creditor potestne agere contra fidejussorem immediate?

R. Minime, sed primo debet agere contra debitorem principalem, et in ejus defectu potest contra fidejussorem, Authent. *Praesente* C. de fidejuss., quia fidejussor venit in defectum illius. Excipe. I. Si debitor principalis sit absens, et ipse praesens, dict. Authent. *Praesent.* C.: II. Si clare patet, quod debitor principalis non est solvendo, uti communiter tenent DD.

Q. An fidejussor teneatur solvere debita pro quibus fidem suam interposuit ante Judicis sententiam?

R. Maxime, quia cum principalis solvere teneatur ante Judicis senten-

Digitized by Google

tiam, sequitur etiam fidejussorem, qui gerit vices principalis, ante illam teneri. Layman, aliique.

Q. Principalis debitor teneturne ad damna causata fidejussori, si iste solverit pro defectu ipsius, et damna passus est?

R. Maxime, quia ipse causa damni fuit, et si accipit fidejussor pecuniam pro fidejussione, tenetur etiam debitor ad damna, quia illam pecuniam, quam accipit, pro periculo recipit, cui se exposuit debitum solvendi alienum. Layman.

Q. Quid si plures fidejussores pro eodem debito intercesserint?

R. Singulos in solidum obligari §. *Si plures* 4. Instit. tit. de fidejuss., si tamen omnes ad solvendum idonei sunt, convenit eis exceptio ex epistola D. Hadriani (nisi tamen huic privilegio renuntiaverint) ut obligatio in portiones dividatur, dict. §. *Plures*. Institut., L. 3., et L. 10. C. de fidejuss. Si tamen unus non apposita exceptione Hadriani integrum solverit, repetendi jus non habet a creditore, sed creditor hinc tenetur illi solum cedere actiones suas contra reliquos fidejussores, et debitorem, ut adstringantur ad id, quod interest. Ceterum si alii fidejussores solvendo non sint, cogitur etiam unus, qui ad solvendum potens est totum praestare. Vid., si lubet, Perez. ad tit. de fidejuss. in Codice.

Q. Ad dentur casus, in quibus fidejussor possit exigere a debitore, ut liberetur a fidejussione?

R. Maxime, ut expresse habetur in Cap. *Eum pro quo* 5. de fidejuss., et in L. *Lucius* 38. D. mandat., et I. Est, si ita conventum fuerit, ut elapso certo tempore, vel cum id poterit, a fidejussione liberaretur. II. Si debitor principalis in longinquas regiones discessurus sit. III. Si fidejussor ad solvendum damnatus sit statim, antequam solvat, agere potest contra principalem debitorem, ut ipsum liberet, et indemnem servet. IV. Si inter fidejussorem, et debitorem exortae sint graves, vel capitales inimicitiae, dummodo non sint exortae culpa fidejussoris, quia alias posset quisque hac actione pro suo libito se liberare a fidejussione, argum. L. *Filiusfam.* 8. §. final. de Procurat.

Q. Feminae si dant fidejussionem tenenturne solvere debitum?

R. Tenentur, nisi privilegio Scti Vellejani utantur, quo rescinditur fidejussio a muliere facta. Ita communiter, quamvis obligatae sunt pro viris suis ut expresse cavit Justinianus. Nov. 134. cap. 8., et Authent. *Si qua mulier* C. de Scto Vellej. (1).

Q. Danturne casus, in quibus mulier uti non potest Scto Vellejano?

R. Maxime, et I. Si pretio conducta fidejubeat, L. 23. C. eod. tit. II. Si fidejubeat renuntiando cum juramento tali privilegio, licet hodie, etiam nulla est fidejussio cum juramento firmata, uti cavit Petrus de Toledo Regni Prorex in Pragm. unic. de Scto Vellejano ann. 1543. III. Quando fidejussit pro dote, vel pro suo creditore, vel servi libertate, L. penul., et ult. C. de Scto Vellejan. IV. Quando fidejussit in fraudem creditoris, testis est Ulpianus in L. 2. D. ad Sctum Vellejan. §. 3. *Nam deceptis* (inquit.), *non decipientibus opitulatur lex.* V. Quando post biennium denuo confirmavit fidejussionem. L. 22. C. tit. eod.

(1) Videsis nostras additiones ad Cap. IV. hujusce Tractatus pag. 169.

Digitized by Google

CAPUT X.

De Assecuratione

Q. Quid est assecuratio?

R. Est contractus, quo quis ob pretium, vel gratis suscipit in se periculum rei alienae, obligando se ad illius compensationem si perierit.

Q. An sit licitus hic contractus?

R. Maxime, habitis conditionibus; quia est contractus sortis. Conditiones sunt plures. I. Ut adsit aequalitas inter pretium datum assecuratori, et obligationem, quam in se ille suscipit. II. Ut qui petit assecurationem, non cogat alterum ad contractum assecurationis secum ineundum. III. Ut assecurator admoneatur de veris periculis, quibus res assecuranda subjacet. IV. Ut res non solum subsistat, sed etiam ut si periculo exposita. Ultima, ut periculum subsit saltem probabiliter, vel ab utroque judicetur subesse, ut rei eventus sit utrique incertus.

Q. Quid solet accipi pro assecuratione?

R. Juxta Azorium in aliquibus locis solet accipi quinque vel sex pro centum. Sed melius est, ut consulantur de hac re homines periti, ut attentis periculis, circumstantiis etc. pretium taxent.

Q. Quinam possunt assecurare?

R. Omnes, qui habent res suas in tanta quantitate; ut possint supplere, aut idonee compensare rem assecuratam si perierit. Ita communiter (1).

CAPUT XI.

De Ludo, et Sponsione

Q. Quid est ludus?

R. Est contractus, quo ludentes bona propria aequaliter deponunt cum pacto, ut victori cedat id, quod depositum est.

Q. Ludus estne licitus?

R. Ex natura sua est licitus, si moderate, et cum debitis conditionibus fiat, imo ait Molina, uti colligitur ex D. Thom. 2. 2. q. 108. art. 2. quod ludus, si debito modo instituatur, duarum virtutum, Justitiae, et *Eutrapeliae*, hoc est, temperantiae, est actus, per quem homo dirigitur, atque ordinatur ad modum servandum in ludo, sicut etiam potest esse utilis ad vitandum otium.

(1) Jure novissimo Cod. LL. Com. cautum quosvis contractus maritimos in scripturam redigi: art. 323: in ipsa vero a mercatoribus, quorum societas vulgo audit (*Borsa di Cambio*), assecurationis pretium definiatur: art. 67.

Praeterea si assecurationis tempus non exprimatur: tunc quoad navim, resque ad illam spectantes, constitutum, quod tempus ab eo die incipiat, quod vela panduntur, duraturum, donec ea portum petat. Quod vero merces spectat, statutum assecurationem fieri a die, qub illae navi imponuntur, usquedum earum exoneratio fiat: art. 333., et 319.

Digitized by Google

Q. Quaenam conditiones requiruntur ad ludi justitiam?

R. Plures I. Ut ludentes liberam habeant administrationem illius quod in ludo deponunt. II. Ut absint fraudes. III. Ut libere se inducant, aut accedant ad ludum. IV. Ut sit aequalis conditio colludentium. V. Ut ludo vacent non principaliter ob lucrum, sed ad animi recreationem. VI. Ut ludus non sit causa alicujus peccati, vel mali. Antoin. Concin. aliique.

Q. An ludere principaliter propter lucrum est peccatum?

R. Si intentio lucrandi est immoderata, ita ut intendatur malum Proximi, utique est peccatum, et tale, prout est materia. Si vero est moderata talis intentio, ut nollet deperdere in ludendo, et tunc non est peccatum, saltem mortale, quia lucrum non est finis honestus, propter quem homo agere tenetur in pluribus.

Q. Estne licitus omnis ludus?

R. Minime, nam plures sunt ludi, qui prohibentur secularibus auctoritate Regia, adeoque illiciti, ut videre est in pluribus Pragmaticis, quae diversis temporibus in Regno hoc Neapolitano editae fuere, quae obligant etiam in foro conscientiae, utpote justae, et ad bonum commune emanatae.

Q. Clericis est ne prohibitus ludus?

R. Ludus taxillorum, et alearum, quae a mera sorte dependent, atque unice a fortuna reguntur sunt prohibiti Clericis, et Religiosis, Trid. sess. 22. de Reformat. cap. 1., imo etiam Laicis, L. 1., et 2. C. de Aleatorib.

Q. Qui aliquid lucratur ludo prohibito, potestne illud retinere tuta conscientia?

R. Litigium est inter DD. Alii enim dicunt non posse retinere. Verum aliqui dicunt, quod ante sententiam Judicis potest retinere, post sententiam non potest etiam in foro conscientiae, ratio est, quia semper ac adsint debitae conditiones, prohibitio propter quam fit ludus illicitus, se habet extrinsece ad contractum. Antoine, Stampò, aliique, quae sane posterior opinio probabilior videtur.

Q. Num qui ludit aliena pecunia faciat suum, quod ludendo adquirit?

R. Adest dissidium inter DD. Dicimus, tamen, non facere suum, sed esse restituendam collusorio perdenti, quando ipse non habebat aliud, quod tradere poterat perdendo, nam videtur contractus invalidus, cum non servetur aequalitas; ipse enim nihil exponit in ludo, quod alter potuisset adquirere.

Q. Si aliquis lucretur aliquid a Religioso, potest ne illud retinere?

R. Vel ludus est licitus, et Religiosus habet aliquid a Superiore deputatum pro honesta recreatione, et potest retinere, dummodo sit in parva quantitate. Si vero nihil habet, aut ludus illicitus est, tunc nullo modo potest retinere. Verum si Religiosus primo lucratus est ludo illicito aliquid, quo postea in eodem ludo perdidit, potest victor retinere, quia accepit denuo suum. Ita communit.

Q. Quid est sponsio?

R. Est contractus, quo duo, vel plures de veritate, vel eventu rei alicujus contendentes, sibi invicem aliquid spondent, ut ejus sit, qui veritatem sit assecutus.

Q. Quaenam conditiones requiruntur ad sponsionem, ut valida sit, ac licita?

*

Digitized by Google

R. Plures I. Æqualitas rei sponsae. II. Incertitudo ex utraque parte. III. Ut verba eodem modo intelligantur a spondentibus. IV. Ut non fiat super electionem vel mortem Pontificis, aut Cardinalium, nam in istis casibus non solum illicita esset sponsio, sed etiam excommunicatio Papae reservata adest, Bulla *Cogit nos*, Gregorii XIV., et adquisitum per sponsionem non potest retineri, quia lex inhabilitat adquirentem ad retinendum (1).

CAPUT XII.

De Transactione

Q. Quid est transactio?

R. Est de re dubia, et controversa sive de lite incerta, et nec dum finita, non gratuita, sed onerosa inter partes conventio, seu pactio, vel compositio. L. *Qui transigit* D. de transact.

Q. Transactio estne licita?

R. In beneficiis est illicita, et simoniaca, Cap. *Super eo* 4. de transact., si tamen fiat sine auctoritate legitimi Superioris: in omni alio contractu est licita, habitis conditionibus.

Q. Quaenam sunt conditiones requisitae, ut sit licita transactio?

R. Sunt plures I. Ut res de qua fit transactio sit dubia ex utraque parte. Gloss. in Cap. *Sicut grave* 1. de transact. II. Ut fiat super lite incerta, et nec dum finita, L. 32. C. de transact. III. Ut onus sit ex utraque parte, et aequale juxta rationum proportionem. IV. Ut lis finiatur per transactionem. V. Ut non fiat gratis, sed onerose aliquo hinc inde dato, et retento, promisso, vel remisso, L. *Transactio* 38. C. de transact. (2).

Q. Advocatus, qui vidit suum clientem deperdere litem de certo; quia ex parte illius injusta, potest ne suadere transactionem?

R. Minime, quia res, seu lis non est dubia, et si hoc faciat tenetur ad damna, quia esset causa damni parti contrariae, quae non componeretur transigendo, sed vexationem redimere censeretur. Layman, aliique. Unde si quis graviter laedat alterum in transactione, tenetur in foro conscientiae ad restitutionem rei injustae acceptae, seu retentae, uti tenent Doctores omnes. At in foro externo datur de dolo malo actio, ut rescindatur transactio, si dolus vere intervenisse probetur, L. *De dolo*, et L. *Non possunt* C. de dol. mal.

(1) Jure novissimo Cod. LL. Civ. art. 1837. et seq.: cautum, ut supra innuimus, quod ex ludo aleatorio nulla victori datur actio lucrum prorsus illicitum petendi: at condictio indebiti ei, qui jam solverit minime conceditur.

(2) Jure novissimo Cod. LL. Civ. cautum transactiones rescindi posse, si contrahentes in personas erraverint, vel in materiam, quae ejusdem transactionis fuit objectum, necnon ob vim, et dolum: art. 1925.: at vero ob juris ignorantiam, vel laesionem rescindendae transactionis facultas illis interdicitur: art. 1924.

Digitized by Google

DE CONTRACTIBUS GRATUITIS

CAPUT I.

De Promissione

Q. Quid est promissio ?

R. Est liberata fidei obligatio, facta alteri de re aliqua licita, et possibili. Duplex est *onerosa*, quae onus alteri vicissim imponit, et ad alios contractus pertinet, et *gratuita*, quae nullum onus alteri imponit.

Q. Quaenam requiruntur, ut promissio valeat, et obliget ?

R. Requiri I. Ut adsit voluntas se obligandi, unde non est satis dicere: *Promitto me hoc facturum* si solum quis intendat significare propositum, non autem se obligandi voluntatem. II. Perfecta deliberatio, et advertentia ad id, quod agitur saltem talis, quae sufficiens sit ad peccatum; promissio enim est actus humanus. III. Ut non adsit error vel dolus circa substantiam vel causam finalem, quia aliter deesset consensus substantialis, IV. Ut sit spontanea, nam si per vim, metum etc. extorta sit, certum est non obligare, cum sit nulla, aequitas enim non patitur, ut quae ex mera liberalitate procedere debent, fiant coacta. V. Ut sit de re licita et possibili. VI. Ut acceptetur a promissario signis externis, sicut signis externis a promittente fieri debet.

Q. Num peccet graviter, vel leviter, qui promissionem acceptam non solvit ?

R. Vel loquimur de promissione improprie dicta, puta si promittens intendat se obligare ex virtute fidelitatis, aut veracitatis, et dico peccare leviter illam non adimplendo, nisi grave damnum intulerit promissario. Vel loquimur de promissione proprie dicta, puta si promittens intendat se obligare ex virtute justitiae, et transferre jus, et actionem in promissarium, et dico peccare mortaliter, nisi rei promissae parvitas excusat, ut patet ex illo vulgato dicto: *omne promissum cadit in debitum*, sicuti etiam, quia promittere, proprie loquendo non est utcumque verum dicere sed simul adstringere alteri fidem suam.

Quare est verus contractus, quo transfertur alteri jus exigendi id, quod promissum est, nam dum celebratus fuit, promittens habuit animum se obligandi ad illud. Hinc sequitur I. Ex promissione oriri jus ad rem promissam, quod transit ad heredes promissarii. II. Si ex promissione non servata promissarius damnum patiatur, promissor tenetur compensare. Antoine, Layman.

Q. Qui ficte promittit, teneturne ad promissionem ?

R. Si promittat ficte, scilicet sine animo promittendi, et non tenetur, peccat tamen illudendo Proximum, graviter, vel leviter, prout materia dictat. Si promittat animo non se obligandi, et licet peccet, ut dictum est, nec tamen tenetur, quia deficit essentia promissionis, quae est obligatio. Si promittat animo non exequendi, et tunc tenetur, quia executio est quid accessorium. Verum adverte in casibus, in quibus quis non teneatur ratione fictae promissionis, cum promissio ficta sit nulla, tenetur ratione injuriae

Digitized by Google

illatae, quam tenetur reparare vere, et sincere promittendo, aut promissum implendo.

Q. Quando obligat promissio?

R. Post acceptationem obligat. L. *Si pollicitus* D. de pollicitation.; nam obligatio ex contractu intelligi non potest, nisi mutuo duorum consensu, per quem alteri datur jus ad aliquid, quod non potest esse sine acceptatione L. *Hujus* 1. D. de pactis.

Q. Dantur ne casus, in quibus quis promittit, et remaneat obligatus, quamvis non sit acceptata?

R. Maxime, et est 1. quando fit infantibus, vel aliis qui sunt rationis incapaces; quia a lege videntur acceptari promissiones illis factae. II. Si promissio facta sit Civitati, vel Reipublicae causa reparationis aedificii ruina, igne etc. destructi. L. *Propter incendium* 4. D. de pollicitation., et L. 7. D. eod., aut ob honorem sibi decretum, aut decernendum, L. 11. eod.

Q. Quinam possunt acceptare promissionem factam alteri absenti?

R. Ille qui ex tali promissione reportat commodum, vel ille, cui ex officio negotium committitur, aut quibus permissum est pro alio stipulari, eique promissorem obligare, uti sunt, qui alterius juri sunt subjecti, aut ab alterius potestate pendent §. *Si quis alii* Instit. tit. de inutilib. stipul. Hinc Pater potest pro filio, maritus pro uxore, et e contrario; servus stricte sumptus pro domino, procurator pro suo principali, tutor pro pupillo; monachus pro Monasterio.

Q. An mortuo promissario possint heredes promissionem acceptare?

R. Minime, quia est potestas personalis, quae extinguitur morte promissarii. Iusuper, quia heredes succedunt in omnibus juribus defuncti quaesitis, et realibus. Ita Less., Salmantic., aliique.

Q. An mortuo promittente ante acceptationem promissarii possit promissio ab heredibus promittentis revocari?

R. Dissidium est inter Doctores; nam aliqui tenent non posse revocari, tum quia facultas revocandi cum sit personalis, non transit ad heredes, tum quia talis promissio ex una parte fuit perfecta, et valida, et ex alia parte ante mortem non fuit revocata. Alii communiter tenent posse revocari, quin non potest acceptari a promissario, tum ex vi pacti, nam omne pactum requirit duorum consensum in idem: hinc cum consensus promittentis, jam sit extinctus per mortem, dicendum est quod non possit acceptari a promissario, tum ex vi mandati, quia hoc extinguitur morte mandantis, L. 15. C. mandat, ibi: *Mandatum, re integra, domini morte finitur.*

Neque dicas, quod si gratia sit expedita ex parte concedentis, licet is moriatur ante gratiae executionem, valet tamen gratia. Respondetur enim, quod id specialiter decretum est in promissionibus beneficiorum, dispensationibus, et hujusmodi gratiis quae ex debito officio Ecclesiasticae potestatis procedunt, ut ea ex parte conferentis valida et irrevocabilia censeantur.

Nota. Ex hac postrema sententia inferes, quod si nuntius destinatus a donatore, vel promissore injuste rem detinens, vel absumens suo tempore non tradat donatario, atque interea moriatur donator, ad duplicem restitutionem nuntium obligari, unam heredibus faciendam, quia mandatum morte mandantis expiravit; alteram donatario, vel promissario, quia nuntius injusta causa fuit, cur ille donatam rem, vel promissam non adquisie-

Digitized by Google

rit. Verumtamen ad priorem restitutionem heredibus faciendam non teneri arbitratur Layman, nisi post Judicis condemnationem.

Q. Quid si promittens mittit nuntium, et postea mandatum revocat, num valida sit promissio?

R. Si revocatio sui mandati innotescit mandatario, est nulla promissio, alioquin erit valida, quia mandans tenetur ratum habere, quod bona fide mandatarius fecit ex sui commissione, L. *Si mandatum* 15. D. mandat.

Q. Promissio desinitne aliquando obligare?

R. Maxime, et I. Desinit per ingratitudinem promissarii. II. Quando res promissa evadit illicita, vel impossibilis. III. Quando à potestate Superioris promittens est impeditus. IV. Per condonationem promissarii. V. Per impotentiam. VI. Quando conditionata fuit facta, et conditio non est verificata. VII. Si facta fuit per metum, vim, aut errorem. Tandem quando est onerosa, et ex parte promissarii non fuit adimpletum, quod erat ponendum.

CAPUT II.

De Donatione

Q. Quid est donatio?

R. Donatio generatim accepta *est liberalitas nullo jure cogente facta*, L. *Donare* 29. de donat., nam si aliquod urgeat jus, non donatio, sed compensatio dicitur.

Q. Quotuplex est donatio?

R. Multiplex est, et I. Dividitur in *mere gratuitam, seu mere liberam, et remuneratoriam.* Prima est illa, quae nullius beneficii accepti intuitu fit: secunda, quae fit intuitu alicujus beneficii accepti.

II. Dividitur in *realem*, et *verbalem*. Prima est illa, quae fit cum traditione rei, quae donatur, ut statim fiat accipientis. Secunda est illa, quae fit solis verbis absque traditione doni, hinc prima dat *jus in re*, et dominium transfert ad donatarium, secunda jus tantum *ad rem*, jus scilicet personale, et dominium non transfert, nisi post traditionem. III. Dividitur in *donationem inter vivos*, et *donationem causa mortis*. Prima est cum is, qui donat, vult, ut statim res, quam donat fiat accipientis. Secunda est illa, quae fit propter mortis suspicionem, §. 1. Instit. tit. de donat. Advertendum tamen, quod suspicio mortis tripliciter considerari potest, et I. De praesenti, uti si quis donet ob propinquum mortis periculum. II. De futuro, uti si quis donet ob periculum navigationis, etc. III. Ut mera suspicio, uti si quis donet ob considerationem mortis (1).

Q. Quaenam differentia intercedit inter donationem causa mortis, et illam factam inter vivos?

R. Haec est, nam donatio inter vivos est irrevocabilis natura sua, exceptis quibusdam casibus, illa vero facta causa mortis est revocabilis, quia ambulatoria est voluntas defuncti usque ad extremum vitae exitum.

(1) Jure novissimo Cod. LL. Civ. donationes caussa mortis nullas prorsus esse cautum; quippe quod nemini facultas titulo gratuito de rebus suis disponendi datur, nisi vel testamentaria factione, vel donatione inter vivos: art. 813.

Digitized by Google

Q. Quinam possunt donare?

R. Omnes qui habent dominium, et administrationem illius rei, quam donant. Hinc amentes, filiifamilias, nisi de bonis castrensibus, vel quasi, modo sint puberes, pupilli, minores; Ecclesiasticae personae de bonis Ecclesiae, Cap. *Fraternitatem* 2. de donat., committentes delictum laesae Majestatis, L. 32. §. ult. D. de donat.: Tutores, et Curatores de bonis, quae administrant, L. 47. §. ult. D. de administr. Tutor, prodigi; aliique a jure prohibiti, donare non possunt (1).

Q. Donatio facta alicui praesenti, et tacenti estne valida?

R. Si est mere gratuita, est valida, quia qui tacet, consentire videtur, si vero est conditionata in gravamen donatarii, non valet, quia qui in tali casu tacet, nec consentire, nec dissentire videtur Layman. (2).

Q. Donationes, quae faciunt milites suis focariis, seu Concubinis, suntne validae?

R. Sunt nullae, utpote factae ob opus illicitum, quod nullum jus dat, et ita etiam cavit Justinianus in L. 2. C. de donat. inter vir. et uxor, ibi: *Milites tamen meos a focariis suis hac ratione, fictisque adulationibus spoliari nolo.*

Q. Quaenam differentia intercedit inter donationem causa mortis, et legatum?

R. Licet Justinianus donationem causa mortis *per omnia fere legatis* exaequavit. L. ult. C. de mort. caus. donat, et §. 1. Institut. de donat., attamen aliqua adest differentia: nam legatum pendet a testamento, ideoque testamento infirmato, corruit legatum, sed donatio independens est a testamento vel ab hereditatis aditione, sed ab ipsa donantis morte perficitur,

(1) Jure novissimo Cod. LL. Civ. art. 1818. constitutum, quod donatio inter vivos ab iis dumtaxat fieri possit, quibus rerum suarum libera inest administratio, et a jure inhabiles expresse non declarentur, proindeque civilibus juribus experles, nuptae, et minores donare prohibentur. Illud vero observatu dignum, quod nuptae donationem peragere possint, interveniente tamen earum conjuge, vel Judicis auctoritate interposita: art. 821. Item minorum donationes in contractu nuptiali factas in sponsas validas esse cautum, dummodo illorum ratihabitio accedat, quorum consensus ad nuptias contrahendas a Lege requiritur: art. 1049.

(2) Jure novissimo Cod. LL. Civ. cautum donationes prorsus irritas esse, nisi acceptatio donatarii accedat: art. 856. Quamobrem facultas donationes minoribus factas acceptandi patri, vel matri a Jure datur: iisque deficientibus, Tutori, deliberatione Consilii-familiae interposita: art. 859. Tum Ecclesiae, aliaque Venerabilia Loca, quippe quae juribus civilibus plenissime gaudent, art. 10. Cod. Civ.: ideo titulo lucrativo adquirere possunt, accedente tamen pientissimi Regis nostri Decreto: art. 826.; hinc cautum donationes iisdem factas ab illarum Administratoribus acceptari: art. 861. Postremo art. 860, sancitum, quod mutus, et surdus donationem per seipsum, si scribere possit, si vero nesciat, per curatorem designatum acceptare valeat.

Jam vero peracta acceptatione, rerum dominium in donatarium transfertur, licet ipsi non tradantur: in publicis vero hypothecarum tabulis donationis actus transcribi debet: art. 863.

Tandem donatio, quae ratione formae est irrita nullo pacto confirmari potest, nisi alia stipulatione a donante inita: art. 1293. At vero donantis heredes quoris actu illam ratam habere possunt: quo sequuto, jus donationem revocandi prorsus amittunt: art. 1294.

Digitized by Google

ac confirmatur, ita ut, si res mortis causa donata esset ante mortem, donatarius adquisivit dominium quidem, sed revocabile, quod post mortem donantis fit irrevocabile, et nulla alia indiget actione. Vid. Interpretes Jur. Civ. ad tit. de donat. caus. mort.

Q. Quantum quis donare possit inter vivos?

R. Donationem ultra quingentos solidos, quae summa hodie ad septingentos, vel secundum quosdam ad octingentos Italicos aureos excurrit, esse invalidam Jure Civili, §. *Alia autem*, 2. Instit. tit. de donat. quoad excessum tantum, *nam utile non debet per inutile vitiari* Reg. 37. Jur. in VI. Ratio institutionis est, quia non expedit Reipublicae, ut Cives ob donandi facultatem seu potius immodicam cupiditatem ad paupertatem redigantur, ideoque ad ejus validitatem requiritur insinuatio ex praecepto Judicis facienda, hoc est debet donator declarare, et manifestare se id donare ultra praescriptam summam, et ab ipso petere, ut instrumentum conficiatur, et in acta redigatur, dict. §. *Aliae autem* Instit. de donat. Vid. Layman lib. 3. de restit. Tract. 4. cap. 12. n. 15. (1).

Excipiuntur tamen nonnulli casus, in quibus licet donatio sit ultra quingentos solidos, omni jure tamen valida est, et I. Quando est facta, et Judicis jussu sit insinuata, uti jam dictum est. II. Quando est firmata juramento. III. Quando est facta ad pias causas, vel Ecclesiae, uti communiter tenent Canonistae, et Theologi, et arg. Cap. *Ecclesiae S. Mariae* 10. Constit. IV. Quando est remuneratoria, quia ista non est vera donatio, L. *Attilius* 27. injuncta Gloss., et L. penult. §. *Si quis* D. de donat. V. Donatio facta alicui pro reparatione aedium suarum, quae ruina, vel incendio consumptae sunt, L. penult. §. *Eamdemque* D. de donat., vel pro redemptione captivorum, cit. L. penult. princ.

Q. An lex insinuationis obliget in conscientia?

R. Minime, hinc donatarius non tenetur restituere in foro conscientiae, quando donatio ultra quingentos absque insinuatione est sibi facta, licet concedatur in foro externo donatori, ejusque heredibus actio adversus donatarium, ut agere possint de nullitate donationis, quoad excessum. Lessius, Salmantic., Molina, Layman, dummodo non excesserit juramentum, nam tunc etiam in foro externo denegatur actio repetenti, ut advertit Sylvius q. 6. Quare nisi in judicio, aut extrajudicialiter repetatur excessus non tenebitur in conscientia donatarius restituere, quia cum donator non repetit juri suo videtur cedere.

Q. An donatio omnium bonorum sit valida?

R. Minime, nam Jus civile irritat hanc donationem, L. *Stipulatio* 61.

(1) Jure novissimo Cod. LL. Civ. cautum quod donantes, si heredes legitimarios non habeant, omnia bona praesentia tum immobilia, cum mobilia cuivis donare possunt: art. 832. et 867. Quod vero bona futura spectat, ea dumtaxat in contrahendis nuptiis donari jus, fasque est: art. 1040. Tum si filii, vel ascendentes extent, quibus quota legitima debetur, donantes de semisse bonorum stipulationem dumtaxat peragere possunt: art. 829. Unde colligas donationem, quae partem disponibilem excedat, ad ipsum semissem reducendam: art. 837.: immo donatarius a die mortis donantis, si actio rescissionis intra annum instituatur, fructus perceptos legitimariis restituere adigitur: anno vero elapso, a tempore actionis promotae: art. 845.

Digitized by Google

D. verb. oblig.,cum per hujusmodi donationes auferatur potestas testandi, quod Jure civili indecens, et Reipublicae noxium existimatur.

Excipiuntur nonnulli casus,et I.Est quando donatio facta Ecclesiae, vel ad pias causas est.Dummodo vel inofficiositas hujusmodi donationi non obstet, vel legitimae potestatis pietas sanctorum Patrum vestigiis inhaerens quidquam decerpere ab hac donatione ad sublevandam conjunctorum inopiam non existimaverit. II.Quando est firmata juramento, quia quisque potest bono suo renuntiare, et jus civile in bonum donatoris hoc prohibuit. III. Quando aliquid aliud sibi reservavit, praeter alimenta sibi necessaria. IV.Quando causa mortis donavit.V.Quando est facta ratione alterius contractus onerosi, puta, ratione contrahendi matrimonium cum filia etc.

Q. An mortalesit facere donationem omnium bonorum?

R. Minime, modo fiat absque praejudicio alterius, quia secluso damno, vel praejudicio tertii, illae leges solum sunt circa politicam hominum decentiam; vel proligalitatem arcendam quae secundum se non est materia gravis, obligans ad mortale. Advertendum tamen, quod donator, sicut et ejus heredes habent jus ad eam repetendam. Ita communiter, cum Bonac.

Q. Num fieri possit donatio Ecclesiae, vel Monasterio extruendo?

R. Minime, uti patet ex Cap.3.de sentent.,et re judic.in VI., sed solum relinqui aliquid aliud potest per modum legati, Cap. 3. de testam., ratio est, quia cum donatio sit species pacti, requirit, ut pars altera sive per se, sive per alium acceptet: Ecclesia autem, aut Monasterium, quae nondum sunt constructa, acceptare non possunt, quia ut ajunt non entis nullae sunt qualitates. Dispositio autem legati pii non requirit acceptationem legatarii, quia heres executurus legatum est. Potest tamen Ecclesiam extruendam heredem instituere testator; nam tunc heredem instituit Animam suam, et executionem testamenti Ordinario loci,aliisve a se deputatis censetur committere.

Not. Hodie ob generalem *amortizationis* legem, quam condidit piissimus Rex noster Ferdinandus IV. die 9 Septembris 1769, Ecclesiae, loca pia, et laicorum sodalitia novas adquisitiones facere non possunt quocumque titulo, sive contractu, sive actu ultimae voluntatis. Excipe tantum loca pia laicalia, quae usbus publicis, piisque operibus in egentium levamen destinata sunt, uti sunt Nosocomia (1).

Q. An donatio inter conjuges sit valida?

R. Non statim est firma, nam potest ad nutum donantis revocari, si ex illa donans fiat pauperior, et donatarius ditior, Cap. *Donatio* 8. de donat. inter vir. et uxor., et L. *Haec ratio* 3. D. eod. tit. ibi: *Majores nostri inter virum,et uxorem donationes prohibuerunt amorem honestum sodis animis aestimantes, fama etiam conjunctos consulentes, ne concordia pretio conciliari videretur.*

Nonnulli tamen casus excipiuntur, in quibus hujusmodi donatio valet. I. Si facta sit donatio inter Principes Conjuges, quia Imperiales contractus legis vim obtinent, L. penult., C. de donat. inter vir., et uxor. II. Si juramento firmetur. III. Si aequatur mors donatoris, et neque expresse, neque tacite revocata sit, dict. Cap. *Donatio* de donat. inter vir., et uxor.

(1) Videsis nostras additiones pag. 216. h. cap.

Digitized by Google

IV. Si sit remuneratoria. V. Si donatio sit facta ad consequendam aliquam dignitatem, vel ad proficiscendum in bellum, vel ad addiscendas literas, L. 41. et seq. D. de donat. inter vir., et uxor. VI. Si fiat ad tollendam inaequalitatem, v.g. Senex vir donet uxori juveni, ignobilis nobili etc., uti tenent communiter DD. VII. Si ex ea non sit factus locupletior conjux donatarius, etiamsi conjux donans pauperior fiat donando, L. *Si sponsus*. §. 16. D. eod. tit. VIII. Valet donatio, si per eam vir uxori dotem promissam remittat. L. *Si constante* C. de donat. ante nupt. Hic nota, quod donatio inter virum, et uxorem, quae morte confirmatur, requirit ante mortem rei donatae traditionem L. *Papinianus* 24. D. de donat. inter vir. et uxor., secus nulla est (1).

Q. An donatio facta filio a patre sit valida?

R. Non est omnino firma, si filius nondum sit emancipatus; nam potest arbitrio Patris revocari. L. *Cum de bonis* II. C. de donat., et L. 2. C. de inoffic. donat., quia filius non emancipatus, censetur eadem persona cum patre, ideoque pater, quod donaret filio, sibi donaret: non sic autem de matre, cum filius non sit sub potestate matris, ac proinde non censentur una persona, §. *Feminae* Instit. tit. de adoptionib. Excipiuntur tamen aliqui casus, in quibus est valida donatio, et I. Est si firmetur juramento. II. Si pater moriatur. III. Si filius sit emancipatus, L. *Donationes* 32. §. 2. D. de donat., et L. 17. C. eod. IV. Si filius sit naturalis. V. Si sit facta causa dotis, vel matrimonii, remunerationis, L. *Cum pater* §. 25. D. de legatis, aut causa prosequendi studii, L. 15. C. de negotior. gestor. proficiscendi ad militiam, L. *Castrense* 11. D. de pecul. castr., aut demum causa ordinis sacri suscipiendi. VI. Si donat usumfructum adventitiorum bonorum.

Q. Si pater ab intestato moritur; donationes factae, suntne conferendae in divisionem, et portionem hereditatis?

R. Si factae sunt ob dotem, vel propter nuptias, sunt conferendae in he-

(1) Ex Pragmatica a Duce Oxunae Regni Neapolitani Prorege lata ann. 1617. cautum, quod si vir uxori donare vellet ea stipulatione, quae effectum sortiretur, si ante mulieris fatum ipse decederet, ideoque *antefatum* dicta, hisce conditionibus ea fieret. I. Antefatum deberi non in proprietate, sed in usufructu. II. Variam esse antefati quantitatem pro diversa dote, puta pro dote ducatorum 4000, aut infra, antefatum esse usufructum tertiae partis dotis: pro dote 4000. usque ad 10000, antefatum esse usumfructum quartae partis, et sic deinceps: Vid. cit. Prag. III. Ut ab haeredibus mariti proantefato detur viduae secundo nubenti medietas ejus, quae virgini primum nubenti daretur. IV. Mortua muliere, sive extantibus, sive deficientibus filiis, antefatum redire ad heredes mariti. Advertendum tamen, quod haec Pragmatica lata fuit precibus hujusce Civitatis Baronum, et Regni, ideoque locum habebat non solum in hac Urbe principe, sed in Regno Universo.

Praeterea Jure Novissimo Cod. LL. Civ. sancitum conjuges posse inter se donationes inire: at vero licet stipulatio isthaec inter vivos fuerit, est tamen revocabilis: nec mulier auctoritate viri indiget ad illam revocandam: art. 1050. Donationes vero, quae in contractu nuptiali inter sponsos fiunt, irrevocabiles prorsus sunt: art. 1046.

Tum conjux, qui filios habeat ex primo conjugio ad secunda vota transiens nequit plus donare sponso, quam quivis ex filiis legitimis accipiet: art. 1052. Illud quoque observatu dignum quod conjuges uno eodemque instrumento vicissim donare sibi nequeant art. 1051.

Digitized by Google

reditatem, L. *Ut liberis* C. de collationib., vel sunt factae causa Patrimonii sacri, quia per haec filius stabilem sibi statum comparat, non minus quam per donationem propter nuptias, vel in dotem, vel sunt factae post emancipationem, nisi pater aliud non exprimat, nam si pater velit, quod non conferantur, istae donationes in hereditatis divisione conferendae non sunt. Aliae vero donationes factae, puta causa militiae, studii, remunerationis etc. non sunt conferendae in hereditate. Vid. Perez. ad tit. C. de collat.

Q. Donatio facta per procuratorem estne valida?

R. Maxime, dummodo procurator habeat speciale mandatum ad donandum, et in eo exprimatur quid, et quantum donandum sit, et cui. Less., Layman.

Q. Quid si dum procurator defert dona missa a donatore, et antequam perveniat ad donatarium, moriatur donator?

R. Res restituenda est heredibus donatoris, quia nullum jus translatum erat in donatarium. Quod sane patet ex L. 2. D. de donat. §. 6, ubi haec habentur: *Si quis donaturus mihi pecuniam,* dederit alicui, *ut ad me perferret, et ante mortuus erit quam ad me perferatur, non fieri pecuniam domini mei constat.* Verum si antea fuit acceptata per litteras donatio, tunc res debetur donatario. Porro si culpa procuratoris res non pervenit ante mortem donatoris in manum donatarii licet res debeatur heredibus, tenetur tamen ad aequivalentem praestandam donatario: quia procurator fuit injusta causa damni.

Q. An donatio inter vivos revocari possit?

R. Ex L. ult. C. de revocand, donat., non posse revocari, ut aperte habetur in eadem lege: *Generaliter sancimus, omnes donationes lege confectas, firmas, illibatasque manere.* Ab hac tamen generali regula excipiuntur nonnulli casus, in quibus donatio inter vivos possit revocari, quamvis traditione sit perfecta, et sunt ob donatarii ingratitudinem, ob prolem postea susceptam, et ob inofficiosam donationem (1).

Q. Quando habetur ingratitudo, quae sufficit ad revocandam donationem?

R. In quinque delictis. I. Si donatarius manus impias, ac violentas injecerit in donatorem, Cap. *Propter* 10. de donat. II. Quando donatarius atro-

(1) Jure novissimo Cod. LL. Civ. cautum donationes ob insignem ingratitudinem non revocari ipso jure, art. 881: sed donantes actionem intra annum ex tempore patrati facinoris adversus donatarium instituere debent: atvero in ejus heredem actio isthaec promoveri nequit. Si autem donantes intra annum actionem instituant, vel hoc temporis intervallo decedant, ejus heredibus potestatem facit lex eam persequendi, vel instituendi: art. 882. Illud quoque animadvertendum est alienationes, et hypothecas a donatario constitutas irritas non esse, sed rerum pretium, quas distraxit donanti restituere tenetur cum fructibus a die, qua donationis revocatio in judicio promota fuerit art. 883. Quod si donationis revocandae actio judicialis in publicis hypothecarum tabulis transcripta fuerit, tunc alienationes, et hypothecae posteriores omnino sunt nullae: art. cit. 883. Atvero donationes propter nuptias ob ingratitudinem revocari nequeunt: art. 884.

Praeterea si donatarius pacta, et conditiones, quae donationi accesserunt minime servarit, rescinditur quoque isthaec stipulatio, bonaque ad donantem transmitti cautum a quibusvis oneribus prorsus libera: immo a tertio possessore ea vindicare donanti jus est: art. 879.

Digitized by Google

cem injuriam in eum effundat. III. Quando notabile damnum ejus bonis intulerit, cit. Cap. *Propter* de donat. IV. Si donantis vitae insidias per se, vel per alium struxerit, etiamsi mors secuta non fuerit, Abb. in cit. cap. *Propter* de donat. V. Quando gravamina donationi apposita non implevit, cit. L. ult. C. de revocand. donat.

Not. Donatio ob hasce quinque causas revocari potest, etiamsi juramento confirmata sit, quia juramentum sequitur naturam sui principalis, cui adjungitur: donatio enim ex juris dispositione hanc tacitam conditionem habet: *Nisi donatarius ingratus fuerit.* Quod si huic licentiae revocandi renuntiaverit cum juramento, valet renuntiatio, et tenetur juramento, quia poterat juri suo renuntiare. Ita communiter.

Q. An actio ingratitudinis adversus ingratum transit ad heredes?

R. Non transit ad heredes actio ingratitudinis, ideoque defuncto donatore extinguitur ista actio, L. 1. C. de revocand. donat. Hoc habet tamen locum, quando donator scivit causam ingratitudinis esse commissam, et tacuit, vel fuit impeditus, secus si donator ignorat. Bartol. ad L. 15. D. solut. matrim., Layman. Less., aliique communiter.

Q. Quando dicitur donatio inofficiosa filiis?

R. Quando quis donando non reliquit legitimam filiis debitam, quae rescindi omnino debet, quoad eam partem, qua diminuitur filiorum legitima, non autem quoad totum, etiamsi fuit juramento firmata, L. *Si totas* 5, L. *Si mater* 7, et L. 8. C. de inoffic. donat.

Q. An donatio inter vivos revocari possit ob prolem postea susceptam?

R. Si a donatore, et donatario fuit expressum, seu cogitatum, quod ideo fiat donatio quia donator liberos non habet, liberis natis statim fit totius donationis revocatio, quia causa, seu conditio donationis tunc deficit: et porro nemo censetur alienos seu extraneos posteris suis praeferre velle. Clarus §. *Donatio* quaest. 22. n. 1. Molin. tract. 2. disput. 282. n. 1. Quinimo revocari etiam posse donationem, etiamsi cum donaretur nihil esset de liberis cogitatum, quia ex Juris dispositione censetur facta cum hac virtuali conditione: *Si liberos non suscipiam.* L. *Si unquam* C. de revocand. donat. Et licet in dicta lege ageretur de Patrono respectu liberis, propter paritatem rationis extensum est etiam ad alios.

Aut expresse fuit actum, ut valeat donatio, etiamsi liberi nascantur, et tunc revocatur donatio usque ad debitum bonorum subsidium, hoc est legitimam, argum. L. 5. C. de inoffic. donat: nisi donatio fuit remuneratoria, nam tunc revocari non potest, quamvis postea donatori nascuntur filii, quia non est mera donatio ex liberalitate, sed potius compensatio meritorum, uti tenent communiter DD. (1).

(1) Jure novissimo Cod. LL. Civ. art. 885., et 886. cautum donationem quavis caussa initam, vel remunerationis titulo ipso jure irritam fore, si donanti filius legitimus, licet ante donationis stipulationem conceptus, vel posthumus nascatur, vel illegitimus per subsequens conjugium legitimus evadat: immo cautum donantem, huic juri, quod sane proli nascituae favet, minime renuntiare posse: art. 890. Quamobrem licet donatarius res sibi donatas post filii nativitatem possidere incoeperit, eas tamen omnibus oneribus solutas cum fructibus a die, qua ei rite nativitas innotuerit, restituere adigitur art. 887., et 888. Tum sancitum nullo pacto res do-

Digitized by Google

Q. Quinam possunt donare causa mortis ?

R. Omnes, et soles, qui possunt testari, quia cui permittitur testamenti factio, permittitur etiam donatio causa mortis, L. *Cum hic status* 31. D. de donat. inter vir. et uxor.

Q. Num requirantur testes ad donationem causa mortis ?

R. Requiri testes, et ad donationem causa mortis, et inter vivos, ita tamen, quod ad primam per se requirantur quinque testes; ad secundam vero duo. Advertendum tamen, quod in conscientiae foro, donatarius possit retinere tuta conscientia rem sibi donatam, licet non habeat aliquam probationem exteriorem, modo tamen sciat, defunctum verum animum donandi habuisse.

Q. Ex quotuplici capite donatio causa mortis potest revocari; etiamsi res tradita sit donatario ?

R. Ex triplici. I. Ex revocatione expressa, sive tacita donatoris. II. Ex morte donatarii ante donatoris mortem. III. Si donator donaverit intuitu instantis periculi mortis, tacite censetur revocata, sublato periculo, quia censetur facta sub hac conditione. *Si non evasero periculum.* In quibus casibus si res tradita fuit, non solum ipsa res peti potest a donatore, sed etiam fructus percepti, L. *Cum quis* D. de condict. caus. dat. et Porro causa mortis possunt donari omnia bona, etiam ultra quingentos absque insinuatione, et potest donari omnibus, puta, filio, patri, uxori etc. Ita DD.

Q. An donator de evictione teneatur ?

R. Aut evictio est promissa, et donator de ea tenetur. L. 2. C. de evict., aliter vero si evictio a donatore promissa non fuisset, tunc enim donator de evictione non tenetur, L. 62. D. de Edilit. edict., ne eo casu donator suae liberalitatis poenam patiatur, nisi dolus donantis intervenit. Tunc enim actionem de dolo contra donantem ei competere constat, L. 1. C. de juram. dot.

CAPUT III.

De Deposito, et Sequestro

Q. Quid est depositum ?

R. Est contractus, quo aliquid alicui custodiendum traditur, sine mercede, ut integrum restituatur. Ita communit. ex L. 1. §. 1. D. deposit. Quare nota, quod depositum differt a commodato, quia depositum traditur ad custodiendam rem, commodatum ad concedendum commodatario usum rei, non suae. Differt a pignore, quia pignus fit ad creditoris securitatem; differt a mutuo, quia per mutuum transfertur dominium : secus vero per depositum (1).

natas, earumque fructus eum posse praescribere, nisi spatium 30. ann. a die, quo postremus filius donanti natus fuerit, decurrat: art. 891., et seq.

Atvero si donatarius accepta donatione matrimonium contrahat, et hypothecae vinculo de uxoris dote super re donata caveat: tunc bona isthaec in subsidium hypothecario jure affecta ad dotem solvendam remanent art. cit. 888.

Denique constitutum quod donationes ob prolem susceptam rescissae, licet filius decesserit, non reviviscant art. 889.

(1) Jure novissimo Cod. LL. Civ. art. 1795. sancitum quod depositi voluntarii

Digitized by Google

Q. In cujus favorem hic contractus celebratur?

R. Celebrari in favorem deponentis, nulla mercede data, vel promissa, nam aliter esset contractus locationis, et conductionis, cum depositarius accipiens mercedem, censeatur suas operas ad rem custodiendam alteri locare.

Q. De qua culpa tenetur depositarius, si res pereat, vel deterioretur?

R. Tenetur de dolo, et culpa lata, L. 1. C. deposit., ibi: *Qui depositum accipit, dolum solum, et latam culpam praestare debuit;* quia est contractus in gratiam dantis. Si vero depositarius mercedem accipiat, tenetur de culpa lata, et levi, quia contractus evadit in gratiam utriusque, Cap. *Bona fides* 2. de deposit, tenetur etiam de culpa levi, si seipsum ad recipiendum depositum obtulit, cit. Cap. *Bona fides* de deposit. ubi expresse statuitur. *De culpa quoque teneris, si teipsum deposito obtulisti*, quia depositarius seipsum offerens ad recipiendum depositum, statim ad diligentiorem custodiam sese obligare censetur. Ast si depositarius fuit mora culpabili restituendi depositum, vel ita se obligavit, tenetur de casu fortuito. Item quoque dicendum, si culpa praecesserit, atque attulerit casum fortuitum, ubi expresse habetur in cit. Cap. *Bona fides*, ibi: *Pacto vero, vel mora praecedentibus, casus etiam fortuitus imputatur?*

Q. An dentur casus, in quibus depositarius ex juris dispositione de omni culpa teneatur?

R. Maxime, et est quando depositarius est caupo, stabularius, vel nauta, uti patet ex tit. Digest. Nautae, Caupones etc., quod idcirco a jure fuit statutum, ne aperietur via fraudibus. In quo est advertendum, quod aliqui Doctores, cum Sylvio teneant, istos in foro conscientiae non teneri, nisi de culpa levi, et lata, accepto stipendio; quia forum externum in hac parte nititur praesumptione fraudis, ac proinde statuit obligari istiusmodi homines, ac teneri de omni culpa.

Q. An depositarius possit uti deposito?

R. Minime sine expressa, aut tacita, vel praesumpta domini licentia, nam aliter censeretur furtum committere, §. 6. Institut. tit. de obligat., quae ex delicto, nascunt, quia utitur re aliena invito rationabiliter domino, et peccat graviter vel leviter, prout est ejus usus.

Q. In quibus casibus habetur tacitus, aut praesumptus deponentis consensus?

R. In his casibus, scilicet I. quando usus rei depositae cedat in commodum, atque utilitatem ipsius deponentis. Quando deponens dat in depositum numeratam pecuniam, non clausam, neque obsignatam, qui censetur depositario mutuo dare, et in hoc casu omne periculum ad depositarium pertinet, quia utendo fit dominus rei depositae. L. 1. §. 33. D. deposit. Idem quoque dicendum, si depositum fuerit alterius rei usu consumptibilis concesso rei usu ipsi depositario, quia tunc quoque depositum transit in mutuum, cum eadem obligatione, ut periculum omne ad ipsum pertineat.

ontractus in scripturam redigi debeat, si res, quae deponuntur duc. 50. excedant. estes vero in probatione necessarii depositi, quod utique fit ob tumultum, incen-ium, ruinam, naufragium adhiberi possunt: art. 1822.

Digitized by Google

Q. Quid si quis deponat pecuniam apud alterum data ipsi facultate utendi, dummodo aliquid sibi deponenti praestet ?

R. Committit usuram, quia aliquid exigit non ex deposito, sed ex contractu mutui, nam cum dat jus utendi pecunia, nihil aliud facit, nisi pecuniae dominium tradere, quod pertinet ad mutuum, L. *Certi* D. de reb. cred. Idem dic de deposito aliarum rerum consumptibilium.

Q. An depositarius, qui exponit negotiationi pecuniam depositam, et obsignatam, possit retinere lucrum inde perceptum?

R. Potest, quando exposuit illam proprio nomine, et periculo, quia illud lucrum est fructus industriae, Layman, Less., aliique. Dixi *quando exposuit nomine proprio*, quia si exposuerit titulo domini, tunc eidem debetur lucrum, quia aequum est, ut ejusdem lucrum sit, cujus et damnum foret. Ita communiter.

Q. Quid dicendum si depositarius inveniat rem depositatam sibi esse furtivam, cuinam tenetur illam restituere ?

R. Stricto jure tenetur deponenti repetenti rem depositam restituere ad servandam fidem depositi, L. *Si quis* 11. C. deposit. Excipitur tamen: I. Quando dominus una cum fure repetit, uti tenet Glossa in cit. Cap. 2. de deposit. II. Quando non potest restitui furi sine domini detrimento, quia tunc aequitas postulat, ut domino potius restituatur, quippe qui majus jus habeat, L. *Bona fides* 31. D. tit. eod.

Q. Quaenam sunt obligationes depositarii ?

R. Plures, scilicet I. Est ut rem custodiat, ita ut, si dolo, sive ipsius culpa lata res pereat, teneatur illam restituere, ut supra dictum est. II. Non potest uti re deposita sine consensu expresso, vel tacito domini, vel nisi usus convertatur in commodum, et favorem domini. III. Tenetur deponenti reddere depositum, statim ac repetit, nisi dominus in damnum suum, vel aliorum repetat.

Q. Quid est sequestrum, et quotuplex ?

R. Est species depositi, et proinde est contractus, quo res alicui tertio custodienda traditur, dum aliqui de ea litigant, ut finita lite rem victori restituat, L, *Licet* 17. D. deposit. Sequestratio duplex est *necessaria*, et *voluntaria*. Prima est illa, quae fit auctoritate Judicis. Secunda est, quae fit ex partium conventione.

CAPUT IV.

De Commodato, et Precario

Q. Quid est commodatum ?

R. Est contractus, quo res gratis utenda datur ad certum tempus, ac certum usum ea lege, ut eadem in specie restituatur, L. *Sed mihi* §. ult.

Quare deducitur ex his, quod materia commodati est res, quae usu non consumitur, quia si consumatur, est materia mutui, nisi forte ad ostentationem concedatur. Praeterea usus rei commodatae est definitus, unde furi reus censetur commodatarius, si utatur re commodata ad alium usum, praeter eum a domino praescriptum, nisi expresse, vel tacite dominus consen-

Digitized by Google

tiat. Tandem contractus iste traditione perficitur, nam ante traditionem est nudum pactum.

Q. De qua culpa tenetur commodatarius, si res pereat, vel deterior fiat?

R. De omni culpa, etiam levissima, cum sit contractus in gratiam accipientis, Cap. *Cum gratia* unic. de commod., et L. *In rebus* de commod., ibi: *In rebus commodatis talis diligentia praestanda est, qualem quisque diligentissimus paterfamilias suis rebus adhibet.*

Q. An dentur casus, in quibus commodatarius tenetur dumtaxat de culpa lata, et levi, non vero de levissima?

R. Maxime, nam tenetur de culpa lata, et dolo commodatarius, dum aliquis sua causa dumtaxat commodat aliquid ipsi, ut torquem sponsae de futuro ad hoc ut honestius culta sibi appareat, quo in casu est in gratiam dantis commodatum, sicut etiam tenetur de culpa levi, cum quis commodatum dat in gratiam utriusque, scilicet, tum sui commodantis, tum commodatarii, uti si commodat equum alteri ad inveniendum communem amicum, quo in casu etiam est in gratiam utriusque commodatum.

Q. An teneatur commodatarius de casu fortuito?

R. Regulariter loquendo non teneri, quia nemo tenetur ad id, quod absque culpa evenit, et de cetero res, quae perit casu fortuito, domino perit.

Dixi *regulariter loquendo*, quia dantur casus, in quibus commodatarius tenetur de casu fortuito, et I. Est ratione contractus, uti si se obligavit de casu fortuito. II. Ratione morae, uti si non restituat tempore praefixo commodatum culpabiliter. III. Ratione culpae, uti si habeat equum ad pergendum Capuam, et pergit Romam, cit. Cap. *Cum gratia* de commod. (1).

Q. Quid si res aliqua individua, v. g. plaustrum, jumentum etc. duobus commodavit, et unius dolo, vel culpa periit, vel deteriorata fuit?

R. Si ex culpa unius accidit id, tenetur ille, qui commisit culpam, quam ille tenetur ad damnum, qui illius causa injusta fuit. Si vero uterque culpam contulit, uterque in solidum tenetur, cum uterque fuit tota causa injusta damni. Et hoc locum etiam habet in locatione, et deposito. Sin autem duo obligationem contrahant non ex culpa, sed ex pacto, quia se obligaverunt etiam pro casu fortuito rei commodatae, locatae, vel depositae, singuli pro parte tenentur, nisi expresse obligaverunt in solidum, L. 1. §. *Apud duos* D. deposit. junct. Gloss.

Q. Quid si ex re commodata damnum passus est commodatarius, num teneatur illud resarcire commodator?

R. Teneri, quando commodator processit cum dolo, vel culpa crassa, seu lata, puta sciens, vas vitiosum commodavit, et vinum effusum, vel corruptum est, L. *rebus* D. commod.

Q. An commodator possit repetere rem commodatam ante praefixum tempus?

R. Regul. loquendo non posse, quia aliter infert commodatario inju-

(1) Jure Novissimo Cod. LL. Civ. art. 1754. cautum quod Commodatarius rei commodatae casum sentiat, si hanc sartam, tectamque servare potuisset, propriam subrogando: vel cum illi res aestimata tradatur, nisi aliud pactum stipulationi accesserit: art. 1755.

Digitized by Google

riam. L. *Commodato*. §. 3. D. eod., nam etsi commodare sit liberae voluntatis, et officii, non necessitatis, postquam tamen est commodatum, convertitur in obligationem, civilemque actionem, juxta Reg. 33. Jur. in VI. *Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum.*

Dixi *regulariter loquendo*, quia datur casus, in quo commodator potest repetere rem commodatam ante tempus praefixum, et finitum usum, et est quando majus, vel aequale damnum est passurus, nisi rem commodatam ante tempus, vel finitum usum revocet, quia ad hunc inopinatum eventum non censetur se voluisse obligare, qui gratis commodavit, nam unusquisque praesumitur ex re sua magis sibi ipsi, quam alteri prospicere velle. Lessius, Molina, aliique (2).

Q. Quaenam sunt obligationes, seu officia commodantis, et commodatarii?

R. Sunt plures, scilicet I. Debet monere commodatarium de vitio rei, si inest, secus tenebitur de damno inde secuto, L. 12., et 18. D. commod. II. Non debet repetere commodatum sine necessitate ante praefixum usum, tempusve. III. Debet commodare gratis, alias contractus erit locationis, vel contractus innominatus.

Obligationes commodatarii sunt. I. Debet restituere rem commodatam adveniente statuto tempore, licet a domino non petatur, *nam dies statuta pro domino interpellat*, Cap. ult. de locat., secus tenetur de casu fortuito. II. Debet uti re ad usum concessum. III. Debet facere expensas necessarias ordinarias in re commodata, non autem expensas extraordinarias. Antoine, Concina, aliique.

Q. Ad quem spectant expensae factae a commodatario, tempore commodati?

R. Vel loquimur de expensis ordinariis, et dico spectare ad commodatarium, quia cujus est commodum, ejus etiam incommodum esse debet. Vel loquimur de extraordinariis, et dico spectare ad commodatorem, quia istae cedunt in sui utilitatem. cit. L. *In rebus* §. *Possunt* De commod.

Q. Quid est precarium?

R. Est illud quod precibus petenti utendum conceditur, quamdiu is, qui concessit, patitur, L. 1. D. de precario.

Q. De qua culpa obligat precarium?

R. De dolo, et culpa lata L. *Quaesitum* 8. §. *Eum quoque* et. L. *Ait praeter* 2. de precario.

Q. Quaenam differentia intercedit inter precarium, et commodatum?

R. Haec est, quod in commodato datur usus vel tempus determinatum, in precario vero non; in commodato tenetur quis de culpa levissima, in precario de culpa lata, et dolo tantum ob obligationem, quae suscipitur restituendi ad nutum domini petentis.

Q. Expensae circa rem acceptam in precario, a quonam debent fieri?

R. Ordinariae fiunt ab eo, qui accipit precarium, extraordinariae vero a domino: cetera conveniunt cum iis, quae de commodato dicta sunt.

(1) Jure novissimo Cod. LL. Civ. art. 1761. sancitum quod interposita Judicis auctoritate, Commodans ante tempus in contractu definitum rem vindicare possit, si grave damnum sentiat, nisi illam repetat.

Digitized by Google

Q. An statim dominus possit repetere precarium?

R. Non potest statim, sine cogente necessitate, nam frustra, et illusorie fuisset concessum, quia etiam a precario fraus, et dolus abesse debet, ne beneficium alicui praestitum ipsi damnosum efficiatur. Ita Abbas in Cap. de precario num. 13.

Q. In quibus rebus potest constitui precarium?

R. Non solum in rebus corporalibus tam mobilibus, quam immobilibus, sed etiam in juribus, uti ait Cajus in L. 3. D. de precar. ibi.: *Si me precario rogaverit, ut per fundum meum aquam ducas, vel stillicidium immittas?*

Q. Ex quotuplici capite revocatur precarium?

R. Ex multiplici, et I. Expressa concedentis voluntate II. Tacita etiam voluntate concedentis, uti si rem precario concessam vendas, vel alteri dones. III. Morte illius, cui fuit concessum precarium; nam non transit ad heredes, cum sit gratia personalis, L. 11. D. eod. IV. etiam morte concedentis, si precarium fuit concessum ad beneplacitum tradentis, quia voluntas, et beneplacitum cessat per mortem, cap. *Si gratiose* 5. de rescript. in VI.

Dixi *si fuerit concessum ad beneplacitum tradentis*, quia si fuerit concessum absolute, non cessat morte concedentis, sed revocatione heredis; quia in hoc casu durat, quamdiu a concedente, vel successore non revocatur, uti tenent DD. communiter.

CAPUT V.

De Pignore, et Hypotheca

Q. Quid est pignus?

R. Est contractus, quo debitor dat creditori rem aliquam, ut sit pro debito obligata, et ex ea satisfieri possit, si aliter satisfactum non fuerit. Ita communiter.

Q. Quid est hypotheca?

R. Est contractus, quo a debitore res aliqua obligationi subjicitur pro cautione debiti erga creditorem. Hinc clare patet discrimen, quod intercedit inter pignus, et hypothecam, nam pignus est de re mobili, hypotheca de re immobili. Pignus transit in manus creditoris, hypotheca vero remanet penes debitorem (1).

(1) Quamvis inter pignus, et hypothecam alioquin maximum sit discrimen, cum pignus praecipue contractu, hypotheca pacto praetorio constituatur: illud traditum sit, haec sine traditione subsistat (§. 7. *Instit. de act. L. 278. D. de verb. signif.*); attamen quod ad jus ex utroque natum attinet, nullum in eo discrimen est (L. 5. §. 1. *D. h. t.*). Ex utroque enim jus in re nascitur creditori in securitatem crediti constitutum (*L. 30. D. act. nox.*): quae omnia in Codice novissimo penitus confirmantur. Videsis art. 1641., 1943., et 2000.

Jamvero hypotheca prout constituitur vel a Lege, vel caussa cognita per sententiam Judicis, vel contrahentium voluntate, eatenus vel *legalis*, vel *judicialis*, vel *conventionalis* dicitur: art. 2002. Legali autem hypotheca ratione dotis potiuntur nuptae in viri bonis ob ejus repetitionem: tum minores, et interdicti ob rerum suarum administrationem in bonis Tutorum: denique Fiscus, Universitates, necnon pu-

Digitized by Google

Q. Oppignoratarius de qua culpa tenetur?

R. De culpa levi, quia est contractus in gratiam utriusque. Concina, Collet.

Q. Quotuplex est hypotheca?

R. Triplex est, *Praetoria*, quae Judicis praecepto, vel sententia constituitur, *Conventionalis*, quae partium contrahentium consensu ponitur, et *Legitima*, quae non Judicis praecepto, neque contrahentium consensu, sed tantum dispositione juris constituitur, quae et tacita hypotheca vocatur.

Q. Quotuplex est hypotheca conventionalis?

R. Duplex, generalis, et particularis. *Generalis*, quae se extendit ad omnia bona non solum praesentia, sed etiam futura debitoris; exceptis tamen iis, quae nemo prudens in specie facile obligaret, uti sunt vestis quotidiana, et suppellex, doctoris libri, artificis instrumenta etc. *Particularis* est illa, quae unius rei, vel plurium rerum determinatarum obligationem continet. Quibus personis competit tacita hypotheca Vid. Perez. ad tit. C. de pignor., et hypothec.

Q. Quaenam res oppignorari, vel hypothecari possunt?

R. Quaecumque res, quae vendi, et emi possunt, unde credita, fundi, jura, actiones etc. pignori, et hypothecae subjici possunt; quia vendi possunt. Hinc res sacrae, Religiosae, publicae etc. oppignorari non possunt; nisi adsit gravis necessitas, et consensus Superioris.

Q. Quaenam sunt obligationes accipientis pignus, vel hypothecam?

R. Tenetur I. Diligenter servare rem oppignoratam, et curare, ne pereat, vel deterior fiat, secus tenetur de damno secuto ex culpa lata, et levi. II. Non potest uti re oppignorata, quia pignus non ad usum sed ad securitatem datur, et si creditor utatur, debet valorem usus, deductis expensis, in sortem computare, potest tamen creditor pignus alteri oppignorare, sed non pro majori quantitate, quam sit suum creditum, nec pro majori tempore, quam usque dum sibi satisfactum fuerit a suo debitore, L. 1. C. si pignus pignor. dat., nam non durat secunda oppignoratio, nisi donec extinguatur prima. III. Non potest vendere pignus, nisi debitore tempore debito non solvente, et eo prius monito. IV. Soluto integre debito, tenetur statim restituere pignus, quia cessat titulus retinendi. V. Non potest apponere poenam *commissi*, scilicet, ut si debitor non solvat statuto tempore, pignus sit creditoris, nam talis conventio, ut exorbitans, utroque jure prohibetur, Cap. *Significante* de pignor., Concina, Stampò, aliique communiter.

Not. Pactum in pignore appositum, quod si ad certum diem solutio facta non fuerit, pignus creditori vendatur pretio aestimato a viro prudente, justum, et licitum est, L. *Si fundus* 16. D. de pignorib., et ita communiter

blicae Administrationes in Administratorum bonis ob res ab ipsis gestas: art. 2007.

Praeterea art. 2004. sancitum quod tum res immobiles, tum earum accessiones, ac usufructus oppignorari possint: ob negotiationis maritimae vero utilitatem cautum quod naves, licet mobiles sint, a tertio tamen possessore vindicari possent: art. 202. Cod. LL. Comm. et 2006 Cod. LL. Civ.

Tandem illud observatu dignum, quod conventionalis hypotheca per scripturam authenticam contrahentium consensu constitui debet: art. 2013., necnon in publicis hypothecarum tabulis illa inscribatur oportet; art. 2040., et singulis decenniis renovari debet: art. 2048.

Digitized by Google

DD., quia hujusmodi obligatio debitori imponitur, partim in poenam dilatae solutionis, et partim ob interesse creditoris. Sicut enim justum est pactum, ut si pensio, vel census biennio non solvatur, pignus, vel hypotheca distrahatur, atque inde accepto debito, quod reliquum est, debitori restituatur, L. *Si convenit* D. de pign. act. et L. final. § 1. C. de jur. domin. impet., et communiter. DD.

Q. Quaenam sunt obligationes dantis pignus, vel hypothecam?

R. Sunt plures, nam I. Tenetur rem non dare pluribus in pignus, vel hypothecam, nisi sit sufficiens pro omnibus debitis, alias deciperet creditores. Et hic nota, quod res uni oppignorata, si alteri postea oppignoretur, etiam sciente priore creditore, et ignorante posteriore, prior videtur cedere jura sua posteriori, si autem fiat secunda oppignoratio ignorante priore creditore, salva remanent jura istius, sed secundus creditor habet actionem hypothecariam, hoc est, potest cogere debitorem, ut aliam rem sufficientem det loco pignoris prioris.

II. Tenetur creditori impensas factas in pignoris conservatione restituere licet creditor teneatur restituere fructus, vel pretium usus, quos percepit ex pignore, demptis expensis, imo et fructus, quos ex dolo, culpave sua levi non percepit, sed percipere potuisset. L. 1 et 2. C. de pignor. act.

III. Tenetur non vendere rem hypothecatam, nisi monito emptore de hypotheca, aliter illum graviter deciperet, qui emeret rem onerat. m pro libera. Ast si alienatur res hypothecata, vel oppignorata sciente creditore, cui obligata erat, et non se protestante, quod jus suum salvum velit remanere, censebitur remittere jus suum. L. *Si probaveris* 2. Cod. de remiss. pignor. si vero alienatur creditore ignorante, res transit cum onere suo, ad quemcumque possessorem, a quo vindicari poterit, si aliunde non poterit solvere debita, Authent. *Hoc si* C. de pignorib.

Q. Potestne mutuator uti pignore sibi tradita pro mutuo?

R. Minime, quia pignus datur pro securitate, non pro usu. Quare si mutuator possit uti pignore, acciperet aliquid ultra sortem ex mutuo, quia usus pignoris est pretio aestimabilis. Ita communiter.

Q. Quid dicendum, si initum est pactum a mutuatore de usu pignoris accepti?

Ante resp. nota. Hoc pactum habetur, quando inter creditorem, et debitorem convenitur, ut donec debitum solvatur, creditor pignore uti, et fructus ex eo percipere valeat. Et pactum hoc vocatur *antichriseos*, vulgo *contratto a godere*?

R. Est omnino pactum usurarium, et illicitum, arg. Cap. *Plures clericorum* 1., et Cap. *Quoniam* 2. de usuris, et ita communiter DD., nam usus, et fructus pignoris, spectant ad debitorem, qui est dominus pignoris, et quaevis res domino suo fructificat, dominus autem pignoris est debitor, et non creditor, L. *Pignus* C. de pignoratit. act.: praeterea mutuans, dominus pignoris non fit, adeoque usurarius, et illicitus est, si ex eo capiat fructus, cum revera sint ultra sortem tales fructus ex pignore percepti, ultra quam aliquid recipere ratione mutui, est proprie usura.

Q. An dantur casus in quibus pignoratarius potest uti fructibus, vel usu pignoris?

R. Maxime, et I. Est, si creditor emat pignus cum pacto retrovenditio,

Digitized by Google

nis, quia eo medio tempore creditor est dominus. II. Si pignus datum sit pro dote promissa, et ad onera substinenda matrimonii, Cap. *Salubriter* de usuris. III. Si feudum, vel emphyteusis oppignorata sit domino directo, dummodo tamen feudum, vel emphyteusis sint gratis accepta, non sint meliorata, et oppignorans eximatur ab onere pensionis, Cap. *Insinuationis* 1. de feudis, et Cap. *Conquaestus* 8. de usur. IV. Si fructus pignoris accipiatur pro lucro cessante vel damno emergente, et tanti valeant fructus, quanti lucrum cessans, vel damnum emergens. Ita communiter.

Not. Creditor potest percipere fructus ex pignore, debet tamen ipsos in sortem computare, ita ut quantum percipit de fructibus ex pignore, tantum minuatur de debito. Quin si fructus percepti exaequant totum debitum, totum debitum extinguatur, et debeat restitui pignus: quod si porro fructus pignoris percepti superent debitum, debet restitui cum pignore, etiam excessus fructuum perceptorum, uti aperte statuitur in L. 1. C. de pignorat. act. ibi: *Ex pignore percepti fructus computantur in debitum, qui si sufficiant ad totum debitum, solvitur actio, et redditur pignus: si debitum excedunt, qui supersunt, redduntur.* Idem statuitur in cap. *Cum contra* de pignorib. Tenetur etiam computare in sortem fructus, quos ex re tradita, ac sibi oppignorata, ex culpa sua non percepit, L. *Creditor* 3. C. eod. tit.

Q. Danturne casus, in quibus non potest maritus uti fructibus pignoris accepti pro dote?

R. Maxime, et I. Quando pignus datum est expresse pro securitate dotis, nec adhuc matrimonium secutum fuerit, nam ante matrimonium contractum, licet etiam dos tradita fuisset, fructibus dotis Gener non lucratur. Item si contracto matrimonio maritus debitis alimentis defraudet. Vid. Gonzalez ad laud. Cap. *Salubriter* de usur. II. Quando promissor dotis se obligavit ad onera sustinenda matrimonii III. Quando facta est separatio tori et domus inter virum, et uxorem, uti tenent DD. communiter.

Q. Num pactum legis commissoriae sit licitum in pignoribus?

R. Pactum legis commissoriae habetur quando creditor convenit cum debitore, ut nisi tali tempore solvat debitum, pignus remaneat pleno jure suum. Hoc pactum est illicitum, et usurarium, textu expresso in L. *Quoniam* ult. C. de pact. pignor. et lege commiss. etc., et in Cap. *Significante* 7 de pignor.; quia pignus ordinarie est majoris valoris, quam debitum, ideoq ui mutuator aliquid acciperet ultra sortem. At si pactum sit, ut vendatur tale tempore, et superfluum domino restituatur, vel pignus aequivaleat debito, tunc valet tale pactum, quia nullum adest lucrum. Ita communiter.

CAPUT VI.

De Mutuo

Mutuum dicitur ex meo tuum, L. *Mutuum* D. de reb. credit., nam statim ac quid meum tibi traditur, tuum fit.

Q. Quid est mutuum?

R. Est contractus, quo res numero, pondere, mensura constans, ita alicui traditur, ut ejus fiat, et is quandocumque non easdem res, sed alias ejusdem naturae, et qualitatis reddat. princ. Instit. tit. quib. mod. re con-

Digitized by Google

trahit, obligat. Ex definitione patet, quod materia mutui sunt res *fungibiles*, hoc est res usu consumptibiles, puta vinum, oleum, frumentum, pecunia numerata etc., quarum una fungitur vice alterius in restitutione.

Q. Quotuplex est mutuum?

R. Duplex est, *expressum*, *et tacitum*. Primum habetur, quando quis actualiter dat alteri pecuniam, frumentum etc. in mutuum. Secundum est illud, quod virtute includitur in aliis contractibus, uti si quis vendit alteri domum, concessa dilatione ad pretium solvendum.

Q. Quaenam differentia intercedit inter mutuum, et donationem?

R. Haec est, quod in primo transfertur dominium cum obligatione restituendi similem in specie, et bonitate, in donatione vero transfertur dominium absque obligatione restitutionis. Primum perficitur traditione, secunda vero consensu.

Q. Quaenam sunt obligationes mutuantis?

R. Sunt plures, scilicet I. Ut det gratis mutuum, L. 6. n. 35.: *Mutuum date, nihil inde sperantes*. II. Ut moneat mutuatarium de vitio rei mutuatae, si habetur. III. Ut non repetat mutuum ante praefixum tempus. IV. Ut acceptet anticipatam solutionem mutui, si ante tempus praefixum restituatur. Stampò, Antoine, aliique.

Q. Quaenam sunt mutuatarii obligationes?

R. Sunt plures, scilicet I. Ut mutuum restituat tempore praefixo. II. Ut restituat mutuum in eadem specie, qualitate, et bonitate, qua ipse accepit. III. Et si sit in mora, vel in culpa, tenetur ad damna.

Q. Dominium rei mutuatae penes quem reperitur?

R. Penes mutuatarium, quia est contractus transferens dominium. Hinc si casu fortuito perit, mutuatario perit. Concina, Collet, aliique communiter.

Q. Daturne mutuandi obligatio?

R. Maxime ex praecepto caritatis, dummodo concurrat ex parte mutuantis commoditas, et ex parte mutuatarii necessitas gravis, vel extrema, quia si habetur obligatio eleemosynae in hoc casu, a fortiori obligatio mutuandi, si ille, cui mutuetur sit in spe proxima habendi bona, etenim si ille, qui petit mutuum nulla habeat bona, neque spem proximam habendi, danda est eleemosyna, non vero mutuum.

Q. Ad quid tenetur mutuatarius?

R. Teneri restituere mutuum tempore determinato: si vero tempus non sit determinatum, determinatio est facienda ex circumstantiis. Hinc frumentum mutuatum agricolae in hieme, est restituendum tempore messis, pecunia mutuata mercatori eunti ad nundinas, et restituenda, facta mercium venditione.

Q. Num dentur casus, in quibus non habetur obligatio restituendi mutuum?

R. Dantur, et I. Est quando fuit mutuata pecunia filiofamilias sine patris consensu, L. 1. et seq. D. ad Sctum Macedon., et hic notandum, quod ex tali constitutione filiusfam, pro mutuo accepto efficaciter conveniri non potest, etiam post mortem patris, in cujus potestate erat tempore mutui accepti. Et non solum filiofam., et patri ejus succurritur, verum etiam fidejussori, et mandatori ejus; quia et ipsi mandati habent regressum, nisi forte

Digitized by Google

animo donandi intercesserint, tunc enim, cum nullum regressum habeant, Sctum locum non habebit, L. *Sed si* 11. §. *Non solum* D. ad Sctum Maced. Extenditur porro haec constitutio ad filiasfamilias, quae sunt etiam, ut filii, sub potestate patris, et nec interest an consumpti sint nummi, an extent in peculio, citat. L. *Sed si* §. *Hoc Sctum* D. eod. Hoc tamen quoad forum externum, non vero in foro conscientiae, quoad pecuniam extantem, vel in se, vel aequivalenti, nam tunc in foro tenetur restituere.

II. Non potest repeti mutuum, quando datum fuit pupillo, vel minori sine consensu Tutoris, et Curatoris: nam isti de jure civili non tenentur restituere mutuum, si illud amiserunt, vel consumpserunt. Tenetur tamen ad restitutionem, si ex ipso facti sint locupletiores, quia secundum aequitatis regulas, nemo cum aliena debet locupletari jactura Cap. *Locupletari* 48. de Regul. Jur. Excipe si pupillus erat pubes, vel pubertati proximus: nam tunc obligatur naturaliter, sive in foro conscientiae. Ita Molina, Sanchez, Lessius, de Lugo, aliique communiter. Et ratio est, quia obligatio naturaliter oritur ex consensu, sed pupillus, pubes, vel pubertati proximus, et a fortiori minorennis sufficientem consensum habent, uti patet ex §. *Pupillis* Institut. de inutil. stipulat. Ergo dicendum, quod naturaliter, sive in foro conscientiae obligantur ex contractu.

III. Quando fuit datum Ecclesiae, Authent. *Hoc jus porrectum* C. de Sacros. Eccl.

IV. Quando fuit datum Civitati, Oppido, L. *Civitas* 27. C. de reb. credit. si cert. petat., modo probetur illud, quod datum fuerat in utilitatem eorumdem locorum non cessisse.

Q. Si ergo aliquis det mutuum alicui Administratori, vel procuratori alicujus Universitatis, vel Loci pii, quinam remanet obligatus, ipse, an Universitas, locusve pius?

R. Si accipit nomine loci pii, vel Universitatis, et probaverit mandatum habere ad hoc peragendum, tunc remanet obligata Universitas, vel locus pius. Verum mutuator probare debet pecuniam suam versam esse in beneficium istorum, si aliter fiat, remanent obligati ad restituendum mutuum Administratores, Procuratoresve etc., dict. Authent. *Hoc jus* C. de SS. Eccles. Vid. Panormit. in Cap. 1. de depos. n. 9., et in Cap. *Quod quibusdam* de fidejuss.

Q. In quibus casibus filius familias non gaudet privilegio Scti Macedon., et proinde tenetur ipse et pater restituere mutuum?

R. In istis, quorum I. Est, si filiusfamil. habeat bona castrensia, L. 1. §. ultim., ubi haec habentur: *In filio famil. nihil dignitas facit, quominus Sctum Macedonianum locum habeat, nam etiamsi Consul sit, vel cujusvis dignitatis Scto locus est, nisi forte castrense peculium habeat*, et L. 2. D. ad Sctum Macedon. Quin imo, et quasi castrense, Nov. 81 Cap. 1. II. Si filius tempore mutui accepti erat militiae addictus, L. *Si filius familias* §. *Si autem* C. de Scto Macedon. III. Si filius communiter credebatur sui juris, L. *Si quis patrem* D. eod. tit. IV. Si mutuum conversum est in patris utilitatem, L. *Macedoniani* C. de Scto Macedon. V. Si filiusfamilias fidejussit pro alio mutuatario, dummodo in fraudem legis fidejussione non palliet mutuum, L. *Si Iulianus* §. *Item si duos* D. eod tit. VI. Si accepit mutuum consentiente patre, sive expresse, sive tacite, L. ult. C.

Digitized by Google

eod. tit. VII. Si pater, aliusve filium negotiationi exposuit. VIII. Si filius studiorum, vel legationis causa pecuniam mutuam, sed moderatam accepit. IX. Si mutuum non fuit constitutum in pecunia, sed in alia re usu consumptibili, v. g. oleo, vino etc. dummodo oleum, vinum etc. non fuerit datum in fraudem Scti Macedon. Pragmat. 1., et Pragmat. 4. de Scto Macedon. edita a nostro piissimo Rege Ferdin. IV. idibus August. 1766. Vid., quae dicta sunt in cap. 3. de Contractibus in genere (1).

Q. Quid si filiusfamilias cum juramento renuntiavit huic privilegio, tenenturne solvere mutuum parentes ejus vel ipse filius?

R. Parentes ultra casus supra expositos, minime tenentur, quia hoc privilegium datum est in favorem parentum, ne scilicet ipsorum mors ob restitutionem talis mutui a filiis intentetur, ideoque non potest renuntiari, nisi ab eis, in favorem quorum est latum. Filius autem vivente patre minquam tenetur, si solvendo, habetur patris praejudicium, et peccatum. Verum si non solverit vivente patre, tenetur saltem post mortem ejus, ex vi juramenti: quia saltem post illam mortem juramentum servari potest absque peccato, et tertii praejudicio. Lessius lib. 2. cap. 10. dub. 2. n. 9.

Q. An possit filiusfam. privilegio Scti Macedoniani renuntiare?

R. Minime, quia cum hoc privilegium sit in favorem parentum concessum, filius non potest illi renuntiare, etiam cum juramento, et si jurat, hoc juramentum est non solum contra leges civiles, sed etiam contra bonos mores, contra bonum commune, et contra jus, quod habent parentes per talem legem adquisitum. Vid. Panormitan. in Cap. *Cum contingat* de jurej. numero 22.

CAPUT VII.

De Usura

Q. Quid est usura?

R. Est lucrum immediate proveniens ex mutuo ratione mutui. Unde collige, sedem usurae unice esse mutuum, sive expressum, sive tacitum.

Per *ly lucrum* intelligitur omnis adquisitio rei pretio aestimabilis, et indebitae, sive quodcumque aliud onus, ad quod mutuatarius non tenetur. Per *ly immediate* intelligitur illud lucrum, quod supra sortem perveniat ex mutuo sive explicito, sive implicito, nam si proveniat ex amicitia, vel benevolentia, non est usura: sicuti non est usura, si detur mutuum praecise ad captandum benevolentiam; quia cum ista non sint pretio aestimabilia, non possunt intelligi sub nomine lucri. Similiter non est usura, si aliquid accipiatur ratione pecuniae traditae ad *ostentationem*, quia accipitur ratione locati, et non ratione mutui, cum non sit translatum dominium.

Q. Quotuplex est usura?

R. Multiplex est, scilicet mentalis, virtualis, realis, et palliata. *Mentalis* habetur, quando quis dat mutuum cum intentione percipiendi aliquid supra sortem, signis tamen, vel verbis non manifestat, arg. Cap. *Consulit* 10. de usur. *Virtualis* habetur, quando quis dat mutuum, et non pacto expresso, sed verbis, vel signis demonstrat, se velle aliquid supra sortem.

(1) Videsis nostras additiones ad Cap. IV. hujusce Tractatus pag. 166.

Digitized by Google

Realis habetur, quando pactum initur inter mutuantem, et mutuatarium de dando aliquid supra sortem. *Palliata* habetur, quando lucrum, quod mutuans reportat ex mutuo palliatur sub velamine alicujus contractus liciti, uti si quis vendat rem pretio majori, quo valet, ob dilatam solutionem, vel emat minoris ob anticipatam solutionem, arg. Cap. *In civitate sua* 6. de usur.

Q. Num usura sit prohibita omni jure?

R. Maxime, est prohibita a Jure Naturae, quia injustitia est, quod mutuator exigat lucrum ex re aliena, cum mutuum sit mutuatarii, non vero mutuatoris: Jure Divino patet ex pluribus Scripturae locis, Levitic. 23., Deuteron. 23., ibi: *Non foeneraberis fratri tuo ad usuram*, Ezechiel. 18., *Si genuerit vir filium . . . . abominationem facientem, ad usuram dantem, numquid vivet? non vivet.* Psalm. XIII. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo . . . . Qui pecuniam suam non dedit ad usuram*, et Luc. 6., ipsemet Christus Dominus ait: *Mutuum date nihil inde sperantes*, hoc est ultra sortem: unde in Cap. *Super eo* 4. de usur. expresse dicitur, *quod usurarum crimen utriusque testamenti pagina detestetur.* Jure Canonico, patet ex toto titulo de usuris: Sic praesertim Concil. Viennense oecumenicum aperte definivit: *Si quis in istum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare praesumat exercere usuras non esse peccatum, decernimus, eum velut haereticum esse puniendum.* Jure nostro Neapolitano omnino improbantur usurae, uti patet ex Constitutionibus Guglielmi II., et Friderici II., et ex multis Pragmaticis sub titulo de usuris.

Neque dicas, quod Deus permisit Judaeis usuram, cit. cap. Deuter. 23: nam respondetur cum variis Ss. Patribus, et Doctoribus, quod Deus permisit eis usuras exigere ab alienigenis ad suarum rerum faciendam compensationem, quas alienigenae retinebant, uti revera erant quaedam regiones Judaeis a Deo concessae in terra promissionis, quas injuste occupabant alienigenae. Vel Deum non permisisse Judaeis usuram, sed tantum tolerasse majoris mali vitandi gratia, ne scilicet a fratribus majori cum injuria extorquerent. Sic inter alios respondet D. Thom. 2. 2. q. 78. art. 3. ad 2: *Quod autem ab extrancis usuram acciperent, non fuit eis concessum quasi licitum, sed permissum ad majus malum vitandum, ne scilicet a Judaeis Deum colentibus usuras perciperent propter avaritiam, cui dediti erant, ut habetur* Isaiae 56.

Q. Num sit peccatum petere mutuum cum usura?

R. Minime, semper ac licita, et justa habetur causa petendi, quia licite potest peti, quod alius licite praestare potest, si vero nulla adest causa petendi, mortale peccatum erit, quia datur mutuatori occasio peccandi.

Q. An licitum sit intendere, vel sperare lucrum ex mutuo?

R. Esset licitum, quando solum intenderetur vel speraretur ex amicitia, liberalitate etc., quia sperare, quod in se est bonum, non est peccatum, verum cum difficillimum sit in praxi, fere semper speraretur ex mutuo, ideo est illicitum, ut patet ex illo Lucae cit. *Mutuum date, nihil inde sperantes.*

Q. An liceat aliquid exigere ultra sortem, non ex justitia sed tanquam ex gratitudine debitum?

R. Minime, quia videtur adesse pactum implicitum usurarium, et hoc ipso, quod exigitur tanquam debitum, determinate exigitur tanquam ex ju-

Digitized by Google

stitia: et ratione mutui, cum grati animi virtus, quae pluribus modis impleri possit, non obligat ad aliquid determinatum (1).

Q. Num liceat mutuare, cum pacto remutuandi?

R. Minime, modo exigatur hoc ex justitia, quia imponitur onus, ad quod mutuatarius non tenetur, Layman, aliique. Nec mutuator potest exigere aliquid ex mutuo ob obligationem sibi impositam non repetendi illud usque ad certum tempus: quia dilatio temporis est extrinseca mutuo, et patet ex proposit. 42. ab Alex. VII. damnata (2). Praeterea, qui ad definitum tempus dat mutuum, non inducit ullam super se obligationem, pro qua aliquid exigere possit in compensationem, cum sit gratis a mutuante suscepta; immo nihil aliud faciet, nisi beneficium mutui ad certum tempus extendit pro quo nihil recipi potest.

Q. An possit quis exigere aliquid ultra sortem, eo quod pecunia praesens est pretiosior futura?

R. Minime, quia cum pecunia sit sterilis, non est pecunia praesens pretiosior futura, quando non habetur damnum emergens, lucrum cessans, etc. (3).

Q. Num sit usura mutuare cum pacto remittendi injuriam inimico?

R. Vel loquimur, quoad forum internum, et dico non esse usuram, quia ad hoc mutuatarius tenetur. Vel loquimur, quoad forum externum, puta non exigere compensationem damni sibi illati, vel satisfactionem sibi debitam ratione injuriae acceptae, et dico esse usuram, quia ad hoc mutuatarius non tenetur. Concina, Antoine.

Q. Qui dat mutuum, et exigit remutuum, committitne usuram?

R. Vel exigit in eodem instanti, quo dat ipse et tunc non committit usuram, qui habetur veluti permutatio. Si vero onus imponit, ut in posterum, et ipse idem faciat, tunc committit usuram. Ita D.Thom., Concina, aliique.

Q. Num usurarius fiat dominus usurarum?

R. Minime, quia cum contractus usurarius sit nullus, nullum potest transferre dominium. Quare foenerator non potest transferre in alium dominium illius rei, quam per usuram assecutus est. Et qui talem rem accipit, restituere tenetur eodem modo, ac si accepisset a fure. Item si res per usuram accepta fructifera sit, mutuatario fructificat, non foeneratori dummodo non sit fructus industriae. Praeterea usurarius non solum usuras tenetur restituere, sed etiam omnia damna, quae mutuatario obvenerunt ratione ejus usurae, uti essent lucrum cessans, et damnum emergens. Tandem si non restituit mutuator usurarius ante suam mortem, tenentur dein sui heredes, cum onus restitutionis sit onus reale, quod transit ad heredes, Cap. *Tua nos* 9. de usuris. Ita omnes DD.

(1) Id patet ex Proposit. 24. ab Innoc. XI. proscripta: *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, et gratitudine debitum, sed solum si exigatur, tanquam ex justitia debitum.*

(2) *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obligavit ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.*

(3) Id etiam ex Prop. 12. ab Innoc. XI. damnata patet: *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam praesentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari.*

Digitized by Google

Not. Ad restitutionem tenetur non solum usurarius, sed etiam omnes cooperantes, et agentes partes usurarii, qui efficaciter, et influxive ad usuram, ubi sunt consulens usuras, Judex, qui compellit ad usuras solvendas mutuatarium, vel prohibet solutarum usurarum repetitionem. Notarius ad instantiam mutuatoris instrumentum usurarium conficiens, vi cujus cogatur mutuatarius ad solvendum usuras. Insuper dans alteri pecuniam, et hic committat, et exerceat usuram cum aliis. Proxenetae pariter, hoc est mediatores (vulgo *mezzani*) si faciant partem usurarii. Adhaec procurator, Factor, famulus qui vel contractus pro suo principali usurarios faciunt, vel usuras conventas exigunt, qui omnes ad restitutionem tenentur in defectum usurarii principalis. Concina, Antoine, Collet, Layman, Stampò, aliique.

Q. Num acceptum per usuram mentalem sit restituendum?

R. Maxime, sive sit usura mentalis ex parte dantis, sive ex parte recipientis, sive ex parte utriusque, quia semper sine titulo acceptum est, ideoque retineri non potest. In dubio autem, num datum sit ex usura mentali, vel ex mera liberalitate, semper facienda est restitutio, ne exponatur periculo possidendi rem alienam, invito rationabiliter domino. Concina, Layman, aliique.

Q. An mutuatarius teneatur restituere mutuum juxta valorem, aut mensuram tempore solutionis, vel acceptionis?

R. Vel loquimur de pecunia mutuata, et dico esse restituendam juxta valorem tempore solutionis, quia in pecunia est respiciendus valor, ita ut si augeatur mutuatario augetur. Vel loquimur de alia re, puta, de vino, frumento etc., et hoc est, juxta mensuram acceptam; quia in istis est respicienda quantitas, et bonitas intrinseca, seu physica, non autem valor, seu bonitas moralis, Concina, Collet, Lessius, aliique.

Q. An dentur casus, in quibus licitum est apponere pactum restituendi pecuniam mutuatam juxta tempus acceptionis, seu contractus celebrati?

R. Maxime, et I. Est, quando aeque dubium est, an minuendus, vel augendus sit ejus valor, quia in hoc, nulla est inaequalitas, sed aequalis est utriusque conditio, cum uterque tam damno, quam lucro exponatur. II. Quando valor est augendus, et liber relinquitur mutuatarius, ut solvat, antequam mutuata pecunia crescat, modo tamen cognoscat mutuator posse mutuatarium restituere ante tempus incrementi, quia tunc servatur aequalitas. III. Quando mutuator praevidens pecuniae, aut monetae incrementum statuisset illam servare usque ad tempus incrementi, quia tunc non lucratur ex mutuo, sed seipsum praestat indemnem.

Q. Quid dicendum, si aliquis dat frumentum, et exigit a mutuatario, ut illud terat in suo pistrino?

R. Iste talis committit usuram; quia onus imponit mutuatario ad quod non tenetur. Concina, Layman.

CAPUT VIII.

De Titulis excusantibus ab usura; et poenis usurariorum

Q. Danturne tituli, propter quos potest mutuans recipere aliquid supra sortem absque labe usurae?

R. Maxime, et sunt *lucrum cessans, damnum emergens, et periculum*

Digitized by Google

amittendi sortem. Dicitur lucrum cessare, quando occasione mutui quis non recipit aliquod emolumentum, quod alioquin perciperet per suam pecuniam, uti si daret in mutuum pecuniam negotiationi expositam. Dicitur emergere damnum, quando mutuator patitur detrimentum in bonis suis occasione mutui, uti si ob mutuam pecuniam agrum colere quis non potest. Dicitur adesse periculum amittendi sortem, quando detur mutuum mutuatori non satis noto, pluribus debitis obstricto etc.

Q. Quaenam conditiones requiruntur, ut ratione lucri cessantis possit quis aliquid recipere supra sortem?

R. Plures, scilicet I. Ut lucrum revera cesset. II. Ut cesset ratione mutui. III. Ut exigatur quanti valeat spes lucri, deductis expensis, et laboribus. IV. Ut moneatur mutuatarius de lucro cessante, ut libere consentiat in onus, quod suscipit solvendi lucrum. V. Ut auctarium non statim exigatur post mutuum, et ut non habeat aliam pecuniam ad substituendam pro pecunia mutuata. Antoine, Concina, Cuniliati, aliique (1)

Q. Quaenam conditiones requiruntur, ut ratione damni emergentis, mutuator possit repetere aliquid supra sortem?

R. Plures, scilicet I. Est, ut damnum revera emergat. II. Ut immineat ratione mutui. III. Ut exigatur, quantum est damnum juxta prudentis judicium, IV. Ut moneatur mutuarius de damno emergente. V. Ut liberum sit mutuatario, vel suscipere in se onus solvendi totum damnum emergens quod reipsa continget, vel convenire pro certa summa in illius compensationem, quia vi hujus tituli mutuatarius ad illud obligari nequit, nisi ad servandum dominum indemnem. Tandem, ut non recipiat auctarium ante tempus, et non habeat aliam pecuniam ad substituendam pro pecunia mutua.

Q. Quaenam conditiones requiruntur ad aliquid exigendum ultra sortem ratione periculi?

R. Plures, scilicet I. Ut periculum sit extrinsecum, sive proximum, et probabile, non autem intrinsecum, seu remotum, et mere possibile. II. Ut non cogatur mutuatarius ad hanc assecurationem. III. Ut mutuator tantum accipiat, quantum daretur alteri pro tali assecuratione. IV. Ut expresse conveniatur talis assecuratio.

Q. Quotuplex est periculum?

R. Multiplex est, aliud *intrinsecum*, seu remotum, et mere possibile, quod in omni mutuo reperitur, oriturque ex casibus fortuitis, puta ex incendio, devastatione, inopia pauperis, ad quam sublevandam mutuum traditur. Aliud *proximum* probabile, ac extrinsecum mutuo, uti si mutuum tradatur mutuatario decocto, litigioso, negotia periculosa exercenti etc. Aliud est *facti*, et est quando periculum praebetur ex parte mutuatarii, quatenus perfidus est, decoctus, litigiosus est, unde probabile motivum timendi praebet mutuatori, ne facto ipso rem suam amittat. Aliud est *juris*, estque, quando creditor in se suscipit periculum mutui ex peculiari conventione, quod tamen de jure deberet debitorem sequi, ita ut si mutuum

(1) Illud heic maxime observatu dignum quod Jure Novissimo art. 1777 in mutui contractu stipulari permittitur quod *interesse* dicitur, dumtaxat ob lucrum cessans, ac damnum ex ipso mutuo emergens.

Digitized by Google

quocumque casu fortuito, v. g. incendii, naufragii etc. pericrit absque culpa mutuatarii, pereat mutuum ipsi mutuanti creditori. Ex his nota:

Pro periculo proximo, probabili, et extrinseco amittendae sortis adest sufficiens titulus, aliquid ultra sortem recipiendi ex mutuo, sive periculum sit facti, sive juris; est enim *periculi pretium*, ut inquit Ictus in L. 5. D. de Nautic. foenor., et sicut tertia persona suscipiens in se tale periculum per contractum assecurationis, potest aliquid recipere, ita et ipse mutuator; dummodo tamen adimpleantur conditiones supradictae, ut habeatur justitia contractus.

Nec obstat Gregor. IX. in Cap. ult. de usur. qui respondit: *Naviganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniae quantitatem, eo quod suscipiat in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus. Ille quoque etc.* Quamvis Pontifex hic agit de periculo juris, usurarium tamen declarat illum, qui aliquod eo nomine ultra sortem acciperet. In hac veluti salebrosa controversia Theologis, et Canonistis aqua haeret: Layman lib. 3. summae tract. 4. Cap. 16. n. 13. Gudelin. de jur. noviss. lib. 3. Cap. 3., Fachineus lib. 2. controvers. Cap. 48., Cuniliati de usura, aliique interpretes putant in praesenti capite deesse negationem, legendumque, *usurarius non est consendus*, ducto argumento a verbo *quoque*, quo utitur Pontifex in secundo casu, ubi docet, usuram non committi, et ita videtur in primo casu idem asseruisse, cum dictio *quoque*, sit implicativa prioris casus. Verum cum huic sententiae repugnet omnium codicum fides, cum in nullo negative legatur, non ausim ita emendare Gregorium, praecipue cum ejus sententia aliter explicari possit.

Mihi placet prae ceteris interpretamentum Gonzalezii in cit. Cap. ult. de usur., Pontificem in praesenti constitutione improbari nauticum foenus, uti receptum erat a Jure Civili, quo plerumque sub specie pecuniae trajectitiae usurae cum ipso mutuo promittebantur, licet facta periculi subeundi mentione, non autem improbare Pontificem contractum assecurationis, cum per se, et separatim celebretur, nulla habita ratione mutui, sed periculi suscipiendi, nec omnino pronuntiasse eum *usurarium*, quia ita contraheret, sed potius *censendum esse* contractum usurarium, si tempore mutui, hoc est simul cum mutuo usurae, h. e. lucrum promittebatur propter periculum pecuniae trajectitiae a foeneratore susceptum.

Quare ob periculum pecuniae trajiciendae aliquid recipi posse, sed extra mutuum, ratione periculi, et alterius contractus seorsim celebrati. Pactum assecurationis, hoc est, quando creditor periculum juris in se suscipit, jam probatum est in Regno nostro Neapolitano, uti patet ex multis Pragmaticis *sub titulo de assecuratione*. Advertatur, quod plerumque fingitur trajectio pecuniae, quae revera non evenit, et hinc fingitur periculum; quare Confessarii caute se gerant, et minute, et distincte interrogent in hisce casibus.

Q. An qui bona fide celebravit contractum usurarium in casu, quo poterat alium justum celebrare, possit retinere lucrum acceptum, re cognita?

R. Minime, quia injuste accepit, ideo semper injuste retinet, et ad restitutionem tenetur. Concina, Collet, aliique.

Digitized by Google

Q. Num teneatur mutuatarius ad lucrum cessans, aut damnum emergens, quando de hoc ipso non fuit monitus?

R. Non teneri, nisi fuerit in mora culpabili, aut causa injusta damni, quia aliter ex nullo capite ad restitutionem tenetur. Imo si scivisset a principio damnum emergens etc. forte non accepisset mutuum cum tanto onere. Concina aliique.

Q. An committit usuram, qui vendit frumentum pecunia credita mense Augusti, eo pretio, quo valebit mense Januarii?

R. Vel mense Januarii potest augeri, et minui pretium, et dico esse licitum, quia est contractus sortis, nam ambo se exponunt periculo perdendi, et lucrandi. Vel potest tantum eo tempore augeri, et subdistinguo: vel dominus est conservaturus frumentum usque ad illud tempus, et dico esse licitum ratione lucri cessantis, deductis expensis, quae faciendae erunt usque ad illum mensem pro frumenti conservatione. Vel non est conservaturus, et dico non posse, quia non habetur lucrandi titulus, et supra id, quod dedit, onus aestimabile imponit alteri, ut scilicet teneatur restituere frumentum, vel pretium ejus tempore, quo plus valiturum erat. Hinc committit usuram palliatam venditor, aut mutuator, cit. Cap. *Naviganti* de usur.

Q. Poena conventionalis estne licita in mutuo?

R. Maxime, habitis conditionibus, quae sunt, ut mora sit notabilis, et culpabilis, ut poena sit justa, et non imponatur ad palliandam usuram.

Not. Si dividatur culpa, dividi etiam debet poena, v. g. tenebatur mutuatarius mense Majo solvere centum, sub poena decem, et non solvit, nisi quinquaginta, teneatur ratione poenae solvere solum quinque. Porro poena conventionalis solvenda est ante Judicis sententiam; quia debetur ex vi pacti justi; modo creditor expresse, vel tacite petat; quia censetur promissa poena sub tali conditione: *Si petatur.*

Q. Quotuplicis generis sunt usurarii?

R. Duplicis generis, alii publici, seu notorii, et sunt illi, qui sive per notorietatem delicti, sive per sententiam Judicis tales sunt declarati, alii vero occulti, et sunt qui exercent usuras, attamen tales per sententiam non habentur, nec per delicti publicitatem.

Q. An usurarius incidat in aliquam poenam?

R. Vel est occultus, et dico in nullam poenam incidere, cum non habeatur in jure assignata. Vel est notorius, et dico in plures incidere poenas, et I. In infamiam, Cap. *Infames* 2. §. *Porro* caus. 3. q. 7., L. 20. C. ex quib. caus. infam. irrogat., ac proinde irregulares habendi, cum personis vilibus, ac indignis portae dignitatum patere non debeant, cap. *Inter dilectos* 11. de excess. Praelator.

II. Non est absolvendus, donec satisfecerit, vel cautionem dederit satisfaciendi, Cap. *Quamquam* de usur. in VI.

III. Est arcendus a communione altaris hoc est a Sacramenti Eucharistiae perceptione, Cap. *Quid in omnibus* 3. de usur., ibi: *Constituimus, quod usurarii manifesti, nec ad communionem admittantur altaris;* et non est admittendus ad oblationes faciendas Ecclesiae, ejusque Ministris, cit. cap. *Quia in omnibus* de usur., ibi., *Sed nec oblationes eorum quisquam accipiat.*

IV. Si usurarii notorii in eo peccato decesserint, Ecclesiastica careant

Digitized by Google

sepultura, cit. Cap. *Quia in omnibus*, et cit. Cap. *Quamquam* de usu., in VI. Quin in Clementin. 1. de sepultur., statutum fuit, ut qui usurarios manifestos scienter sepelire praesumunt, ipso facto sint excommunicati; nec absolvantur, nisi prius ad arbitrium Dioecesani Episcopi competenter satisfactionem adhibuerint.

V. Si sint laici usurarii manifesti, excommunicari debent, usque dum debite satisfacerint, Cap. *Praeterea* 7. de usur., et ipso facto irregulares evadunt, Cap. *Maritum* 2. dict. 33., Cap. *Seditionarios* 8. dist. 46.

Si autem Clerici, suspendi debent ab officio, et beneficio, si moniti non desistant, laud. Cap. 7. de usur.

Tandem non potest publicus usurarius conficere testamentum, ita ut confectum, nullum, et irritum decernitur, nisi solverit usuras ante mortem, vel sufficientem cautionem praestiterit, quae debet esse vel pignoratitia, vel fidejussoria, cit. Cap. *Quamquam* de usur. in VI.

Q. In quam poenam incidunt, qui habitare permittunt usurarios publicos exteros, seu alienos in suis Territoriis?

R. Vel loquimur de Ecclesiasticis, et incidunt in excommunicationem nemini reservatam, vel de Episcopis, et in suspensionem, vel de Communitate, universitate etc., et incidunt in interdictum. Si autem per mensem animo sustinuerint obstinato, Terrae ipsorum quamdiu in eis usurarii commorantur, Ecclesiastico Interdicto subjiciuntur, Cap. *Usurarum voraginem* de usur in VI.

Q. Num Judex, qui compellit mutuatarium ad solutionem usurarum aut impedit eorum restitutionem, aut repetitionem, incidat in aliquam poenam?

R. Incidit in excommunicationem latae sententiae, Clementin. *Ex brevi* de usur. Idem dicendum est etiam de omnibus officialibus Communitatis, Universitatis etc. usuris faventibus, cit. Clement. *Ex gravi* de usur.

Q. Quid dicendum de Notario, qui condidit instrumentum usurarium?

R. Si condidit ad instantiam mutuatoris, peccat dupliciter, scilicet, contra justitiam, et Religionem, quia Notarius dum suscipit tale officium, jurat non condere hujusmodi instrumenta, et tenetur ad restitutionem usurarum in defectu mutuatoris; si vero condidit ad instantiam mutuatarii, et hic ex necessitate mutuum recipiebat cum usura: non peccavit, quia sicut mutuatarius non peccat petendo, ita et Notarius. Si sine necessitate sub usura accipiebat mutuum mutuatarius, solum, contra caritatem peccavit Notarius, ratione cooperationis, et contra Religionem, ratione juramenti jam violati. Ita communiter. Et haec satis de contractibus.

Digitized by Google

APPENDIX

RECENTIORA S. POENITENTIARIAE ET S. CONGREG. INQUISITIONIS RESPONSA QUAE MUTUUM RESPICIUNT

QUÆSITUM I.

Cujusdam Professoris Theologiae Moralis.

Sunt quidam Presbyteri, qui contendunt licitum esse percipere auctarium quinque pro centum solius vi Legis Principis absque alio titulo, vel damni emergentis, vel lucri cessantis: quia inquiunt, Lex Principis est titulus legitimus, cum transferat dominium auctarii, sicut transfert dominium in praescriptione, et sic prorsus annichilant legem divinam, et legem ecclesiasticam, quae usuras prohibent.

Cum haec ita se habeant, Orator existimans nullo pacto esse licitum recedere a doctrina Benedicti XIV, denegat absolutionem sacramentalem Presbyteris, qui contendunt Legem Principis esse titulum sufficientem percipiendi aliquid ultra sortem absque titulo, vel lucri cessantis, vel damni emergentis.

Quare Orator humiliter supplicat, ut sequentia dubia solvantur.

1. Utrum possit in conscientia denegare absolutionem Presbyteris praefatis.

2. Utrum debeat.

Sacra Poenitentiaria diligenter, ac mature perpensis dubiis propositis, respondendum censuit Presbyteros, de quibus agitur, non esse inquietandos, quousque Sancta Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subjicere, ideoque nihil obstare eorum absolutioni in Sacramento Poenitentiae.

Datum Romae in Poenitentiaria, die 16. Septembris 1830.

E. De Gregorio M. P.
F. Fricca S. P., Secretarius

QUÆSITUM II.

Episcopi Niceensis

Quidam attendentes ad illa verba *Bona fide* apposita in responso Eminentissimi Poenitentiarii Majoris ad Illustrissimum, et Reverendissimum Episcopum Vivariensem, die 7. Martii 1835, intendunt juxta normam a S. Poenitentiaria Confessariis pluries propositam, illos tantum Sacramentaliter absolvi posse, nullo imposito restitutionis onere, qui lucrum enuntiatum *bona fide* percepissent. Alii e contra asserunt etiam illos, qui dubia,

Digitized by Google

vel mala fide dictum lucrum percepissent, absolvi posse, nullo imposito restitutionis onere, dummodo parati sint standi mandatis S. Sedis, et ajunt hanc clausulam *bona fide* non respicere onus restitutionis, sed potius honestatem agentis, et absolutionem, quam Confessarii impertiri nequeunt poenitentibus in mala fide constitutis, nisi prius de patrato in mala fide poeniteant . . . . cumque hinc et inde sint viri summae pietatis, et non spernendae auctoritatis, hinc ut animarum quieti in re tam frequenti, et seria provideatur, perhumillime petitur, an poenitentes, qui moderatum lucrum, solo legis titulo ex mutuo, dubia, vel mala fide perceperunt, absolvi sacramentaliter possint, nullo imposito restitutionis onere, dummodo de patrato ob dubiam, vel malam fidem, peccato sincere doleant, et filiali obedientia parati sint standi mandatis S. Sedis.

Niceae, 9. Septembris 1837.

Subscriptum ✝ Dominus Epis. Niceensis.

Feria 4. Die 17. Januarii 1838.

In Congregatione Generali Sanctae Romanae, et Universalis Inquisitionis, habita in conventu Sanctae Mariae supra Minervam, coram Eminentissimis, et Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus, contra haereticam pravitatem generalibus Inquisitoribus, proposito supradicto dubio, iidem Eminentissimi, et Reverendissimi DD. dixerunt: *affirmative*, dummodo parati sint stare mandatis S. Sedis.

Angelus Argenti, S. Rom. et univers. Inquis. Notarius.

Loco ✠ Sigilli.

Extractum ex Diurnis gallice dictis *l'Ami de la Religion*, n. 2964.

QUÆSITUM III.

Episcopi Rhedonensis

I. Episcopus Rhedonensis in Gallia exponit S. Congreg. Inquisit. non eamdem esse Confessariorum suae Dioecesis sententiam de lucro percepto ex pecunia negotiatoribus mutuo data, ut ea ditescant.

De sensu Epistolae Encyclicae *Vix pervenit* acriter disputatur. Ex utraque parte momenta afferuntur ad tuendam eam, quam quisque amplexus est sententiam, tali lucro faventem, aut contrariam. Inde quaerelae, dissensiones, denegatio Sacramentorum plerisque negotiatoribus isti ditescendi modo inhaerentibus, et innumera damna animarum.

Ut animarum damnis occurrant, nonnulli Confessarii mediam inter utramque sententiam viam se posse tenere arbitrantur. Si quis ipsos consulat de istiusmodi lucro, illum ab eo deterrere conantur. Si poenitens perseveret in consilio pecuniam mutuo dandi negotiatoribus, et objiciat sententiam tali mutuo faventem multos habere patronos, et insuper non fuisse damnatam a S. Sede, non semel de ea re consulta, tunc isti Confessarii exigunt, ut poenitens promittat se filiali obedientia obtemperaturum judicio Summi Pontificis, si intercedat, qualecumque sit: nec, hac promissione obtenta, absolutionem denegant, quamvis probabiliorem credant opinionem contra-

Digitized by Google

riam tali mutuo. Si poenitens non confiteatur de lucro ex pecunia sic mutuo data, et videatur in bona fide, isti Confessarii, etiamsi aliunde noverint ab eo perceptum esse, aut etiam nunc percipi istiusmodi lucrum, eum absolvunt, nulla ea de re interrogatione facta, quando timent, ne poenitens admonitus restituere, aut a tali lucro abstinere, recuset.

Inquirit ergo dictus Episc. Rhedonensis I. Utrum possit horum posteriorum Confessariorum agendi rationem probare.

2. Utrum alios Confessarios rigidiores ipsum adeuntes consulendi causa possit hortari, ut istorum agendi rationem sequantur, donec S. Sedes expressum de ea quaestione judicium ferat.

Feria 4. die 18 Augusti 1830.

SS. Dominus Noster, Dominus Pius Divina Providentia Pp. VIII. in solita audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, audita relatione superiorum dubiorum una cum voto Eminentissimorum DD. Cardinalium Inquisitorum Generalium, respondit.

Ad I. Non esse inquietandos.

Ad II. Provisum in primo.

Angelus Argenti S. Rom. et Univers. Inquis. Notarius.

QUAESITUM IV.

Episcopi Vivariensis

Beatissime Pater

Pervenit ad me judicium SS. Pii Pp. VIII. sub data die 18. Augusti 1830. ad postulata Ep. Rhedonensis super agendi ratione Confessariorum erga poenitentes, qui inter disceptationes Theologorum circa mutuum expositas in supplici libello, mediam se posse sequi viam arbitrantur.

Idem judicium loquitur de voto Eminentiss. Cardinalium Inquisitorum General., et rescripto subjiciuntur responsa data ab iisdem eadem die ad diversa dubia relativa ad opinionem eorum, qui contendunt legem Principis solam esse titulum sufficientem aliquid percipiendi ultra sortem in mutuo.

Ex isto judicio, et istis responsis datis nova exorta sunt dubia, novae disceptationes, nova quaesita, nam dictum judicium in pluribus Dioeceesibus divulgatum est, et haec est occasio talium disceptationum.

In exposito Ep. Rhedonensis nulla fit mentio dicti tituli, quem volunt quidam Theologi reperiri in lege Principis, sed unica de mutuo dato negotiatoribus, et de sensu Encyclicae *Vix pervenit* circa tale mutuum negotiatoribus factum.

Unde alii dicunt, judicium SS. Pontificis Pii VIII, in se solo attendendum esse, et separatim a responsis datis ab Em. Cardinalibus, ita ut sensus istius judicii sit: sententiam faventem mutuo facto negotiatoribus non fuisse damnatam a S. Sede ea de re non semel consulta, ideoque si poenitentes promittant se filiali obedientia obsecuturos judicio SS. Pontificis, si intercedat, non esse inquietandos Confessarios, qui ipsis absolutionem non denegant. Qui sic judicium SS. Pontificis interpretantur, aures avertunt a littera Encyclica Bened. XIV. ut 1. et 2. de Synodo Dioeces. ejusdem

*

Pontificis, ad quam plures responsiones S. Sedis remittunt, ab Instructione data P. Carolo Felici 17. April. 1749, et a diversis responsis datis a S. Sede Apostolica.

Alii e contra non concipientes, qua via praefatum judicium conciliari possit cum dictis decisionibus Bened. XIV., et aliorum SS. Pontificum circa mutuum negotiatoribus factum, si sic seorsim attendatur, putant dictum judicium non sic esse intelligendum, sed conjunctum cum responsis datis ab Em. Cardinalibus, ad quae remittere videtur SS. Pontifex, qui dicit in proemio judicii, « *Audita relatione superiorum dubiorum, una cum voto Em. DD. Cardinalium* », et judicium esse referendum ad dubia de titulo legis Principis, qui titulus damnatus non fuit a S. Sede.

Sed oritur nova difficultas circa sensum responsionum S. Officii. Eminentissimi enim Cardinales loquuntur de lege Principis sine addito, non verba facientes de conditione, quam in medium proferunt patroni tituli ex tali lege desumpti ad percipiendum interesse, nempe quod Princeps lege sua declarat non quidem licitum esse in mutuo percipere usuras (quae juri naturali, et divino sunt prohibitae), sed ex caussa publica, et in quibusdam circumstantiis concedere jus ad moderatas praestationes a subditis suis exigendas, ita ut tunc transferat dominium, sicut per legem praescriptionis.

Punctum istud magni momenti est in Galliis, ubi lex Civilis omnino silet de dato jure ad percipiendas usuras, et potius supponit mutuantem ad lucrum jus certum habere. Motivum illius legis, a Gubernii illius temporis Legislatoribus expositum erat, quod Gubernii Consultores interesse consideraverant, ut justam compensationem beneficiorum, quae eventura erant mutuanti ex usu pecuniae mutuatae, si eum usum sibi retinuisset. In discussione legis haec insuper habuit tribunatus Orator « Legitimitas stipulatio- » nis lucri in mutuo pluries agitata, et tam impolitice proscripta propter » equivocationem verborum, amplius dubia non erit. Apud omnes certum » est pecuniam esse signum valoris, omnesque consentiunt valorem locari » posse, et nolunt, nec possunt convenire, signum valoris pariter posse lo- » cari. » Legis Gallicanae haec sunt verba. » Licitum est stipulari interes- » se pro solo mutuo, sive pecuniae, sive aliarum rerum mobilium. »

Porro si legislatores Gallicani habuerunt lucrum in mutuo perceptum, vel ut justam compensationem beneficiorum, quae mutuanti evenire poterant ex usu pecuniae sibi retentae, vel ut praetium locationis signi valoris, quod juxta illos locari poterat; si lex simplicem permissionem stipulandi lucrum in mutuo concedat, certum videtur, Legem Civilem in Galliis noluisse transferre dominium hujus lucri, et aliud adquisitum mutuandi supposuisse. Unde si alii dicant responsionem Em. Cardinalium applicandam esse Legi Gallicanae, prout est in Codice Civili, alii illud negant propter motiva allata.

Itaque quaeritur I. An praefatum judicium S. Pontificis intelligendum sit, ut verba ipsius sonant, et separatim a titulo legis Principis, de quo Em. Cardinales loquuntur in his responsis, ita ut unice agatur de mutuo negotiatoribus facto.

II. An titulus ex Lege Principis, de quo Em. Cardinales, sic intelligendus sit, ut sufficiat legem Principis declarare licitum esse cuique convenire de lucro ex solo mutuo facto, sicut fit in Codice Civili Francorum, quin dicat se concedere jus tale lucrum percipiendi.

Digitized by Google

Ad pedes S. V. enixe provolutus suppliciter, et cum filiali affectu orat pro resolutione humillissimus, necnon obsequentissimus servus.

P. Fr. Episcopus Vivariensis.

Feria 4 die 31. Augusti 1831.

In Congreg. generali S. Officii habita in Conventu S. Mariae supra Minervam coram Em., et Reverendiss. DD. S. R. E. Cardinalibus contra haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus, propositis superioribus precibus R. P. D. Episcopi Vivariensis, iidem Em., et Rev. DD., praehabitis DD. Consultorum suffragiis, dixerunt.

Provisum in decretis fer. 4. 18. Augusti 1830. atque dentur decreta.

Eadem die, et feria SS. D. N. Gregorius Div. Provid. Pp. XVI. in audientia R. P. D. Assessoris S. Officii resolutionem ab Em. captam approbavit.

LIBER IV.

DE JUSTITIA ET JURE

Ubi de Testamentis, et ultimis voluntatibus disseritur

Cum autem inter gratuitos contractus testamenta locum occupent, instituti nostri ratio postulat, ut de iisdem pauca quaedam disputemus. Quare sit.

CAPUT I.

De definitione, divisione, et solemnitatibus Testamenti

Q. Quid est testamentum ?

R. Testamentum definitur a Modestino in L. 1. D. de testam. ordin: *Voluntatis nostrae justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit.* Vel est ultima nostrae voluntatis dispositio, seu ordinatio cum directa heredis institutione, sine qua irritum est testamentum. Communiter (1).

Q. Quotuplex est testamentum ?

R. Duplex est, scilicet solemne, et non solemne, seu privilegiatum. *Solemne* est, quod habet solemnitates a jure praescriptas. *Non solemne* est, quod licet careat solemnitatibus a Jure requisitis, ex speciali tamen privilegio valet, uti si ipsas haberet; cujusmodi est testamentum ad pias causas, testamentum inter liberos conditum, testamentum militis in bellica expeditione factum etc.

Testamentum solemne dividitur in scriptum, et nuncupativum, §. *Sed haec*, 14. Instit. tit. de testam. ordin. *Scriptum* est illud, quod fit scripto, servata juris forma praescripta in L. *Hac consultissima* 21. C. de testam., et quo testator vult latere voluntatem suam. *Non scriptum*, seu *nuncupativum* est illud, quod sine scriptura, ac etiam sine subscriptione, et sine subsignatione testium fit, cum testator coram requisitis testibus heredem oretenus nominat, simulque declarat, quid velit fieri de bonis suis post mortem, cit. §. *Sed haec* Instit. Licet etiam testamentum nuncupati-

(1) Videsis nostras additiones ad Cap. V. hujusce Libri de *Testamentis ordinandis.*

Digitized by Google

vum ex recepto more per regios Notarios scriptis consignetur, testamenti autem nuncupativi ratio non immutatur scriptura, sed inservit ad majorem probationem.

Q. Ut sit validum testamentum in scriptis, quid requiritur ?

R. Multae conditiones requiruntur; et I. Institutio heredis tanquam basis, et fundamentum, §. 34. Instit. tit. de legat. II. Ut sit in scripturam redactum, vel manu ipsius testatoris, vel alterius de expresso ejus mandato, cit. L. *Hac consultissima* C. de testam., ibi: *Vel ipsius testatoris, vel cujuslibet manu conscriptum*, ita tamen, quod si manu alterius sit scriptum, debet ei testator propria manu subscribere coram testibus, vel octavum adhibere testem, qui nomine et loco ipsius subscribat, cit. L, *Hac consultissima*, et L. *Cum antiquitas* 23. C. de testam. III. Ut adsint septem testes legitimi, uti sunt masculi; nam mulieres ad id non admittuntur, §. *Testes autem* Institut. de testam. ordinan., puberes, liberi etc. IV. Subscriptio, et subsignatio testium, §. *Sed cum.* et §. *possunt.* Instit. eod. tit. V. Ut testes non solum sint praesentes, sed etiam rogati, ac invitati, moniti, cit. L. *Hac consultissima* C. VI. Ut adsit unicus contextus, hoc est nullum actum alienum, non pertinens ad testamentum, testamento intermiscere, L. *Haeres* 21. §. 3. qui testam. fac. poss., nisi morbus, aliave necessaria causa illud postulat, L. 38. C. de testam.

Q. Quid dicendum, si testator sua manu totum testamentum confecit?

R. Non requiritur in tali casu ejus subscriptio, aut alterius subscriptio nomine suo, dummodo expressit specialiter in scriptura, factum fuisse sua propria manu. L. *Cum antiquitas* C. de testam.

Q. Quinam non possunt esse testes in testamento ?

R. Mulieres, quia ab omnibus publicis solemnibusque actibus excluduntur, L. 20. D. qui testam. fac. poss. Impuberes §. *Testes autem* et cit. L. *Hac consultissima*, Furiosi, nisi temporis lucidi intervalli testimonium dicant, cit. L. 20 §. 4, Prodigi qui simillimi sunt furiosis, L. 22. §. 2. D. de tut., et curat. Muti, surdi, Coeci, cit. §. *Testes autem* Instit. de test. ordin., et arg. L. *Si non speciali* C. de test., Servi, quia nullam habent juris civilis communionem, cit. L. *Hac consultissima*; et omnes intestabiles. Pater quoque, et qui in potestate patris est, non potest esse testis in testamento sui filiifamilias ob personae unitatem, §. 9. Institut. tit. de test. ordin. Praeterea heres, aut qui in potestate heredis est, aut pater qui heredem in potestatem habet, aut fratres heredis, §. 10. Instit. eod. tit. At legatarii, fideicommissarii, possunt esse testes, quia non sunt successores universi juris, §. 2. Instit. eod tit., ita etiam ceteri consanguinei, et affines testatoris, seu heredis. Quin pater in testamento filii emancipati, quia jam solutus est a patria potestate, possit esse testis, uti tenent Doctores omnes.

Not. Jure Regni Neapolitani testamentum in scriptis, codicillus, ac ceteri contractus celebrari debent per Regios Notarios, ac Judicem *ad contractus*, uti statutum est in Pragm. 2. de contract. Quin etiam testamentum nuncupativum fieri debet per Regium Notarium, ac *Judicem ad contractus*, secus testamentum valet, sed non habet vim scripturae publicae, cit. Pragm. 2. contract.

Q. Num testamentum sit validum in conscientia, dato quod desint in eo solemnitates a jure civili praescriptae ?

Digitized by Google

R. Dissidium est inter Theologos, et Canonistas, nam alii dicunt esse nullum in utroque foro, ita ut heredes, et legatarii, vi talis testamenti, nec possint aliquid accipere, nec si jam acceperint, illud tuta conscientia retinere valeant, sed omnia sub gravi debent restituere heredibus ab intestato, quamvis certo constet de testatoris voluntate, et ratio est, quia lex irritat testamentum, cui aliqua deest solemnitas requisita, ut patet ex L. *Si non speciali* 9. C. de testam., et L. 12. C, et cit. L. *Hac consultissima* C. eod. tit. Ita etiam tenent Covarr., Sanchez, Lessius, Stampò, Antoine, aliique.

Alii vero dicunt, quod testamentum minus solemne non sit quidem invalidum, et irritum ipso jure in foro conscientiae; possit tamen nullum declarari per Judicis sententiam, apud quem tam heres ab intestato, quam heres scriptus possunt, licite agere, ut jus suum pro sua bona fide in diversis legibus, et rationibus fundata defendant, licet sint certi de testatoris voluntate, unde tale testamentum partim est validum hoc est antequam irritetur per Judicis sententiam, et partim est invalidum, hoc est debet declarari nullum per Judicis sententiam, si super eo in judicio lis fuerit mota. Vid. Cabassut. Jur. Can. theor, et prax. lib. 6. cap. 3., Pontas verb. *Testamentum* cas. 20. in fine, Layman lib. 1. tract. 4. cap. 17. n. 2. quibus nos inhaeremus, namque eorum sententia probabilior nobis videtur. Excipe ex hac doctrina testamenta privilegiata, quia quamvis in illis desint solemnitates a Jure Civili praescriptae, tamen valida sunt in foro conscientiae. Ita Doctores communiter. Vid. Ferr. verb. *Testamentum*.

CAPUT II.

De Testamentis privilegiatis.

Q. Quid est testamentum privilegiatum?

R. Est illud, in quo vel nulla omnino juris civilis solemnitas requiritur vel non tam plena, et perfecta, sicut in aliis. Cujusmodi est testamentum, vel legatum ad pias causas Cap. *Relatum* 11. de testam., scilicet ob Dei, vel Sanctorum honorem, vel Animae spiritualem salutem factum, testamentum factum a patre, matre, vel alio ascendente utriusque sexus inter liberos, cit. L. *Hac consultissima* C. de testam., testamentum a milite conditum, dum in bellica expeditione versatur, L. *Milites* C. de test. milit., testamentum coram supremo Principe factum, oblato ei libello, in quo ultima voluntas descripta sit, L. 19. C. de testam., testamentum ruri factum, in quo quinque testes sufficiunt, si plus haberi non possint, et si sint illiterati, remittuntur subscriptiones, L. ult. C. eod. tit. Vide, si lubet, Strykium dissert. de test. rustic.

Nota. In testamento, vel legato ad causas pias, nulla omnino civilis legis, aut consuetudinis solemnitas requiritur, sed solo jure naturali, Divino, ac Gentium subsistit, uti communiter autumant Theologi, et Canonistae. Verum tam quoad testamenta, quam quoad legata ad pias causas attendendae sunt locorum consuetudines rite introductae, et approbatae.

Q. Num testamentum vel legatum ad causas pias valeat, si declaratio heredis, vel legati fiat nutu, aliove signo?

Digitized by Google

R. Maxime, quia non requiritur juris solemnitas, ut verbis expressis declaretur heres, vel legatarius, sed sufficit, ut testator quocumque signo externo manifestet suam voluntatem ad causas pias, cit. Cap. *Relatum* 11. de testam., et ita communiter, nisi aliter ferat loci consuetudo, ut supra dictum est; nam Jure Civili declaratio heredis facta nutu non valet, L. *Jubemus* 29. C. de testam.

Q. Num validum sit testamentum, aut alia ultima voluntas ad causas pias, scripta manu testatoris, sine testium subsignatione?

R. Valet, modo sufficienter constet esse testatoris scripturam. Quod si probari debeat, esse testatoris scripturam, requiruntur ad probationem saltem duo, vel tres testes, si aliud probationis genus haberi non potest, cit. Cap. *Relatum* de testam., et Fagnanus in Cap. *Cum esses* 10. de testam. n. 8. in foro enim sive judiciali, sive conscientiae nemo tenetur credere, et stare dicto unius etiamsi probatissimus omnium sit testis, unde vulgatum: *Unus testis, nullus testis.* Si vero certo constet heredi, talem fuisse testatoris voluntatem, ut aliquid in piam causam erogetur, esto in foro externo probari non possit, in foro tamen conscientiae satisfacere tenetur piae testatoris voluntati, nam probatione non est opus, quando de veritate constat. Layman, aliique.

Q. Quid si Parochus, vel Confessarius post mortem sui poenitentis producat schedulam, continentem legata pia, quam illum, antequam decederet, scripsisse asseverat, num habenda sit ei fides?

R. I. Si constet manum esse testatoris, vel probari potest duobus testibus, pia ejus voluntas executioni mandanda est.

Resp. II. Si ipsemet Parochus legata notavit, non creditur illi, sine alio teste. Quare monendi sunt Parochi, et Confessarii, ut non excipiant ultimas voluntates, nisi coram duobus testibus, sive masculis sive feminis.

Q. Quid si moribundus coepit facere testamentum, vel codicillum, et morte praeventus non absolvit illud?

R. Testamentum valet, quoad legata pia, quae in eo expressa sunt. Quoad cetera nullum est, L. *Si quis*, D. qui test. fac. poss., quia defectus civilium solemnitatum aliis praejudicat, non vero causae piae eo tamen modo, quo dictum est supra.

Q. Num validum sit testamentum, vel legatum ad pias causas, si alterius arbitrio committatur, v. g. . . Instituo heredem bonorum meorum pauperes, quos Titius elegerit: vel lego centum tali Ecclesiae, si filius meus velit?

R. Validum est, quia testatoris voluntas verificatur, uti communiter tenent DD. in Cap. *Cum tibi* 13. de testam. Quin si testator dixerit: *Committo omnia bona mea arbitrio, vel dispositioni Titii*, tunc Titius heres erit nudus, ac de solo nomine, et tenetur totam hereditatem in causas pias distribuere uti cavit Innoc. III. in cit. Cap. *Cum tibi*, ibi: *Qui extremam voluntatem in alterius dispositionem committit, non videtur decedere intestatus, sed testatus ad pias causas;* subjungit rubrica.

Not. Omnia haec aliter se habent in dispositione ad causas profanas. Irrita enim est institutio heredis collata in arbitrium, vel liberam tertii voluntatem, L. *Illa institutio.* 2., et L. *Si quis Sempronium* 68. D. de hered. instit. Ita etiam legatum in alterius arbitrio positum irritum est,

Digitized by Google

L. *Captatoriae* D. de legat., quia hae voluntates dicuntur *captatoriae*, quae a Jure reprobantur. Hinc autem obiter adverte, quod voluntas captatoria est illa, quae cum conditione apta ad alterius Animam captandum fit, v. g. *Instituo heredem Petrum, si ipse me, vel fratrem meum instituerit.* Quae institutio non valet, neque vi testamenti, neque vi alterius ultimae voluntatis, etiamsi miles ita disposuisset, L. *Captatorias* 11. C. de testam. milit. quia bonis moribus adversatur; nam potest alium deludere; qui enim conditionem apposuit, postquam ab altero institutus est, voluntatem suam mutare potest.

Q. Num hereditate non adita ex aliqua causa, legata pia exequenda sint?

R. Maxime, eo modo, quo dictum est supra.

Q. Num testamentum minus solemne principaliter ob piam causam conditum valeat, quoad legata profana secundario illi inserta?

R. Valet, servata ratione superius dicta, quia subsistente principali, convenit subsistere accessorium. Praeterea, si legata non pia irrita essent, causae piae tanquam heredi institutae accrescerent, ideoque aequum non est, ut idem testamentum validum sit in favorem causae piae, quoad institutionem, et nullum sit postea in damnum causae profanae, ut jure accrescendi cedat in gratiam causae piae. Covarr. de test. cap. 11. n. 2., Molina, Layman, aliique.

Q. Num testamentum minus solemne inter liberos a patre, matre, aliove ascendente conditum valeat?

Not. Imperfectionem testamenti duplicem esse posse, una enim est quasi extrinseca, et consistit in defectu solemnitatum legalium, puta si desunt septem testes, vel ii rogati non sint etc., altera est intrinseca, et consistit in eo, quod voluntas testatoris non fuerit perfecte declarata, uti si coepit scribere testamentum, vel voce nuncupare heredem, sed ad finem non perduxit. Hoc notato:

R. Si adsit in supradicto testamento imperfectio extrinseca, tunc sane valet, quia hae solemnitates non officiunt testamento privilegiato, textu expresso in L. *Inter omnes* 26. C. famil., ercisc., ibi. *Ex imperfecto autem testamento voluntatem tenere defuncti, nisi inter solos liberos a parentibus utriusque sexus habeatur, non volumus.* Quin, et si pater instituerit liberos in hoc testamento sine solemnitatibus in portionibus inaequalibus, etiam valet testamentum, L. *Parentibus* 8. C. de offic. testam., et ita communiter DD. Si vero in hujusmodi testamento adsit imperfectio intrinseca, et tunc dicendum non subsistere hujusmodi testamentum, L. *Si is qui* 25. D. qui test. fac. poss., non enim testamentum potest dici factum, sed potius coepisse fieri.

Not. Si pater instituerit heredes filios naturales, et spurios in testamento minus solemni, non valet institutio, ita communiter, quia quando lex mentionem facit de liberis, et filiis, ordinarie soli legitimi intelliguntur, L. *Filium* D. qui sunt sui, vel alien. Hoc tamen diversum est in testamento matris: quia filii naturales respectu matris pro legitimis reputantur, quoad capiendam hereditatem, §. *Novissime* Instit. tit. de Scto Orphit., et L. *Hac parte* D. unde cogn.

Q. Quid requiritur ad testamentum minus solemne inter liberos, ut valeat?

Digitized by Google

R. Requiritur, ut tempus conditi testamenti, et nomina filiorum, et portiones, in quibus instituuntur, manu ipsius parentis in testamento scripto exprimantur, Authent. *Quod sine* C. de testam., et Nov. 107. cap. 1. Vel, si alius scripserat testamentum, subscriptio parentis, aut ipsorum filiorum accedat. Cum autem in cit. Authent. nulla fiat mentio testium; ideo dicendum, testes in tali testamento scripto non requiri, dummodo testatoris manus certo cognoscatur, aut certo probetur.

Dixi *in testamento scripto non requiri testes*, nam in nuncupativo duo requiruntur testes, cit. L. *Hac consultissima* C. de testam., sive masculi, sive feminae, coram quibus testator suam explicare debet voluntatem. Gloss. in cit. Authent. et alii communiter.

Q. Num in testamento inter liberos scripto valeant legata, fideicommissa, libertates, et alia hujusmodi extraneis relicta?

R. Valent, uti aperte statuitur in cit. Authent. *Quod sine* C. de testam.; dummodo sit testamentum scriptum, nam si sit nuncupativum, non valent in foro externo; nam nullam parit actionem, et filiis accrescunt, uti cavit Constantinus in L. *inter omnes* ult. C. Famil. ercisc.

Q. Num ad testamentum a milite conditum in expeditione bellica requirantur Juris solemnitates?

R. Minime, quia est privilegiatum. Quare non exigitur testium numerus, vel alia solemnitas, sed sufficit, ut quocumque modo voluntatem suam exprimat voce, scripto, vel etiam in clypeo literis sanguine rutilantibus, modo id probari per duos testes possit. L. *Milites* C. de testam. milit., et factum sit testamentum sub ipsum tempus, quo in praelio vitae sortem miles sit relictus.

Q. Quid dicendum de testamento rusticorum?

R. Si rustici Ruri testentur, sive in locis ubi plures testes, quam quinque haberi non possunt, sufficit iste numerus tam in scripto, quam in nuncupativo, L. *Et ab antiquis* C. de testam., et si in tali loco non reperiuntur, subscriptione testium opus non est, secus si inveniri possunt.

Q. Num testamentum tempore pestis conditum cum minori testium numero, si septem haberi non possint, validum sit?

R. Dissidium est inter Doctores: alii enim dicunt satis esse, si duo testes interveniunt fidei faciendae causa, quia lex non obligat illos, qui eam servare non possunt, quae ratio subsistere non potest in casu, namque hic agitur de lege infirmante, et irritante, quae etiam si interveniat invincibilis ignorantia, aut aliquod aliud justum impedimentum, locum habet, et suum producit effectum.

Alii dicunt sufficere quinque testes, si plures haberi non possint, quae sententia refellitur; nam aliquo non nititur juris privilegio, cum non habeatur, imo habeatur contrarium in L. *Casus majores* 8. C. de testam., non nititur in necessitate nam si haec suffragaretur, nec etiam quinque requirentur.

Alii denique dicunt communiter septem testes ad substantiam testamenti requiri, sed unitatem contextus non esse necessariam, licet necesse non sit, eos testes simul congregari ad testamenti publicationem, vel subscriptionem, sed sufficiat singulos separatim rogare, et adhibere, cit. L. *Casus majores* D. de testam.

Digitized by Google

CAPUT III.

De iis, qui testari possunt, vel non.

Omnes testari possunt, nisi jure prohibentur, vel naturali, vel positivo L. *Habeat unusquisque* C. de sacros. Eccles.

Q. Quinam naturali jure prohibentur testari ?

R. Illos, qui rationis usu carent, uti sunt infantes, mentecapti, furiosi, amentes etc., dummodo testamentum non faciant tempore, quo remissus sit furor, et quo lucida habent intervalla rationis, §. *Praeterea* Instit. quib. non est permiss. fac. testam., et L. *Furiosum* 9. C. qui testament. fac. poss.

Q. Quinam prohibentur jure positivo testari ?

R. Surdus simul, et mutus a natura, §. *Idem surdus* 3. Instit. tit. quib. non est perm. fac. testam., et L. 10. C. qui testam. fac. poss. Secus vero dicendum, si alterutro vitio laborat, modo lingua, vel scriptura voluntatem suam exprimere possit.

II. Coecus testari non potest, nisi nuncupative, hoc est, si palam nuncupet heredem, et praeter septem testes adhibeat Notarium, vel si hic deest, octavum testem, qui debet redigere in scripturam illam nuncupationem subscriptam, et obsignatam ab omnibus octo testibus, quod fit in testamentis scriptis, cit. L. *Hac consultissima* C.

III. Prodigus, cui bonorum administratio interdicta est, quod si ante administrationem interdictam fecerit testamentum ratum manet, §. *Idem prodigis* 2. Instit. quibus est permiss., etc. Ast si prodigus in condendo testamento bene prospexerit posteritati, hoc est, inter heredes ab intestato diviserit bona, valet testamentum, ut cavit Leo Imper in Nov. 39.

IV. Servus sive mancipium, quia nihil proprii habet, L. 16. et L. 19. D. qui test. fac. poss.

V. Usurarii publici, et manifesti, nisi prius satisfecerint de usuris, vel idoneam cautionem praestiterint, Cap. *Quanquam* de usuris in VI.

VI. Filiusfamilias *regulariter loquendo*, quia si filiusfamilias sit pubes, potest libere testari de bonis castrensibus, vel quasi, L. *Nemo*, et L. *Omnes* 12. C. qui testam. fac. poss., non autem de bonis adventitiis, ne quidem, patre consentiente. L. *Qui in potestate* D. eod. tit.

Dantur tamen casus, in quibus filiusfamil. de adventitiis testari potest, et sunt I. Si filiusfamilias patre consentiente de iis bonis ad pias causas testetur, Cap. *Licet* de sepult. in VI. II. Si filiusfamilias est Clericus, nam adventitia Clerici, perinde ac castrensia, vel quasi, testamento relinqui possunt, Authent. *Presbyteros* C. de Episc. et Cleric., licet sub patria potestate manent. III. Testari etiam non potest impubes ob judicii immaturitatem, L. *Si frater* C. qui testes. fac. poss. IV. Haeretici, L. *Manichaeos*, et L. *Ariani* C. de haereticis. V. Rei criminis laesae Majestatis, L. *Quisquis* 5. C. ad L. Jul. Majest. Tandem testari non possunt damnati ob libellum famosum, L. *Is cui* 18. §. 1. D. qui test fac. poss. et L. *Ob carmen* 21. D. de testib., ibi.: *Ob carmen famosum damnatus intestabilis fit.*

Nota. De jure consuetudinario Neapolitano filiofamil. permittitur testari de bonis adventitiis per matrem, vel per alias personas ex linea materna

Digitized by Google

quaesitis. De ceteris autem bonis adventitiis illi undecumque obvenientibus servatur jus commune. Debet tamen ex hisce bonis relinquere debitum subsidium Patri, secus Patre praeterito, testamentum erit nullum, uti advertit. Napodan. in hac consuetud., quae incipit *Filiusfamil.* tit. de fil. famil. volent. testam. Haec tamen facultas testandi de adventitiis maternis non extenditur ad alienationes inter vivos, quia Consuetudo est strictae interpretationis. At extenditur, si filiusfamil. testamentum condat extra territorium, et districtum Neapolis, modo dicta bona extent in districtu Neapolitano. Vid. Gaspar. de Leo, et Napodan. ad cit. consuetud., et de Franchis. decis. 4.

Q. Num filiusfamil. pubes donare possit causa mortis ex bonis adventitiis de consensu patris?

R. Maxime, si accedat auctoritas patris., L. *Filiusfamil.* 7. D. de donat. Verum ipsi patri donatio fieri non potest, cum nemo in propria causa auctoritatem praestari possit, quare opus est Judicis auctoritate, si sic donare velit ipsi patri.

Q. Num professus alicujus Religionis possit facere testamentum?

R. Minime, tum quia sui juris non est, neque velle, aut nolle habet, tum quia rerum dominium non habet, neque habere potest, Authent. *Ingressi* C. de Sacros Eccl.

Q. Num Novitius Religionis possit testari, vel donare?

R. Potest, etiam non petita Superioris licentia, Authent. *Nunc autem* C. de Episc. et Can. *Si qua mulier* 19. q. 3.; quia adhuc non professus sui juris est, et honorum suorum dominus, cum exeundi liberam habeat potestatem. Et si Novitius decedat intestatus, proximi consanguinei succedunt in bonis suis.

Q. Num quis teneatur in conscientia testari de rebus suis?

R. Regulariter nemo tenetur, ne quidem in conscientia, quia non appareret jus, unde consurgat haec obligatio. Interdum tamen tenetur in conscientia per accidens, hoc est ad praecavendas lites, aliave incommoda, quae aliter oriri possunt.

CAPUT IV.

De revocatione testamenti

Q. Num testamentum, et alia ultima voluntas sit mutabilis?

R. Maxime ante mortem testatoris, addendo, minuendo, corrigendo, penitus cassando etc., ait enim Ulpianus in L. 4. D. de adimend. legat.: *Ambulatoria enim est voluntas defuncti usque ad vitae supremum exitum*, quamvis se obligaverit ad non revocandum testamentum, aut mutandum, L. *Si quis* 22. D. legat. 3. Imo etsi juraverit se non revocaturum testamentum, poterit etiam valide revocare; licet non sine peccato revocet.

Q. Quotuplici modo potest testamentum a testatore revocari?

R. Duplici modo I. Per factum contrarium, puta si testamentum scriptum laceretur, heredis nomen deleatur, vel sigilla, aliave substantialia de industria auferantur a testatore, L. *Si unus ex septem* et L. *Nostram* 30. C. de testam. II. Per aliud testamentum valide, ac legitime conditum, in quo

Digitized by Google

alius heres institutus, sit licet postea contingat eum hereditatem non adire, §. *Posteriore* Institut. quib. mod. test. infirm., et L. 54. D. de hered. instit. Requiritur tamen, ut secundum testamentum validum sit, ita ut secundum illud poterit adire hereditatem, quia si posterius est imperfectum, vel minus solemne fuerit, primum non revocatur, uti docet Papinianus in L. 12. D. de his, quae ut indign. etc. Si quidem civili jure ita decretum est, ut testamentum legitime conditum non sola voluntate rumpatur, aut revocetur, sed alia nova, et legitima heredis institutione opus sit, §. *Ex eo* Instit. quib. mod. testam., et cit. L. *Hac consultissima* §. *Si quis autem.* C. de testam.

Q. Num dentur casus, in quibus per testamentum minus solemne, vel per vocem revocetur testamentum solemne legitime conditum?

R. Dantur: quorum primus est, si testator post conditum testamentum lapso decennio, illud coram tribus saltem testibus, vel inter acta manifestando suam contrariam voluntatem revocet. L. *Sancimus* 27. C. de testam.

II. Si testator coram septem testibus dicat se revocare primum testamentum; quia velit decedere intestatus; nam in tali voluntate continetur tacita heredum ab intestato nuncupatio, et institutio, ut colligunt DD. ex L. 1. §. *Si heres* D. si tabul. test. null. extab.

III. Si in priori testamento heres extraneus institutus fuit revocatur per posteriorem voluntatem minus solemnem in qua instituti sunt, qui ab intestato venire possunt, dummodo quinque testes adhibeantur, cit. L. *Hac consultissima* §. *Nisi forte* C. de testam., et L. *Tunc autem* 2. D. de injust. rupt. etc.

IV. Si testamento solemni subsequatur testamentum aliud minus solemne, ad cujus valorem major solemnitas non requiritur, puta testamentum ad pias causas, testamentum inter liberos factum, testamentum militare, §. 2. Instit. tit. quibus. mod. testam. et L. *Tunc autem* 2. D. de injust. rupt.

Not. Testamentum inter liberos conditum, revocatum non censetur, nisi testator altero testamento solemni facto, insuper adjecerit, se nolle prius testamentum validum esse. Authent. *Hoc inter* C. de testam. exceptis duobus casibus. I. Si in posteriori testamento, etiam liberi heredes instituti sint. II. Si in posteriori testamento causa pia instituta sit, quia tunc nulla juris civilis solemnitas requiritur, sed sufficit, si constet voluntas testatoris, semper tamen eodem modo, quo supra.

Q. Quid si testator juraverit se non revocaturum testamentum, num possit illud revocare?

R. Potest illud valide revocare, sed illicite, valide, quia adjunctum juramentum non mutat naturam testamenti de se revocabilis. Illicite tamen, quia quoties juramentum est de re licita, servandum est, sed licitum est non revocare testamentum. Ergo etc. Layman. Vid. Grot. lib. 11. de J. B. et P. Cap. 13. §. 19.

Digitized by Google

CAPUT V.

De heredibus instituendis

Q. Quinam dicitur heres?

R. Dicitur ille, qui succedit in omnia jura defuncti, L. *Heres* 39. D. de adquir. hered., ibi: *Heres in omne jus mortui non tantum singularum rerum dominium succedit.*

Q. Quotuplex est heres?

R. Duplex est, *ex testamento*, et *ab intestato*. *Ab intestato* est ille, qui succedit ex legis dispositione in universum jus defuncti, si intestatus decedit, vel testamentum fecit, et non jure fecit, aut id, quod fecerit, ruptum irritumque factum est, princip. Instit. de hered. quae ab intest. def. *Ex testamento* est, qui instituitur a testatore ex sua speciali dispositione in testamento. Qui multiplex est, scilicet *Universalis*, et *Particularis*, *Necessarius*, et *non necessarius*, seu *voluntarius*, *Suus*, *et non suus*.

Universalis est ille, qui instituitur ad succedendum in omnibus juribus, et bonis defuncti, ideoque etiam ad subeunda omnia defuncti debita realia, L. 8. princ. D. de adquir. hered. Particularis est, qui instituitur in parte aliqua hereditatis, puta in triente, quadrante etc., vel in aliqua re determinata, e. g in illa domo, in illo agro etc., licet illi, qui in certa tantum re instituti fuere legatariorum potius loco habendi sunt, quam heredum, ut jubet Justinianus in L. *Quoties* 13. C. de hered. instit. *Necessarius* dicitur ille, quem testator cogitur instituere in portione legitima, nisi habeat justam causam exheredandi. *Non necessarius* dicitur quem testator non cogitur instituere, uti sunt extranei, et omnes illi, qui non sunt in linea recta. *Suus* dicitur, qui tempore mortis testatoris est in ejus potestate, etiam posthumus §. 2. Instit. de hered. qualit. *Non suus* dicitur omnis alius, haeres sive ab intestato, sive ex testamento. Vide Vinnium ad tit. Instit. de hered. qualit., et differentes.

Q. Quinam heredes institui possunt?

R. Omnes homines, dummodo tamen a jure non prohibentur (1).

Q. Quinam a Jure prohibentur?

R. 1. Hostium Civitates, L. *Omnium* D. ad SC. Trebell., 2. Communitas Judaeorum, L. 1. C. de Judaeis. 3. Haeretici, eorumque defensores, et receptatores, L. 5. C. de Haeret. 4. Apostatae a Christiana Fide, L. 3.

(1) Jure novissimo Cod. LL. Civ. art. 825. cautum, quod Medici, Pharmacopolae, illique omnes, qui in extrema infirmitate defuncto inservierunt, necnon Advocati, qui in testamento condendo consilium ipsi dederunt, Ecclesiae tandem Ministri, qui Divina Sacramenta, Religionisque officia illi praestiterunt, nihil vel testamentaria factione, vel donationis titulo ab eo accipere possint, nisi vel ejusdem propinqui fuerint usque ad quartum gradum, et heredes in linea recta deficiant, aut, si extent, ipsi legatarii intra eorum numerum recenseantur, vel demum titulo remunerationis legatum iisdem relinquatur.

Praeterea art. 823. sancitum tutores in minorum testamentaria factione heredes institui non posse: si vero hi ad majorem pervenerint aetatem, et tutores administrationis gestae rationes reddiderint, valida prorsus erit eorum institutio.

Digitized by Google

C. de Apostat. 5. Deportatus, vel ad metalla damnatus, vel ad ultimum supplicium, L. *Q. ultimo* 24. D. de poenis. 6. Perduelles, et Rebelles, L. *Quisquis* 5. C. ad L. Juliam Majest. 7. Non potest esse heres, neque ab intestato, qui occidit testatorem, L. 7. §. penult. D. de bon. damnat., et L. 15. D., et L. 14., 15. C. de Scto Silaniano 8. Filii spurii, hoc est illi, qui sunt nati ex damnato coitu, Authent. *Ex complex.* de incest. nupt. et Authent. *Licet* C. de natural. liberis. 9. Parentes, et liberi incest. L. 6. C. de incest. nupt. Vid. Perez. ad hunc tit.

Q. Num spurius institui potest heres ab avo vel alio consanguineo sui patris?

R. Maxime, dummodo deficiat proles legitima, et non consideretur intuitu patris. Quin succedit ab intestato fratribus, aliisque consanguineis uterinis, L. 2. et 4. D. Unde cognati. Dixi, *uterinis*, quia si uterini non sint, sed ex diversis matribus geniti, non censentur habere cognationem inter se, et cum aliis cognatis patris, quoad bonorum successionem. Vid. Voet ad tit. Dig. unde cogn.

Q. Num Religiosi possint institui heredes, vel succedere ab intestato?

R. Religiosi illius ordinis, quibus permissum est bona immobilia possidere in communi, posse institui heredes, atque ab intestato succedere. Clement. *Exivi* §. *quia igitur* de verb. signif. Hujusmodi sunt Jure novo Trident. sess. 25. Cap. 3. de Regular. Omnes ordines etiam mendicantes, praeter Minores de observantia, et Cappucinos.

Q. Num ad adquirendam hereditatem, Monacho necessaria sit ipsius aditio, an vero Monasterium, eo ignorante, vel invito adire possit?

R. Ex communi consensu Canonistarum proxime deferri Monasterio, ut adire eam possit, invito etiam Monacho: Monachus autem adire nequit, nisi ex Praelati, aut Monasterii mandato; ratio est, quia Religiosus propter votum solemne paupertatis incapax est sibi adquirendi, et aequiparatur filiofam. de quo habetur in L. ult. C. de bon. quae lib., quod recusante eo hereditatem, pater nihilominus adire eam potest, ad sibi usumfructum adquirendum.

Q. Num Religiosus ad Episcopatum translatus hereditariae successionis sit capax?

R. Maxime, quamvis fuerit ordinis Mendicantium, ita tamen, ut bonorum solam administrationem adquirat, dominium vero Ecclesiae, cui praeest. Ita DD. communiter.

Q. Quomodo solet dividi hereditas?

R. Plerumque solet dividi in duodecim uncias, quae *Assis* appellatione continentur, et in asse inveniuntur, facta dinumeratione ab uncia, et desinendo in assem, scilicet una pars assis dicitur uncia: *Sextans*, quasi sexta pars assis, duae unciae: *Quadrans*, quarta pars assis, idest tres unciae: *Triens*, tertia pars, idest quatuor unciae: *Quincunx* quinque unciae: *semis*, seu medietas assis, sex unciae: *Septunx*, idest septem unciae: *Bes*, quasi bis triens, octo unciae: *Dodrans*, quasi demp to quadrante assis, novem unciae, *Dextans*, decem unciae, quasi *dempto sextante assis*, *Deunx* quasi dempta unica uncia assis, undecim unciae. Duplex as *Dupondium*, idest XXIV. unciae vocatur. Vid. Interpr. Jur. Civ.

Digitized by Google

Q. Num ille, qui fuit heres in parte aliquota hereditatis, cogatur sustinere onera hereditatis?

R. Maxime, juxta proportionem suae partis, quia revera heres est, et personam defuncti exhibet ex aliqua parte. Si vero institutus sit heres in certa aliqua determinata re, non cogitur, quia iste talis habetur loco legatarii, ideoque jura, actiones, et debita defuncti ad eum non pertinent, sed ad heredem proprie dictum, qui personam defuncti exhibet, L. *Quoties* C. de hered. instit.

Q. Quid si nullus alius heres, nisi particularis institutus sit, hereditas reliqua cui debetur?

R. Reliquam hereditatem accrescere heredi particulari, quamvis incerta re verbis directis instituto. Quod etiam locum habet, si reliqui instituti per testatorem mortui sint, vel hereditatem repudient, D.1. §. *Si ex fundo* D. de hered. inst.

Q. Quaenam est portio legitima necessario relinquenda heredibus necessariis?

R. Si filii non sint plures, quam quatuor vel masculi, vel feminae, est *triens* hereditatis. *Semis* vero si plures, quam quatuor sunt, Nov. 18. cap. 1. Quae *triens* vel *semis*, est inter filios dividenda, ut habetur in Authent. *Novissima* D. de inoffic. testam. Atque in numero liberorum constituendus est etiam, qui omnino renuntiavit hereditati, nisi forte renuntiatio juramento fuerit confirmata, Cap. *Quamvis pactum* de pact. in VI. Non vero ille, qui exheredatus est, aut in aliqua Religione professus est.

Legitima pure, et sine onere relinquenda est, quia non beneficio testatoris, sed providentia legis obvenit: nec in pecunia, sed in corpore debetur. Vide, si lubet, Rittershusium in nov. 18. Justin. part. 6. cap. 4. (1).

Q. Quaenam est legitima ascendentium?

R. Est triens hereditatis, quae deficientibus descendentibus testatoris debita est parenti uni, vel utrique superstiti. Sint autem neuter parens supersit, in locum patris succedunt avus, et avia paterna, in locum matris, avus, et avia materna. Authent. *De heredibus ab intest.* C. de legit. hered.

Q. Quid si alicui descendenti, vel ascendenti portio jure institutionis seu hereditario non relinquatur?

R. Vel infra legitimam portionem relinquatur aliquid, vel nihil omnino. Si primum competit ei actio ad petendum complementum legitimae, uti cavit Justinianus in § 3. Instit. tit. de inoffic. test. Si autem nihil relinquatur, et videndum: vel inserta est justa causa praeteritionis et exheredationis, et dico, quod probata ab herede instituto, valet testamentum, et filius exheredatus non habet, quid petat: vel non est inserta justa causa exheredationis, et dico testamentum ipso jure nullum esse, quoad heredis institutionem, nam cetera capita, nempe legata, fideicommissa, substitutiones salva manent uti cavit Justinianus in Authen. *Ex causa* C. de liber. praeter.

(1) Jure novissimo Cod. LL. Civ. cautum quotam filiis, eorumque descendentibus jure repraesentationis a parentibus relinquendam in semisse hereditatis quovis onere experte: art. 829., et 830.

Quod vero legitimam ad ascendentes, filios naturales etc. pertinentem respicit, vide nostras additiones *de legitima successione*.

Digitized by Google

Nota. Testamentum rescinditur Judicis sententia *per querelam* inofficiosi, nam non fuit factum ex officio. Est autem querela inofficiosi actio, qua ii, quibus portio legitima debetur injuste exheredati, vel praeteriti, agunt contra heredes institutos, ut testamentum eo colore, quod testator non sanae mentis fuerit, rescindatur. Ast si heres impugnare, sive rescindere contendit testamentum, intra quinquennium id agere debet. L. *Si quis filium*, L. *Scimus* §. *Illud praeterea* C. de inoff. testam.

Q. Quid si in testamento habeatur posthumi praeteritio, vel exheredatio?

R. Testamentum rumpitur si ille vivus, non monstruosus, et intra legitimum tempus nascatur, L. *Posthumo nato* C. de bonor. possess. contr. tab.

Q. Num parentes peccent, dato, quod successionis inaequalitatem constituant inter liberos post constitutam legitimam?

R. Peccant graviter, si id faciant sine justa causa, et solum ex inordinato aliquo affectu, nam licet secundum Jus civile hoc permittatur post constitutam legitimam portionem, ex Jure tamen Naturae, ratione cujus successio omnibus liberis aequalis est, prohibetur, causa justa non accedente. Layman.

Q. Num succedat in hereditate Conjux inops testatoris?

R. Justinianus in hoc casu pro filiorum diverso numero, et qualitate, diversum jus cavit. Nam si quatuor, pluresve liberi defuncto superessent, conjugem superstitem inopem in portionem virilem admisit, sin tres, aut pauciores in quartam. Ita tamen, quod si liberi communes forent, tantum usumfructum conjugi superstiti deferri jussit, sin ex alio matrimonio suscepti essent, ad conjugem superstitem ipsam proprietatem pertinere statuit. Novel. 117. Cap. 5., quae portio *Quarta uxoria*, a Pragmaticis nuncupatur.

Q. Quibus de causis filius exheredari potest a patre?

R. Justinianus certas definivit exheredationis causas, jussitque causas exheredationis nominatim testamento inseri, easque sola parentis attributione, ac dictis non sufficientibus deberi ab herede probari. Nov. 115. Cap. 3. pr. §. 4. Justae causae sunt quatuordecim, ob quas a parentibus liberi exheredantur. I. Si filius gravem injuriam parenti fecerit. II. Si impias manus in eum injecerit. III. Si ejus vitae insidias struxerit. IV. Si denuntiator filius contra parentem extiterit, atque ex denuntiatione filii grave damnum senserit. V. Si filius cum maleficiis, idest veneficiis, ut maleficus versatus sit. VI. Si patrem testari prohibuerit. VII. Si patrem furiosum neglexerit. VIII. Si captivum non redemerit. IX. Si filius in haeresim inciderit. X. Si patrem criminis capitalis accusaverit. XI. Si novercam corruperit. XII. Si patrem carceri inclusum fidejussione liberare recusaverit. XIII. Si mimos patre invito sequatur. XIV. Si filia minor annis 25. (cum pater et dotem, et maritum dare vellet) luxuriosam vitam elegerit. Vid. in fin. Append. (1).

Q. Quaenam sunt causae, ex quibus filius potest exheredare patrem?

(1) His adde Pragm. 1. *de matrim. contrah.* olim pro Regno Neapolitano latam qua cautum patrem in testamentariis tabulis posse filios exheredes scribere, si hi, licet emancipati, ante XXX. aetatis annum absque illius consensu in scripturam redacto matrimonium contraxissent: filiae etiam si XXV. anno minime exacto, patre

Digitized by Google

R. Octo assignantur ab eodem Justiniano, cit. Nov. Cap. 4., quarum I. est, ob accusationem capitalem liberorum. II. Si vitae liberorum insidias struxerit. III. Ob stuprum nurui illatum. IV. Si testari liberis prohibuerit. V. Si eos non redemerit captivos. VI. Si furiosos neglexerit. VII Si parentes haeretici fuerint. VIII. Si pater matri, vel haec illi venenum praebuerit (1).

Q. Quaenam sunt caussae, ex quibus frater, vel soror potest exhere dare fratrem, vel sororem?

R. Sunt tres ab eodem Justiniano statutae, Nov. 22. Cap. 47. Si frater, aut soror vitae fratris, sororisve insidiatus sit. II. Si eosdem criminis capitalis accusaverit. III. Si eorum bonis notabilem jacturam intulerit. Advertendum tamen, quod frater, vel soror, fratres, vel sorores quamvis germanos, et consanguineos testamento praeterire possit, modo turpem non instituat personam, nam tunc illos instituere, aut exheredare tenetur, L. 27. C. de inoffic. testam.

renuente, nupsissent. *Pragm. cit.* Diplom. sub die 28. Oct. 1769. et Diplom. sub die 8. Febr. 1777.

Illud autem animadvertendum, potuisse filiosfamilias etiam absque patris consensu matrimonium inire, nullaque civili poena mulctandos pluribus casibus: Et 1. Si filius, vel filia exacta aetate in Pragm. cit. praescripta nuptias celebraret. 2. Si eorum pater ad triremes damnatus fuerit: Diplom. 15. Nov. 1783: Si filius esset mere naturalis: Diplom. 1. Sept. 1787. 4. Si filius ob nefandum stupri scelus admissum a Potestate Civili coactus fuerit ad matrimonium ineundum. Diplom. 7. Julii 1770. 5. Si filius vero injuste a patre fuerit derelictus, tunc in ipsius nuptiis contrahendis Rex consensum praestabat: Diplom. 10. April. 1770.

Jure autem novissimo Cod. LL. Civ. art. 849. cautum, quod filii, eorumque descendentes, quibus portio legitima debetur, ab hereditate parentum exheredari possint hisce caussis. 1: Si filius in patrem saevitias, vel quodvis delictum commiserit: 2: Si irrationabiliter alimenta ei negavit: 3: Si furiosum neglexerit. 4: Si in captivitatem detentum minime redemerit. 5: Denique si filia, patre enixe renuente, vitam libidinosam impie egerit.

(2) Jure novissimo Cod. LL. Civ. art. 850. sancitum filios in testamentaria factione parentes exheredes scribere posse hisce caussis 1. Si filium apud hostes captivum non redemerint: 2. Si injuste illis alimenta negarint: 3. Si furiosum minime curarint: 4. Ob facinus ab altero parente admissum, ut mortem alteri efferat, vel atroces injurias inferat. 5. Demum si filiorum vitae insidias struxerint.

Digitized by Google

ADDITAMENTA

DE TESTAMENTIS ORDINANDIS

Quum Jure novissimo nonnulla constituta fuerint in Utriusque Siciliae Regno, quae non solum testamenti factionem *activam*, ut vocant, et *passivam*, jus nempe illud condendi, et potestatem capiendi ex testamento respiciunt, verum etiam ad illius rationes, ac formas pertinent: hinc brevitate, qua par est, heic illa referre duximus (1).

Et principio testamentum, quod et mentis testatio, et ultimae voluntatis significatio dicitur, est actus, quo quis vel de bonorum universitate, vel de qualibet parte post mortem suam cum potestate illum revocandi rite disponit: art. 815. Cod. LL. Civ. Nec interest quod testator de universo asse minime testetur, quippe quod cum possit pro parte testatus, pro parte intestatus decedere, ad quotam legitimam heredes necessarii, descendentes nempe, vel adscendentes admittuntur: ad reliquam legatarii, vel heredes in testamento instituti: art. 829., et 831. Tum cuivis testari jus fasque est heredes instituendo, vel legatarium universalem, vel titulo universali, aut speciali: art 892. Immo testatori potestatem facit lex plura testamenta condere, nec non posterioribus tabulis, vel actu apud tabellionem suae voluntatis mutationem exprimente, dispositiones jam confectas penitus abrogare, vel iisdem derogare, art. 990. Unde colligas testamenta posteriora, quae expresse antecedentia non abrogent, illis dumtaxat dispositionibus derogare, quae prioribus tabulis adversantur: art. 991. Testamentaria vero dispositio destituta sane erit, si heres, vel legatarius ante mortem testatoris deficiat, art. 994.

Jam vero testamenta esse possunt holografa, publica, et mystica: art. 894 (2).

(1) Testatores tenentur in conscientia, et quidem sub gravi legare sua bona non solum heredibus necessariis, v. g. filiis, et parentibus, aut avis quoad Legitimam; sed etiam fratribus, et sororibus, cum isti necessitate extrema, aut gravi laborant, ut tenendum est cum *Lugo*, *Bonacin.*, *Silv.*, *Diana*, etc. *contra Salmantic.* Ratio est, quia nos in vita jam tenemur diligere, et adjuvare fratres pauperes sub gravi obligatione, ut docent communiter *Laym.*, *Silvest. Ang.* cum ipsismet *Salm.* ob sanguinis ligamen, et ita, ut si quis suum fratrem laedit, duo committit peccata, unum contra justitiam, et alterum contra pietatem. Si igitur obligatio nos in vita ligat, quidni in morte? Dixi *necessitate extrema*, *aut gravi*, quia si fratres essent quidem pauperes, sed non in tanta necessitate, aut si essent conjuncti in gradu remotiori, licet isti essent in gravi necessitate, tunc probabiliter non erit obligatio gravis, sed erit saltem levis. *Ex S. Ligorio homo opost. Tract. X. Punct.* §. 237.

(2) Praestat heic de testamentis recensere quae olim Jure Consuetudinario in hac Urbe Principe, ejusque districtu vigebant.

Ac primo de testamentis Patrum-familias ex Consuetudine *Si aliquis moriens tit. de successione ex testamento* cautum.

I. Si pater haberet bona a se adquisita, Juri communi in factione testamentaria

Digitized by Google

In holografo requiritur dumtaxat, ut testator tabulas manu sua scribat iisque subscribat adjectione diei, et anni. Ita illud confectum, nulla jur sollemnitate opus est, ut plenum obtineat robur testantis arbitrium art. 89

Quod si quis velit publicum testamentum condere, quod sane nuncup tivae dispositioni, quae olim vigebat apud Romanos, respondet, tunc adl bitis duobus tabellionibus, et duobus testibus, vel quatuor testibus, et tabe lione (art. 896), palam, ac dilucide voluntatem suam declaret; quam qu dem a tabellione litteris consignari necesse est: iisque peractis, quaecun que in ipso testandi actu scripta sunt, ea testatore, testibusque praesentibu praelegi necesse est: art. 897. Postquam autem illius voluntas innotuerit tabulae singulis paginis subscribantur tum ab ipso testatore, cum a tabe lione, et testibus art. 899., et 900. Hoc autem testamentum ut ratum sit praeter solemnitates adhuc recensitas, cautum art. 898, ut aliae adhibean tur, quae in authenticis scripturis requiruntur.

Quod vero testes testamentarios spectat: ii quidem debent esse mares

obtemperare debebat, filios instituendo saltem in legitima, vel eos justa de caus exheredando II. Si haberet bona antiqua, scilicet bona ei relicta ex Agnatorum, ve Cognatorum linea, medietatem relinquere debebat filiis dividendam; de alia medie tate pro suo arbitrio jus disponendi ei erat. III. Si pro uno filio magis, quam pr alio expensas fecerit, habebat jus adaequandi.

Tum in consuetudine *Si aliquis tit. de success. morient. sine filiis ex testamento*, constitutum, quod si testator filios non haberet, posset de bonis a se quaesitis ad sui arbitrium disponere, secundum quod jura antiqua, et communia sinebant, de bonis vero antiquis adigebatur medietatem relinquere proximioribus ex linea, unde bona profecta erant; scilicet si ex linea paterna proximioribus paternis: si ex linea materna, proximioribus maternis.

Illud autem heic observatu dignum patremfamilias bona antiqua alienare potuisse inter vivos, quia hae Consuetudines locum habebant in ultimis voluntatibus, dummodo Consuetudini fraus non fieret. *Vid. Nopodan. ad cit. consuetud. n. 15.* Agnati vero, vel Cognati succedebant ad istam medietatem, non uti heredes, sed ex providentia Consuetudinis. Quare libera, et sine ullo onere ea debebatur, et non adigebantur ex ea medietate solvere legata a testatore relicta: *de Franchis decis. 84.*, nec etiam impensas funeris. *Vide Capycium in dict. Consuet. F. de testam. filiosfamil. Vid. Cap. III. de testam.*

Praeterea de testamento Mulierum ex Consuetudine *Si qua moriens tit. de muliere habente filium* constitutum, quod si mulier haberet filios, de dote, vel de hereditate sibi delata a cognatorum, vel agnatorum linea tam donationis titulo, quam testamento, testari posset de decima tantum parte, adeo quidem, ut reliquas novem liberis relinquere deberet. Si autem haberet bona a primo viro donata, vel aliunde quaesita, tunc relicta filiis legitima, vel parentibus si superessent, reliquam arbitratu suo disponere posset secundum Juris communis dispositionem, ita tamen, bona a primo viro adquisita integre reservarentur conferenda in filios prioris matrimonii juxta L. *Foeminae 3. L. de secund. nupt.* . . Quae dispositio Juris communis servabatur, etiam in nostro Regno teste de Rosa.

Ast si filii non extarent, mulier testari debebat secundum Consuetudinem: *Et testator*: ita ut medietatem relinquere deberet proximioribus ex linea, unde obvenerunt, et de alia medietate ad sui libitum disponeret. Porro haec Consuetudo complectebatur bona extra districtum Civitatis posita; quia nomen dotis, quo utebatur Consuetudo est juris nomen, quod attribuitur cuivi rei dotali sive in territorio civitatis extaret, sive non. *De Franchis decis. 472. num. Vid. Scipion. Sanctinus ad cit. Consuetud.*

Digitized by Google

aetate majores, et Regi Nostro subditi art. 906: prohibentur autem a testimonio dicendo in testamentaria factione heredes, vel legatarii a testatore instituti, propinqui, vel affines usque ad quartum gradum inclusive, demum tabellionis tyrones art. 901.

Jam vero si qua hujusmodi solemnitatum omittatur, aut illarum, quae sub nullitatis poena in statutis an. 1819. art. 927. latis decernuntur, testamentum penitus irritum erit; art. 927.

Quod vero spectat ad testamentum mysticum, solemnitates illas in nostro Regno observari necesse est, quae a Justino Imperatore in L. C. *Hac consultissima* praescribuntur, quaeque Regio Diplomate in Galliis lato an. 1755. art. 90. penitus confirmata fuerunt. Hujusmodi autem solemnitates sunt;

Ut testator tabulis subscribat, licet manu sua eas minime conscripserit; ut tabellione, et sex testibus praesentibus, involucro illae inclusae obsignentur, et testator ipse illud suum esse testamentum profiteatur a se, vel ab alio scriptum. Tum subscriptionis actus in ipsis tabulis obsignatis a tabellione conficiatur, et subscriptiones fiant tum testium, et tabellionis, tum testatoris: qui si repente morbo correptus, subscribere nequeat, tunc, nullo alio teste adhibito, illius impotentiae dumtaxat mentio fiat. Si vero testator scribere nesciat, vel cum suam dispositionem alius scripserit, subscribere nequiverit, tunc alius testis adhibeatur, testatorisque impotentiae mentio fiat. In hisce vero solemnitatibus adhibendis unitas contextus sub nullitatis poena praescribitur. art. 902.

Quod si testator voluntatem suam litteris, non verbis aperire valeat, tunc ea conditione mysticum testamentum condere potest, ut integre manu sua illud conscriptum, et adjectione diei, et anni subscriptum tabellioni, et testibus praesentibus offerat, atque in subscriptionis actu coram ipsis illud esse suum testamentum scribat. Dein in eodem subscriptionis actu testatorem tabulas coram se, et testibus scripsisse a tabellione exprimatur. Tandem solemnitates omnes in art. cit. 902. sancitas, quasque supra recensuimus, in hujusmodi testamento adhiberi necesse est art. 905.

Jam vero quoad testamenta minus solemnia, in quibus necesse non est ea omnia observari, quae in testamentaria factione requiruntur, pauca delibare duximus.

Ac primo Milites cum in expeditione apud exteras Nationes versantur, vel apud hostes sunt, vel in Xenodochio illuc infirmentur, nec non illi, qui ex officio exercitum sequuntur, jure militari testari possunt, ac proinde ubicumque morentur, coram eorumdem Duce, et duobus testibus testamentum condere valent. Illis etiam indultum, ut hujusmodi actus in expeditione conditus valeat intra sex mensium spatium, a tempore decurrendum, quo ii alibi morentur, ubi solemnitatibus quidem a Jure requisitis testari possunt. Videsis art. 907 et seq.

Aliud testamentum minus solemne dicitur, quod tempore pestis scribitur: proindeque cautum, quod illud a Regio Judice, aut Officiali municipali, coram duobus testibus recipiatur: art. 911. Illud vero animadvertendum quod post semestre a tempore decurrendum, quo vel inter cives redintegratum sit commercium, vel testator alibi iverit, hujusmodi testamentum irritum prorsus evadit; art. 913.

Digitized by Google

Denique testamenta navigantium tum in Navibus Regiis, cum in aliis privatorum a Praefecto navis coram duobus testibus accipi possunt. At vero post trimestre, ex quo testator ad terram appulerit, testamentum istud omnino nullum esse sancitum. Videsis art. 914 et 922. (1)

CAPUT VI.

De heredibus ab intestato

Q. Si nullo condito testamento, aut condito, sed nulliter, vel rupto, aut irrito facto, quis decidat quinam succedunt?

R. Succedunt heredes ab intestato hoc ordine I. Succedunt liberi. II. His deficientibus, parentes. III. Et parentibus demum non extantibus, illi, qui nobis ex latere sunt conjuncti. Nov. 118. in praefat. (2).

Liberi primo succedunt parentibus, sive sint mares, sive feminae, sive sui, sive emancipati, sive legitimi, sive per subsequens matrimonium legitimati. Et primo quidem liberi, qui primi gradus sunt *in capita*, qui posterioris sunt gradus succedunt *in stirpes*, et jure repraesentationis. *In stirpes* succedunt, quando solius stirpis ratio habetur, ex qua succeditur, et personae illius in cujus locum succeditur. Itaque cum filius filiave, et ex altero filio nepos, neptisve existunt, pariter ad hereditatem avi vocantur, nec qui gradu proximior est, ulteriorem excludit. *In capita*, quando in tot partes dividitur hereditas, quot sunt succedentium capita, ut singuli singulas, sive viriles, et aequales portiones auferant.

Legitimati per rescriptum Principis etiam patri succedunt ita tamen, quod si soli sint succedunt in totum. Nov. 88. Cap. 9.; si vero alii ex justis nuptiis nati supersint, justi liberi legitimam praecapiunt, reliqua hereditas in capita cum legitimatis dividitur, quod pater petierit horum successionem, argum. Authent. *Praeterea*, et L. 4. C. de natural. liber., nam beneficium Principis alteri non debet esse damnosum, L. *Praetor*, 2. §. 16. D. n. quid in loc. public. Vid. Gudel. lib. de jur. noviss. Cap. 15., et Gaill. observat. lib. 2. Cap. 124.

Filii naturales in bonis matris, quae semper certa est, et in bonis parentum maternorum succedunt, non secus atque legitimi, imo etiam, nisi mater fuerit illustris, cum eis succedunt pariter, L. *Si quia* 5. C. ad. SC. Orphit. In bonis vero concubini succedunt in duas uncias dividendas cum concubina, modo non adsint legitimi liberi, nec superstes Conjux legitima. Nov. 89. Cap. 12. §. 4.

Filii spurii ex damnato coitu nati succedere non possunt nec patri, nec

(1) Ex S. Ligorio notandum quod cum heredi constat voluntas testatoris circa dispositionem piam, ipse in conscientia tenetur eam adimplere, licet nullae adessent probationes externae. Sed cum hoc non constat, non tenetur credere uni soli testi, licet probatissimo, qui hoc sibi testatur, quia saltem debent esse duo testes, ita habetur *ex c. Relatum 1. de test., etc. C. licet de Vestib.*, ubi dicitur: *Nulla tamen est causa, quae unius testimonio, quamvis legitimo terminetur.* Et haec regula certa est, ut ait *Laym*, et recepta ab omnibus communiter: *Homo Apostol. loc. cit. §. 235.*

(2) Videsis nostras additiones *de legitima successione.*

Digitized by Google

matri, neque per testamentum neque ab intestato, neque per substitutionem, L. Si quis incerti C. de incest. nupt., L. 1. C. de natur. liber, et Nov. 19. cap. 15.

Filii adoptivi sive adrogati, non secus ac legitimi, et naturales liberi, adoptivo patri heredes sunt, §. 14. Institut. de heredib. quae ab intest., Nov. 74. et 89.

Deficientibus descendentibus sive liberis, sive nepotibus succedit mater, et pater defuncti, si superstes sint, et in defectu eorum succedunt Avi tum paterni, tum materni, adeo ut medietatem accipiant omnes ex patre ascendentes, si sint ejusdem gradus, aliam vero medietatem omnes ex matris, parte ascendentes, quamvis dispar sit in alterutra linea numerus ascendentium, cit. Novel. 118. cap. 2.

Ast si cum patre, aut matre adsint fratres, aut sorores ex utraque parte conjuncti, succedunt ipsi etiam aequaliter, sive in capita cum ipsis. Quin Justinianus vocavit ad successionem in stirpes filios defuncti germani, Nov. 127. Cap. 1., modo concurrant cum thiis suis, hoc est cum patruis, sive matribus, sive feminis; nam si soli sint, procul dubio ab ascendentibus removebuntur, citat. Novel. 127. in fin.

Si neque descendentes, neque ascendentes adsint, succedunt fratres, et sorores ex utraque parte defuncto conjuncti, et quidem in capita; si vero cum germanis germanorum filii concurrunt, hi jure repraesentationis in stirpes. cit. Nov. 118. Cap. 3. exclusis iis, qui ex uno tantum latere conjuncti sunt. Si fratres, et sorores utrinque conjuncti omnes mortui sint, tunc eorum liberi succedunt in capita, exclusis patruis ex una tantum parte conjunctis. Vid. Vinn. select. quaest. 11. 30.

Deficientibus fratribus, ac sororibus, utriuque conjunctis, vel eorum legitimis liberis, succedunt fratres et sorores ex una tantum parte conjuncti sine sexus discrimine.

Ilisce deficientibus, successio devolvitur ad propinquiores collaterales usque ad decimum gradum jure civili computatum, nulla habita ratione inter eos, an sint ex utraque parte, ex una tantum conjuncti, an masculi an feminae, ita tamen, ut proximi excludant remotiores, Authent. *Post fratres* C. de legit. hered. et cit. Nov. 118. Cap. 4.

Deficientibus propinquioribus usque ad decimum gradum succedit conjux defunti superstes, L. 1., et seq. D. unde vir, et uxor.

Uxore deficiente succedit Fiscus, L. 1. D. de success. edict.

Pro Regno Neapolitano locum habet constitutio Friderici II. *In aliquibus* tit. de success. filior. Comit., et Baron., qua hoc statuitur pro linea descendentium. Nempe, quod si pater moriatur intestatus relictis filiis, et filiabus, mares tantum succedunt tam in feudalibus, quam in burgensaticis, cum onere maritandi sorores, et amitas secundum paragium; si vero extent solae feminae, etiam possunt succedere, ceteris consanguineis exclusis. In linea ascendentium, collateralium, aliarumque successionem viget jus commune. In hac Urbe principe, ejusque territorio jus consuetudinarium.

Q. Num haec constitutio locum habeat in hereditate matris?

R. Licet ex verbis directis ipsius constitutionis negandum esset, quia in tota constitutione tantum de patre fit mentio, pluries tamen in S. C. judicatum est, eam etiam in matris hereditate locum habere, uti videre est

Digitized by Google

apud Capycium Latr. decis. 135. n. 8., et de Franchis dec. 175.

Q. Quid dicendum si testator reliquit nepotem ex filio, et sororem, num nepos excludit amitam?

R. Nepos semper excludit amitam ab hereditate avi paterni, quia ipse patrem suum repraesentat, uti patet ex cit. Constit., ibi: *Sorores, aut amitas, fratres, aut nepotes debere secundum paragium maritare.* At si avus reliquit filios, et nepotes ex filio praemortuo, omnes succedunt, ita tamen, quod illi in capita, hi in stirpes, atque isti semper repellunt ab avi successione, feminas, eorumque descendentes, quamvis sint mares, cum isti subeant locum, et vicem feminarum.

Q. Num dentur casus, in quibus mulier succedit patri, vel avo, ut masculus?

R. Plures casus dantur, quorum 1. Est si mares ab hereditate se abstineant. 2. Si mares non adsint. 3. Si sint mares inhabiles ad hereditatem. 4. Si pater filiam scripsit heredem una cum fratribus. 5. Si fratres sororem ad portionem virilem admiserint. 6. Si frater interpellatus, sororem, quae decimum sextum annum excesserat, nuptui tradere noluerit. Vid. si lubet, Afflict. ad cit. Constit.

Q. Num heres possit ad sui libitum hereditatem adire, vel repudiare?

R. Maxime, quia nullum jus eum cogit. At vero postquam hereditatem acceptavit, seu adiit, non solum omnia commoda, et jura defuncti in se transtulit, sed etiam reales obligationes, ac debita, etiamsi hereditas par non sit solvendo, L. 8. D. de adquir. hered. Quia revera videtur contractum quemdam iniisse cum legatariis, et fideicommissariis, §. 5. Instit. tit. de obligat. quae quas, ex contract. nascunt. Verum ab obligationibus, ac debitis potest aliquo modo declinare, ut ultra vires hereditatis non teneatur, neque ulterius gravare per illud privilegium, scilicet per confectionem inventarii rerum hereditatis sibi delatae, L. ult. C. de jur. delib., et Nov. 1. Cap. 2.

Q. Intra quod tempus faciendum est Inventarium?

R. Inventarium est fidelis adnotatio rerum omnium, quae tempore mortis sunt in hereditate. Hoc inventarium debet fieri ab herede intra tres menses, a die quo heres delatam sibi hereditatem cognovit, computandos, ita tamen, quod intra primum mensem sit inchoandum; intra reliquos duos absolvendum. At si heres sit absens, conficiendum est intra annum a die scientiae delatae hereditatis, cit. L. ult. §. 2. et 3.

Q. Quaenam sunt utilitates, et priviligia Inventarii?

R. Sunt plures: I. Non tenetur heres ultra vires hereditatis solvere creditoribus, cit. L. ult. §. 4., et §. 6. h. t. II. Potest detrahere Falcidiam ex legatis quibus gravatus est. III. Potest solvere creditoribus vigilantibus et primum venientibus, nec servanda est regula prior in tempore, potior in jure; modo bona fide se gerendo primo venientibus solverit; aliter enim exigere debebit cautionem. IV. Actiones, quas contra defunctum habet per aditionem non confundantur, dict. L. ult. §. 9. C.

Digitized by Google

CAPUT VII.

De Paragio

Q. Quid est paragium ?

R. Metonymice acceptum est, dos congrua, quam fratres dant sororibus, aut amitis a parentum hereditate exclusis. Paragii quantitas arbitrio Judicis definienda est, habita proportione ad facultates a defuncto relictas, ad dignitatem mulieris, et mariti, ad numerum liberorum defuncti, ac ad patriae morem, et consuetudinem.

Q. Quid dicendum, si soror accepit dotem a fratre, num possit petere paragium a bonis paternis ?

R. Maxime, quia obligatio constituendae dotis filiae adeo adnexa est paternae, ac maternae hereditati, ut si frater dotavit sororem de propriis bonis, patre tamen vivente, adhuc tamen mortuo patre, potest haec soror petere paragium de bonis paternis. Hinc advertunt DD., quod mulier debet esse dotata de bonis ejus, de cujus successione agitur, ut repellatur a petitione paragii. Unde si pater dotem filiae assignavit ex bonis maternis, filia post mortem patris de ipsius patris bonis paragium petere potest. Idem dic de ceteris. Vid. Iserniam ad Constit. *In aliquibus*.

Q. Num debeatur paragium mulieri, si non nubat ?

R. Maxime, quia quamvis paragium non sit legitima; successit tamen loco legitimae, nec porro datur mulieri, ut necessario nubat, sed ut si velit, nubere possit pari, cit. Constitut.

Q. Num filia dotata a patre possit succedere matri intestatae ?

R. Potest succedere, vel jure agere potest pro paragio ex istis maternis bonis. Advertendum tamen, quod hoc paragium legitimam non excedit, ut judicatum: in S. C. refert Afflict. decis. 348

Not. I. Mulier, quae accepta dote, futuris successionibus renuntiaverit, mortuo patre, nullis relictis filiis, ab hereditate excluditur, si pater decessit testatus, quamvis extraneum instituerit, quia renuntiavit juri suo. Si vero decessit intestatus, et frater, in cujus favorem facta fuit renuntiatio jam antea mortuus fuerit, ipsa tunc ad successionem admittitur; quia cessarunt personae, in quarum favorem censebatur facta renuntiatio. Vide Caput. ad Consuetud. *si moriatur* de success. ab intest.

II. Si pater decedat intestatus nullis relictis masculis, sed tantum aliis filiabus innuptis, soror, quae renuntiavit, non excluditur ab hereditate, sed collata dote accepta in commune, fiat aequalis pro omnibus divisio. Marin. lib. 2. Resolut. Cap. 89., modo renuntiatio sit, aut saltem praesumatur facta in favorem masculorum, qui ante patrem fuerint defuncti, non vero feminarum.

III. Si mulier, cui debetur dos de paragio, decedat innupta, paragium debetur, et transmittitur ad heredes a se institutos, quia stat loco legitimae uti tenent communiter DD. Vid. Galeot. lib. 2. Controv. foréns. Cap. 18., et de Marin. lib. 1. Resolut. Cap. 296.

IV. Trident. sess. 26. Cap. 16. irritam, et nullam declarat quamcumque renuntiationem, aut obligationem factam etiam cum juramento, et in

Digitized by Google

favorem cujusque a Novitio ante duos menses suae professioni antecedens. Sed hoc Tridentini decretum extenditur ad alias renuntiationes, donationes, et contractus, quae obligationem inducunt renuntianti Novitio, unde necessitatem assumere potest profitenti. Hinc non extenditur testamentum, Codicillum, et alias ultimas voluntates, quae revocari semper possunt ante mortem. Quare si fiat testamentum a Novitio ante bimestre professionis, secuta professione valebit, idem dic de donatione causa mortis (1).

CAPUT VIII.

De Codicillis

Q. Quid est codicillus.

R. Codicillus a Cujacio definitur Tract. 2. ad African. ad L. 15. D. de jure codicill.: *Ultima voluntas minus solemnis de eo, quod quis post mortem suam fieri velit, excepta heredis institutione.*

Q. Ad quid deservit codicillus?

R. Non ad hereditatem conferendam; nam per codicillum, neque hereditas dari, neque adimi potest, ne confundantur jura testamentorum, et codicillorum, §. Instit. de codicill., sed ad fideicommissa, et legata relinquenda; ad declarandum testamentum, si fuerit obscurum; ad immutandum etc.

Q. Quaenam differentia intercedit inter testamentum, et codicillum?

R. Haec est, nam testamentum habet plures solemnitates, Codicillus vero minores. Testamentum exigit septem testes: Codicillus vero quinque, et sufficiunt etiam feminae, L. *Ex eo* 18. D. de test.: Per testamentum datur, aut adimitur hereditas, per codicillum hereditas neque dari, neque adimi potest.

Q. Num quis plures possit facere codicillos?

R. Maxime, modo inter se contrarii non sint, alioquin prior posteriore censebitur esse revocatus L. *Divi* 6., et L. *Cum proponatis*, C. de codicil.

Q. Quis facere possit codicillum?

R. Tam testatus, quam qui intestatus decedit et non solum post factum testamentum, sed etiam ante testamentum, et cum ipso testamento. Et nisi expresse revocetur codicillus, confirmatus censetur per testamentum ante, vel post factum.

Q. Quid si testator velit condere testamentum, sed non adhibet solemnitates necessarias ad illud, sed tantum ad codicillum?

R. Vel illi testamento minus solemni adjungit clausulam codicillarem expresse, scilicet: *Si haec mea dispositio non valeat uti testamentum, valeat vi codicilli*, aut tacite, scilicet: *Si haec dispositio non valebit ut testamentum volo, ut valeat eo modo, quo valere potest*, et in tali casu valebit tamquam codicillus, modo solemnitates requisitas ad codicillum ha-

(1) Quum Jure Novissimo descendentes utriusque sexus aequis partibus parentum hereditati succedant art. 667: hinc vides sanctiones omnes, quae olim *Paragium* respiciebant, minime vigere.

Digitized by Google

beat, atque testator ad testamenti factionem habilis sit, vel nulla talis clausula adjecta sit dispositioni, neque etiam prudenter praesumi possit velut adjecta ex conjecturis, tunc non valebit neque uti testamentum, neque uti codicillus, argum. L. ult. §. 1. C. de Codicill.

Q. Quaenam sunt argumenta, ex quibus praesumitur adjecta clausula codicillaris dispositioni minus solemni?

R. Plures sunt, et I. Praesumitur adjecta clausula codicillaris, si dixit testator ob imperitiam se velle condere testamentum, dum revera volebat condere codicillum. II. Si testamento adjunctum fuit juramentum; nam juramentum hoc facit, ut valeat actus, eo meliori modo, quo valere potest. III. Si is, cui testator providit, sit filius, vel persona testatori valde dilecta, vel causa pia. Denique si dixit, quod volebat suum testamentum valiturum eo meliori modo, quo potuerit.

Q. Quinam sunt effectus clausulae codicillaris additae testamento minus solemni sive expresse, sive tacite?

R. Sunt plures, quorum I. Est, quod si non valeat heredis institutio, heres ab intestato cogetur solvere legata. II. Si testator carens heredibus necessario in illo testamento instituerit extraneum, virtute ejusdem clausulae institutio vertitur in fideicommissum, ita ut heres ab intestato, restituere tenetur hereditatem extraneo, retenta sibi quarta Trebellianica, L. 76. D. ad SC. Trebell., et L. 29. D. qui testam. fac. possunt.

Advertendum tamen, quod si testamentum per se subsistat, tota hereditas datur heredibus in testamento scriptis: si vero subsistit vi clausulae codicillaris, et tunc Trebellianica detrahitur ab ipsis heredibus ab intestato, quia censentur rogati, ut hereditatem restituant heredibus scriptis in codicillo.

Nota. Clausula codicillaris non convalidat testamentum conditum ab eo, qui factionem testamenti non habebat, vel vitiosum fuit defectu voluntatis, vel praeteritionis, vel exheredationis. Vid. Perez. ad tit. C. de codicill. (1).

CAPUT IX.

De Substitutionibus, et Fideicommissis.

Q. Quid est substitutio?

R. Est secundi, vel ulterioris heredis in locum deficientis primi, vel ulterioris gradus, institutio, vel institutio secundi heredis.

Q. Quotuplex est substitutio?

R. Duplex est, *directa*, et *indirecta*. Prima est, quae fit verbis directis, et immediate ipsum substitutum respicientibus, formula haec est, *Titius heres esto, si heres non erit, Cajus heres esto* pr. institut. tit. de vulg., et pupill. substit. Secunda est illa, quae fit verbis praecariis, et obliquis respicientibus substitutum primo herede mediante, formula haec est: *Cajus*

(1) In Codice Novissimo de Codicillis nulla fit mentio. Cuivis enim potestatem facit Lex posterioribus tabulis rite conditis, aut actu apud tabellionem dispositiones jam confectas vel penitus abrogare, vel iisdem derogare art. 990.

Digitized by Google

heres esto, eumque oro, ut post mortem suam hereditatem meam restituat Titio.

Q. Quotuplex est substitutio directa?

R. Multiplex est, scilicet *Vulgaris*, *Pupillaris*, *Exemplaris*, *Reciproca*, et *Compendiosa*. Vulgaris est illa, quae potest fieri cuicumque heredi, et a quocumque testatore, et ideo vulgaris dicitur, quia est quasi solita, et consueta, et ita concipitur, *Titius heres esto, quod si heres non erit* (vel quia noluerit, vel quia non potuerit), *Cajus haeres esto*. Haec substitutio evanescit, statim ac institutus adit hereditatem, quia verificatur, quod heres erit.

Q. Quotuplex est substitutio vulgaris?

R. Duplex est, *expressa*, et *tacita*. Expressa est illa, quae fit nominatim in causam pupillarem, puta *si filius in pupillari aetate decesserit, Titius heres esto*. Tacita, seu subintellecta est, quae intelligitur sub expressa vulgari, uti si testator dicat: *Titius heres esto, quod si noluerit, heres esto Sempronius*. Haec substitutio continet tacitam pupillarem, ut si filius heres extiterit, et intra pubertatis aetatem impubes decessit, etiam substitutio facta intelligitur. Hic advertendum, quod in substitutione expressa continetur tacita pupillaris, et e contrario in substitutione pupillari expressa continetur tacita vulgaris, ut rescripserunt Imperatores Marcus, et Verus in L. 4. D. de vulg. et pupill. substit.

Q. Quid dicendum si testator plures heredes in aequalibus partibus instituat, deinde eos reciproce substituat?

R. Si testator nullas partes expressit in substitutione, partes in institutione positae, censentur repetitae in substitutione, §. 2. Institut. tit. de vulg. substit., quia sicut dilexit heredes testator in instituendo, ita eosdem dilexisse videatur in substituendo e. g. unus institutus est ex uncia, secundus ex besse, tertius ex quadrante repudiante tertio, in novem partes dividatur quadrans, feratque octo partes, qui ex besse institutus fuit; unam partem, qui ex uncia scriptus est, L. 24. D. de vulg. substit. Excipe I. Si testator substituit expressis nominibus, v. g. *Franciscum, Petrum, et Antonium invicem substituo*, tunc enim aequales partes sunt faciendae, quia testator se refert, ad personas, argum. L. 124. D. de legat. 1. II. Si in substitutione aequaliter fuerint gravati substituti, v. g. *eos invicem substituo cum onere, ut quilibet eorum decem Cajo solvat*, quia tunc ratione aequalis oneris, censentur aequaliter substituti, argum. L. 23. D. ad SC. Trebell.

Q. Quomodo cessat substitutio vulgaris?

R. I. Evanescit per additionem hereditatis factam ab instituto L. 5. C. de impub., et aliis substit. II. Per conditionem substitutioni appositam, sed non adimpletam, L. 1. et 2. C. de instit. et substit. III. Per mortem substituti ante institutum, nam substitutus vivus admittitur, non ejus heres, L. 9. D. de suis, et legit. IV. Per repudiationem a substituto factam, et tandem per eosdem modos, quibus infirmatur testamentum, et institutio heredis, L. 2., et 3. Cod. de repud. heredit.

Q. Quinam sunt effectus substitutionis pupillaris?

R. Sunt plures I. Substitutus est heres filii, et non patris princ. Institut. de subst. pupill. II. Pupillari substitutione expressa excluditur mater, etiam a legitima, ita ut nec de inofficioso queri potest, L. 8. §. 5. D.

Digitized by Google

de inoffic. test., non autem si sit tacita, nam in hoc casu mater non excluditur a successione filii, quamvis substitutus sit pater pupilli. III. Substitutus succedit in omnia bona pupilli ex quacumque linea sibi obventa, L. 10. §. 6. D. de pupill., et vulg. substit.

Q. Quomodo finitur substitutio pupillaris ?

R. Pluribus modis I. Pubertate heredis instituti; quamvis ultra tempus pubertatis illi substitutus sit. §. 8. Institut. de pupill. substit. II. Si heres institutus mortis tempore non fuerit in familia testatoris, puta, quia fuit emancipatus etc. Si substitutus, tempore, quo pupillus obiit, sit hereditatis incapax. VI. Si substitutus hereditatem adierit, vel conditio substitutioni adjecta non extiterit.

Q. Quid est substitutio exemplaris ?

R. Est illa, qua quis heredi suo si in amentia decesserit, alium substituit. §. 1. Institut. de pupil. substit. Quae substitutio non solum a patre, sed etiam a matre fieri potest, dummodo substituatur aliquis ex heredibus necessariis, sed his deficientibus, quivis extraneus, L. 9. C. de impub. et aliis subst. Haec substitutio vocatur *quasi pupillaris*, et *Justinianea*, quia a Justiniano Imperatore fuit inducta.

Q. Quid est substitutio reciproca ?

R. Substitutio reciproca est illa, qua testator plures sibi instituens heredes, alterum alteri substituit, formula haec est: *Titius, Cajus, et Petrus heredes sunto, eosque invicem substituo ?*

Q. Quid est substitutio compendiosa.

R. Substitutio compendiosa dicitur illa, qua testator heredi suo, quandocumque decesserit alium substituit, v. g. *Filius meus heres esto, eique quandocumque obierit, Titium substituo* Dicitur *Compendiosa*, quia plures simul continet substitutiones.

Q. Quid est fideicommissum ?

R. Est liberalitas suprema voluntate verbis precativis relicta, ac heredis fideicommissa, ut in alium transferatur. Formula haec est: *Franciscus heres esto eumque rogo, ut hereditatem, vel fundum Tusculanum Cajo restituat.* Hinc fideicommissum potest esse vel universale, vel particulare. *Universale* est, quando testator rogat heredem, ut hereditatem suam alteri restituat. *Particulare*, quando testator vult, ut aliquod corpus hereditatis ab herede alteri restituatur.

Q. Ubi testator potest facere fideicommissum ?

R. Potest fieri vel in testamento rogando heredem ad fideicommissum, vel in codicillo, post conditum testamentum, vel ab intestato, hoc est, quando quis nullo condito testamento gravet per codicillum legitimos heredes, ut hereditatem suam, vel quoad totum, vel quoad partem alicui restituant. Potest porro fieri fideicommissum, absolute, conditionate, vel ad certum tempus, ad testatoris arbitrium, §. 2. Instit. de fideicomm. hered., quia fideicommissarius non est heres, sed loco heredis. Nam verus heres est fiduciarius; quia quamvis restituat hereditatem, semper permanet heres ex regul. Jur. *Semel heres non desinit esse heres*, L. 88. D. de hered. instit.

Q. Quid si heres fideicommisso gravatus nolit hereditatem adire ?

R. Potest cogi heres fiduciarius ab herede fideicommissario ad adeundam hereditatem vi Scti Trebelliani. Capita hujusce Scti haec sunt: I. Ut

Digitized by Google

hereditas fideicommissa restituatur ab herede, sive habebat quartam, sive plus. II. Ut quando, vel nihil remanet, vel minus quarta apud heredem, liceat ei vel quartam, vel quod deest, retinere, vel repetere solutum. III. Ut pro rata actiones competant heredi, ac fideicommissario IV. Si tota hereditas transmittatur ad fideicommissarium, omnes actiones, et Jura etiam ad illum pertinent. V. Ut possit cogi heres ad hereditatem fideicommisso gravatam, adeundam, ad fideicommissarium, et heres adire nolens etiam quarta privetur, §. 7. Institut. fideicomm. heredit.

Q. Possitne fideicommissarius rogari, ut id rursum alteri, aut totum, aut partem restituat?

R. Maxime, uti patet ex L. 1. §. 8. D. ad SC. Trebel., et §. 11. Institut. tit. eod. Verum hujusmodi fideicommissarius quartam deducere non potest; quia quartae deductio solum heredi conceditur.

Nota. Si quis institutus est heres quoad partem hereditatis, et in hac parte fideicommissum statuatur, potest quartam deducere, quia verus heres dicitur, L. 2. C. Sctum Trebell.

Q. Quid si quis rogatus sit restituere hereditatem deducta una aliqua re, vel summa, quae quartam continet?

R. Retenta illa quarta, totam hereditatem restituere debet, nec potest aliam quartam deducere. Verum adverte, quod non adquirit in tali casu aliquas actiones, sed in solidum omnes actiones transferuntur in fideicommissarium, quia habetur tanquam legatarius. Ast qui quarta parte retenta hereditatem restituit, pro rata etiam actiones hereditarias retinet, quia verus est heres pro ea quarta parte.

Q. Quomodo extinguitur fideicommissum?

R. Revocatione a testatore facta; repudiatione, praemoriente fideicommissario, non adita hereditate, et fideicommissum ab intestato non fuit repetitum, deficiente conditione in fideicommisso apposita, aut moriente fideicommissario ante eventum ejus.

Nota. Si filius gravatus sit a patre per fideicommissum extraneo tradendum in tota hereditate post mortem suam, et tamen hic filius decedit cum filiis legitimis, non est amplius locus fideicommisso, vel substitutioni, quia ibi intelligitur conditio apposita: *si scilicet sine liberis decesserit*. Non est verisimile, testatorem gravaturum fuisse filium, si de nepotibus cogitaret, L. 6. §. 1. C. de instit., et substit.

Q. Num filius fideicommisso gravatus duas quartas Legitimam, scilicet, et Trebellianicam detrahere possit?

R. Potest de jure Canonico detrahere duas quartas, legitimam, et Trebellianicam, quia una debetur sibi Jure Naturae, altera dispositione juris Cap. *Raynutius* 16. testam., et Cap. *Raynaldus* 18. eod. tit. De jure vero civili litigant DD. Vid., si lubet, Cujac. lib 6. 8. obs. Cap. 3. et Vinn. lib. 2. select Cap. 29.

Q. Num fructus percepti post aditam hereditatem imputentur in Trebellianicam?

R. Si heres fuit rogatus absolute, et pure, et non imputantur, quia ea imputantur in quartam, quae ex judicio testatoris accipiuntur: pure autem rogatus non ex judicio testatoris, qui continuo hereditatem restitui voluit, sed ex negligentia fideicommissarii fideicommissum non petentis, fructus

Digitized by Google

percepit. Si vero fuit rogatus in diem, vel sub conditione, tunc fructus imputantur in quartam, quia tunc fructus percipiuntur ex testatoris mente, qui voluit, ut heres fructus perciperet usque ad tale tempus, vel post eventum talis conditionis. Perez. ad tit. C. de Scto Trebell.

Nota. In Trebellianica computantur omnia ea, quae ex quacumque testatoris voluntate capiuntur sive sit jure hereditario, sive jure legati, aut fideicommissi, vel conditionis adimplendae causa. §. 9. Instit. tit. fideicomm. heredit. In Falcidiam autem computantur solum ea, quae Jure hereditario capiuntur, L. *In quartam* 90. D. ad L. Falcid.

Q. Quaenam res fideicommitti possunt?

R. Non solum res testatoris propria, sed heredis, aut legatarii, aut fideicommissarii, aut cujuslibet alterius extranei, tamen quoad rem extranei necesse est, ut heres eam redimat a domino, vel ejus aestimationem praestet fideicommissario, dummodo non plus gravetur quam ex testamento fideicommittentis accepit, secus fideicommissum caducatur.

Q. Quid si fideicommissa facta sint ad pias causas, num fieri possit detractio Trebellianica?

R. Minime, Authent. *Similiter* C. ad L. Falcid., et Barb. Jur. Eccl. univ. lib. 3. cap. 27. num. 84. Excipe si tum heres, tum fideicommissarius sit causa pia, quia tunc erit locus deductioni; nam concurrente privilegiato cum alio privilegiato, datur locus juri communi, Gratian. discept. forens. cap. 461. n. 15., modo aliud non apparet ex testatoris mente, Authent. *Sed cum testator* C. ad L. Falcid.

Ex eadem ratione fit, quod si alicui heredi facta sit substitutio sub conditione: *Si sine liberis decesserit*, institutus autem profiteatur Religionem proprietatis in communi capacem, succedit Monasterium, excluso substituto, non quia Monasterium, cum sit privilegiatum habeatur loco filii, sed quia favore Religionis adjecta conditio; *Si sine liberis decesserit* haberetur pro non scripta ex speciali juris dispositione. At si substitutus sit Ecclesia, vel causa pia non excluditur a Monasterio; quia ambo privilegiata sunt cap. *In praesentia* de probat. Haec autem omnia exequi possunt in illis locis, ubi non viget lex amortizationis.

Nota. si testator heredem gravavit fideicommisso, quominus bona immobilia non distrahat, sed proximo agnato restituat, etiamsi verba ambigua sint, ita ut legis Doctores existiment, quod si Judicem adeat heres, ratione ambiguitatis, a fideicommisso liberetur. Heres, cui certo moraliter constat de voluntate testatoris fideicommissum instituere volentis, hujusmodi fiducia fretus non potest distrahere illa bona sine peccato, et onere restitutionis, quia cum ei constet de voluntate testatoris, probationibus non est opus, et Judex ideo a fideicommisso eum liberaret, quia sibi deficeret probatio in foro externo. Si autem vere dubitetur de voluntate testatoris circa fideicommissum, tunc heres a fideicommisso liberetur in conscientia: quia fideicommissum in dubiis non praesumitur, sed probandum est.

Q. In quibus casibus cessat Trebellianica?

R. In pluribus, et I. In testamento militis, L. 7. C. ad L. Falcid. II. Si testator prohibuerit detrahi quartam, Nov. 1. cap. 2. III. Si restituerit heres totam hereditatem ignorantia juris, L. 9. C. eod. tit. IV. Si habuit

Digitized by Google

quartam judicio testatoris, §. 9. Instit. de fideicomm. hered. V. Si coactus adierit hereditatem, §. 7. Instit. eod. tit. (1).

CAPUT X.

De Legatis

Q. Quid est legatum?

R. Definitur a Florentino in L. 116. D. de legat. 1. *Delibatio hereditatis, qua testator ex eo, quod universum heredis foret alicui quid collatum velit.* A Triboniano autem definitur, §. 1. Inst. tit. de legat. *Donatio quaedam a defuncto relicta, ab herede praestanda.*

Legatum differt a donatione tum *inter vivos*, quia temere revocari nequit, non autem legatum, tum *causu mortis*, quia haec donatio utriusque perficitur consensu, et acceptationem alterius requirit, at legatum potest conferri etiam in absentem, et ignorantem, L. 77. D. de legat. 2.

Q. Quinam legare potest, et quibus fieri potest legatum?

R. Omnis, et solus ille, qui testari potest, nam legatum non consistit, nisi ex testamento, vel codicillo. Legatum fieri potest iis regulariter loquendo, qui et heredes possunt institui. Dixi *regulariter*, quia si iis, qui heredes institui non possunt, puta spuriis, habitatio, et alimenta, vel dos relinquantur, dummodo non fiat in fraudem, sed solum ad indigentiam, valet legatum, L. *Is, cui* D. de aliment.

Q. Quaenam res legari possunt?

R. Possunt legari res tam corporales, quam incorporales, uti jura, actiones, nomina debitorum, servitutes, ceteraeque res, quae sunt in commercio, hoc est, quae pretio aestimari, ac contractui subjici possunt, §. 4 Institut. de legat. Hinc quae pretio aestimari, ac vendi non possunt, nec etiam legari possunt.

Q. Num valeat legatum rei alienae, vel rei pignoris nomine alteri obligatae?

R. Legatum rei alienae, vel rei pignoris nomine alteri obligatae valet, dummodo testator sciverit, rem esse alienam, vel alteri obligatam, et modo

(1) Jure Novissimo Cod. LL. Civ. art. 936. substitutio vulgaris confirmatur. Quod vero pupillarem substitutionem respicit, cum nulla occurrat distinctio inter pupillos, et minores, puberes, et impuberes, omnesque cives utriusque sexus sancitum usque ad annum XXI. expletum minores esse art. 311., hinc colliges hujusmodi substitutionem locum non habere. At vero constitutum art. 945. quod ascendentes, nec non patrui, amitae, fratres, vel sorores, heredi in minori aetate instituto alium substituere possint in bonis duntaxat a se relictis, si minor ipse ante annum XVIII, decedat.

Praeterea substitutiones fideicommissariae sunt prorsus interdictae art. 942., illis exceptis, quae majoratus respiciunt. Isthaec vero nullitas donationem, vel institutionem heredis, aut legatarii, quibus fideicommissarii substituuntur irritas non reddit. art. 943.

Denique illud animadvertendum parentes in quota disponibili filios instituere posse cum onere omnibus eorum liberis utriusque sexus tum natis, tum nascituris hereditatem restituendi art. 1003.

Digitized by Google

etiam res sit in commercio, cit. §. 4. Instit. eod. tit., in quo casu heres tenetur rem redimere, si potest, et legatario tradere, secus tenetur ad ejus pretium, §. 4. Instit. Quod si testator nescivit rem esse alienam, vel obligatam alteri, nullum est legatum, quia censetur ex ignorantia factum. Sed excipe, si legatum factum sit personae testatori conjunctae, vel valde dilectae, quia in iis militat favor sanguinis, quibus etiam legaturus esset, etsi scivisset rem alienam esse, L. 10. C. de legat. (1).

Q. Num heres, num legatarius debet luere rem oppignoratam?

R. Si testator sciebat rem esse obligatam, ab herede luenda, et legatario tradenda est; si vero nesciebat, tunc legatarius debet illam luere, uti rescripserunt Imperatores Sever. et Antonin., §. 5. Institut. tit. de legat.

Q. Quid si is, cui res aliena legata est, ejus vivo testatore, factus est dominus?

R. Si factus sit dominus vivo testatore ex titulo oneroso, veluti emptione etc., pretium rei consequi potest actione ex testamento, nam non videtur rem habere, cui abest pretium, uti ait Paulus in L. 14. D. de verbor. signif. Si vero adquisivit rem ex titulo lucrativo, v. g. donatione etc., tunc nihil petere potest, quia non potest quis eamdem rem ex duplici causa lucrativa consequi, §. 5. Instit. eod. tit. et L. 107. §. 4. D. de legat. 1.

Q. Quid si ex duobus testamentis eadem res eidem legetur?

R. Distinguendum est, utrum rem, an aestimationem ex testamento sit consecutus. Si prius obtinuit rem, non potest ex altero testamento petere aestimationem rei, quia rem habet ex causa lucrativa. Si vero prius ex uno, testamento accepit pretium rei, potest ex altero testamento repetere rem, §. 6. Institut. tit. eod. quia qui habet aestimationem, non id etiam habet, quod ea pecunia parari potest, L. 88. D. de verbor. signif. Ast si eadem res saepius legetur in eodem testamento, amplius quam semel peti non potest, sufficitque vel rem consequi, vel rei aestimationem, L. 34. §. 1. D. de legatis 1., nisi alia sit mens testatoris. L. 53. §. 2. D. eod. tit.

Q. Num valeat legatum rei futurae?

R. Valet, modo res futura speretur, puta fructus ex eo fundo nascituri etc., et sive certa quantitas exprimatur, sive non, §. 7. Institut. tit. eod. et L. 24. D. de legatis 1. Ubi adverte, quod si res futura non habeatur postea, heres non tenetur ad legatum, quia in illo habetur imbibita conditio: *si fructus nascantur.* L. 1. §. ult. D. de condit. et demonstr. At si res legetur, quae nec existit, nec potest existere, inutile est legatum. Praeterea hoc legatum rei, quae futura speratur transmittitur ad heredes, dato quod legatarius post mortem testatoris moriatur ante rei futurae eventum. Vide Donellum ad tit. D. de legat.

Q. Quid dicendum, si eadem res duobus legata sit?

R. Si ambo ad legatum perveniunt, res est dividenda inter ipsos, si alter deficiat, v. g. quia respuit legatum, aut decesserit vivo adhuc testatore, tota res jure accrescendi erit collegatarii. Tamen advertendum, quod

(1) Jure novissimo Cod. LL. Civ. art. 975. cautum legatum rei alienae esse omnino nullum, sive testator sciverit, sive ignoraverit rei legatae dominium penes alios esse.

Digitized by Google

jus accrescendi habet locum in testamentis, et relictis mortis causa, non autem inter vivos.

Not. Eadem res duobus duplici modo legari potest a testatore, aut *conjunctim*, aut *disjunctim*. Conjunctim quis legat, si dicat: *Petro, et Francisco fundum Tusculanum do, lego*. Disjunctim, si dicat: *Titio fundum Tusculanum do, lego, Cajo eumdem fundum Tusculanum do, lego*. § 8. Institut. tit. eod ... Conjunctionem potest facere testator tribus modis, aut *re*, aut *re* et *verbis*, aut *verbis tantum*. Re conjuncti sunt, quando vocantur heredes ad eamdem rem, sed diversis orationibus, veluti: *Sempronio domum Lucullanam do, lego, eamdem domum do, lego Cajo*. Re, et verbis conjuncti sunt, qui ad eamdem rem, unica oratione eadem res solida legatur: Ut *Antonio, et Petro fundum Tusculanum do, lego*. Verbis tantum conjuncti sunt, quibus una oratione res legatur, non solida, sed aequis partibus pro diviso, veluti: *Titio, et Sejo fundum do, lego aequis partibus*.

Q. Quaenam est differentia inter conjunctos, et disjunctos quoad jus accrescendi?

R. Inter conjunctos pars deficientis alteri accrescat cum onere, inter disjunctos, sive conjunctos re tantum, sine onere: et ratio est, quia testator, ideo videtur disjunctim legasse, ut unusquisque ferat, et agnoscat suum onus, non alienum: conjunctim vero, ut onera sint communia, et porro qui re conjuncti sint, jam solidum habent ab initio, et suum retinent, non alienum capiunt, L. unic. §. 2. de caduc. tollend. Vide Perez. ad tit. C. de legat.

Q. Quid si duobus ususfructus alicujus rei legatus sit?

R. Duobus debetur, si ambo susceperint legatum, quod si alter deficiat a legato, portio deficientis accrescit non proprietario, sed alteri usufructuario, L. 1. C. de usufruct. accresc.

Q. Quid si res propria legatarii ei legetur?

R. Si pure ei legetur inutile est legatum, quia quod proprium alicujus est, amplius ei fieri nequit §. 10. Instit. de legat. Et hoc verum est, etiamsi legatarius rem suam alienaverit post testamentum conditum, quia legatum ab initio vires non habuit, et quod ab initio non valet, tractu temporis convalescere non potest., L. 1. pr. C. de regul. Caton.

Q. Quid si rem suam legaverit testator, posteaque eam alienaverit?

R. Vel alienavit, nulla necessitate urgente, rem legatam, et non debetur, neque pretium rei, L. 18. C. de adimend. legat, vel alienavit urgente necessitate, puta, ut se aere alieno liberaret, et tunc debetur legatum, L. 11. §. 22. C. de legat. 3. (1).

Q. Quid dicendum si debitor creditori suo, quod debet, ligaverit?

R. Si legaverit id quod ei debet inutile est legatum, si nihil plus est in legato, quam in debito, §. 14. Instit. tit. de legat. Plus in legato videtur esse quatuor modis, scilicet *modo, tempore, conditione, et loco*, L. 29. C. de legat. 3. Vid. Perez. (2).

(1) Jure novissimo Cod. LL. Civ. art. 993. cautum legatum minime deberi, si testator rem legatam etiam cum pacto redimendi distraxerit, et licet emptio venditio prorsus irrita declaretur.

(2) Si testator ejus creditori rem legarit, minime praesumitur legatum istud compensationis titulo institutum, ac proinde heres ad debiti solutionem tenetur: art. 978. Cod. LL. Civ.

Digitized by Google

Q. Quid si sine facto heredis res legata perierit ?

R. Vel perit fataliter, et tunc legatario perit, quia statim a morte testatoris dominus est, vel perit facto heredis, hoc est ob ejus dolum, moram, culpam, etiam levissimam, et heredi perit, L. 47. §. 5. et 6. C. de legat. 1. (1).

Not. Potest mutari res legata vivo, aut mortuo testatore, vel si ei decesserit, vel accesserit aliquid, ideoque oportet, ut aliquae regulae exponantur de decremento legati. I. Regula est: *Si quid vivo testatore decesserit de re legata, quod superest, legatario debetur, modo principale sit, non accessorium.* Hinc si quis legavit alicui ancillam cum suis natis, si moriatur ancilla, adhuc partus debentur legatario, quia ancilla, et partus sunt duo diversa legata, quorum alterum ab altero non dependet, L. 3. D. de pecul. legat. Ita si grex legatus, vivo testatore ad unam ovem decreverit, haec vindicari a legatario potest, quia pars gregis est, non accessio, L. 22. D. de legat. 1.

II. Regula est: *Si quid testatore vivo decesserit legato, quod superest, non debetur, si sit accessorium ejus, quod periit.* Hinc si legatur servus cum peculio, mortuo servo, vel manumisso, non debetur peculium legatario; quia peculium est accessorium, et extincto principali, extinguitur etiam accessorium, L. 2. D. de pecul. legat. Ita legato agro cum instrumentis ad ipsum colendum necessariis, alienato, vel destructo agro, corruit legatum, quia instrumentum est accessio fundi, cit. L. 2. D.

III. Regula est: *Si quia mortuo testatore decesserit, quod restat, legatario debetur, quamvis accessio sit,* quia legatarius post testatoris mortem statim adquirit dominium in re legata, L. 64. D. de furtis. Hinc mortuo equo legato post testatoris mortem, debetur legatario corium.

Q. Quid est legatum optionis ?

R. Est illud, quo legatario unam ex pluribus rebus testator relinquit, cum facultate eligendi, quam velit, §. 23. Instit. de legat. Ex hoc legato spectat ad legatarium eligere, et potest eligere etiam optimum. Quod si post testatorem moriatur legatarius ante optionem, datur heredibus legatarii, facultas optandi. Et si heredes in optando inter se dissentiant, datur locus sorti ad litem dirimendam, ita ut is eligat, quem sors praetulerit, cit. §. 23. Instit.

Q. Num error in praenomine, in nomine, aut cognomine legatarii vitiet legatum ?

R. Non vitiatur legatum, sed valet, modo constet de persona, cui voluerit legare, §. 29. Instit. eod. tit. Idem dic de demonstratione falsa, quia vice nominis fungitur, L. 34. D. de condit. et demonst.

Q. Num valeat legatum factum sub falsa caussa ?

R. Valet quia legatum pendet a testatoris voluntate, qui potuit, et cum causa, et sine causa legatum relinquere, et etiam, quia causa apponitur vice demonstrationis, §. *Longe* 31. Instit. eod. tit. *falsam causam legato non obesse.* L. 72. D. de condit. et demonstr. Hoc tamen intelligitur de

(1) Quum dominium speciei absolute legatae statim a morte testatoris in legatarium transeat, hinc art. 997. Cod. LL. Civ. cautum, quod si res legata pereat, legatario perit, licet heres in mora fuerit, dummodo demonstret quod illa etiam apud legatarium periisset.

Digitized by Google

causa impulsiva, non vero de motiva, eo magis si causa apponitur tanquam conditio, legatum non debetur, nisi adimpleta conditione, scilicet, ac ratione: *Titio, si negotia mea curaverit, fundum meum do, lego.* Institut. loco cit.

Q. Num vidua amittat legata a viro suo relicta, si intra annum luctus nubet?

R. Vel mulier habet filios, vel non. Si non habet filios, et transacto anno luctus aliud matrimonium contrahit, tantum punitur, eo quod amittat privilegia, et dignitatem, quam habet a priori viro. Si habet, et videndum si intra, vel post annum luctus celebret matrimonium. Si intra luctus annum nubit, amittit proprietatem, usumfructumque omnium bonorum a viro suo relictorum, et filii primi matrimonii adquirunt omnia ista bona, L. *Si qua mulier* C. de sec. nupt. Si post annum luctus, amittit proprietatem omnium bonorum relictorum, et filii istam adquirunt proprietatem, sed solum retinet usumfructum. Quin si filii decedant, istam proprietatem possunt relinquere filiis suis, L. *Femina* 3., et 5. C. eod. tit.

Ad haec non possunt vir, aut mulier ad secundas nuptias transeundo plus in novum conjugem ex suis bonis ullo titulo vel inter vivos, vel mortis causa transferre, quam dederit, aut reliquerit uni ex liberis prioris matrimonii, cui minimum dedit, aut reliquit dum tamen id quod filio reliquit, non sit minus portionis legitimae, L. *Hac edictali* C. de sec. nupt. Hoc locum habet non solum in mulieribus, sed etiam in viris secundo nubentibus, quando mulier in testamento suo aliquem fundum, vel aliquam rem viro suo relinquit cit. L. S. C.

Nota. Legatum factum viduo, vel viduae sub conditione si a matrimonio abstinuerit, non debetur, si ad nuptias transierit legatarius. Et si accepit, ad restitutionem tenetur, Authent. *Cui relictum* C. de indict. viduit. Ast, si conjux conjugi morienti promisit servare viduitatem, tenetur saltem sub veniali id praestare, quia fidelitas ad id adstringit. Si vero promissio fuit reciproca, vel superstitis tantum, sed jurata, aut cedat in grave damnum filiorum, tunc tenetur sub mortali, nisi grave subsit incontinentiae periculum, tunc enim relaxato juramento, si adfuit, transire potest ad secundas nuptias ad evitandum incontinentiae certum periculum. Layman.

Q. Legatum relictum pro nubendis virginibus, tradine potest puellis corruptis?

R. Si constet publice de earum corruptione, et prostitutione, non potest tradi istis legatum. Si vero corruptio secreta sit, tradendum est legatum, quia pro virgine reputatur puella in communi opinione, quae secreto corrupta est. Ita communiter.

Q Num legatum relictum puellis, ut nubant, possit tradi puellis Religionem ingredientibus?

R. Si legatum relictum sit determinatae puellae, ut nubere valeat, tradendum eidem, quamvis Religionem ingredi velit, argum. Authent. *Nisi rogati* C. ad SC. Trebell., et Nov. 123. Cap. 37. Idem dic de legatario, licet non ingrediatur Religionem sed manens in saeculo sacros Ordines suscipiat. Si vero legatum indefinitum sit ad puellas nubendas, et tunc non debetur; quia mens testatoris alioquin non servaretur, quae certe illa fuit, ut puellis nubendis provideretur, ne exponerentur periculo prostitutionis;

Digitized by Google

nam jura id tantum decernunt, quando legatum relictum sit puellae determinatae aut determinatis personis sub conditione matrimonii ineundi, quod debeatur eis Monasterium ingredientibus, ideoque extendi nequit ad personas incertas. Ita Sanchez de Mat., lib. 1. disput. 32. n. 3., Molin. Barbosa, de Lugo, aliique. Idem dicendum de legato relicto sub conditione *si nupserit*, debetur ei, cui relictum fuerit, si Clericus fiet, cit. Nov.

Adhaec si legatum relictum sit alicui sub conditione: *Si Religionem ingrediatur, vel Clericus fiat*, non est ei dandum, si non ingrediatur Religionem aut non fiat Clericus. Ita communiter, et argum. Cap. *Cum sit proprium.* 2. de condit. app. et leg.

Q. Quid si heres gravatus fuit a testatore pluribus legatis vires hereditatis excedentibus?

R. Potest detrahere quartam Falcidiam, et sibi retinere, uti statuit lex Falcidia lata sub Augusto a P. Falcidio Tribuno plebis A. circiter U. C. 714. Calvino, et Pollione Consul., teste Dione lib. 48. Ea cautum, ne quis testamento plusquam dodrantem bonorum posset legare, ita ut, sive unus, sive plures heredes instituerentur, quarta bonorum apud eum, eosve remaneret, eductio quartae Falcidiae a legatis ad fideicommissa, et donationes producta est, L. 5., L. 18. D. ad L. Falcid., et L. 5. C. tit. eodem.

Quare si plures instituti sint heredes in genere, omnibus non amplius detrahere licet, quam quadrantem inter ipsos dividendum. Si vero plures in specie sint heredes, et portio unius gravata sit legatis, alterius vero non, potest tunc gravatus a sua portione quartam retinere, et sibi applicare, quia lex Falcidia voluit omnibus heredibus quartam esse salvam §. 1. Institut. de lege Falcid.

Q. Quae bona testatoris sunt consideranda pro detractione quartae Falcidiae?

R. Sunt consideranda bona, quae reliquit tempore mortis, non autem aditae hereditatis, L. 59. §. 1. D. de pecul., quia ab eo tempore regulariter cedit dies legatorum, L. 1. §. 5. C. de caduc. tollend. Item bona, quae remanent deducto aere alieno, et funerum impensis, §. 3. Instit. de Lege Falcid. Deducendae sunt pariter impensae in hereditatem suscipiendam factae, ut in confectione inventarii etc. L. ult. §. 9. C. de jure deliberandi.

Q Ex quibus causis cessat Falcidia?

R. Ex pluribus, et I. In testamento militis, L. 17. D. de L. Falcid. II. Si testator expresse quartae deductionem prohibuerit, Nov. 1. Cap. 1. §. 2. III. Si testator vivus quartam, vel quod quartae aequivalet, heredi jam contulerit, ut si testator ex centum aureis, quos habet in aere, cum vivus adhuc esset, jam dedisset heredi viginti quinque L. 56. §. ult. D. eod tit. IV. Si heres mortuo testatore promiserit, se integra legata soluturum. V. Si ea sciens, vel ignorantia juris integra praestiterit L. 9. C. eod. tit. VI. Si inventarium non fecerit, L. ult. §. 14. C. de jur. delib. VII. In dote uxori praelegata, L. 18. D. tit. eod. VIII. in legatis ad pias causas, *Authent. Similiter* C. ad L. Falcid. Vid. Barbos. Jur. Eccl. univ. lib. 3. Cap. 27. num. 84.

Q. Quaenam differentia intercedit inter Trebellianicam et Falcidiam?

R. Haec est, quod Falcidia, detrahitur a nimis, et excessivis legatis,

Digitized by Google

Trebellianica ab excessivo fideicommisso universali. Falcidia derivatur a *Falcidio*, Trebellianica a Trebellio Vid. alias different. apud. Fachin. lib. 5. controv. cap. 5.

CAPUT XI.

De executione Testamenti

Q. Quinam est, vel debet esse executor testamenti?

R. Executor testamenti ille est, quem testator reliquit, si non reliquit in testamento est heres testatoris, Cap. *Nos quidem* de testam. Si vero adsint legata pro redemptione captivorum, vel pauperum subsidio, est Episcopus. Quod si executor a testatore in suo testamento relictus, vel heres testatoris voluntatem ultra annum a die monitionis exequi distulerit, executio devolvitur ad Episcopum, cit. Cap. *Nos quidem*. Praeterea si testator Animam suam heredem instituerit, nullo executore relicto, etiam ad Episcopum pertinet executio; qui potest heredes per censuras compellere ad testatoris voluntatem exequendam (1).

Q. Quot, et quinam possunt esse executores testamenti?

R. Possunt esse unus, vel plures ad libitum testatoris, et hi sive masculi, sive feminae, sive laici, sive Sacerdotes, sive Religiosi, qui a jure hac in re non impediuntur, Cap. *Nos quidem*: *Cap. Tua nobis* 17. *de testam*: *et cit. cap.* modo tamen Superioris licentia accesserit, exceptis quibusdam, uti dicemus infra.

Q. Num executor a testatore relictus cogatur in conscientia tale obire munus?

R. Minime, quia nullus potest cogi in conscientia ad obeundum tale munus. At si semel tale munus suscepit, voluntatem defuncti exequi debet, Cap. *Joannes* 19. eod. tit. Quod si tale munus repudiaverit privatur legato, vel alio praemio sibi a testatore relicto, Cap. *Licet* de voto.

Q. Religiosi possuntne esse Executores Testamentorum?

R. Fratres minores de Observantia non possunt esse executores testamentorum, neque ad causas pias, neque a Superioribus potest ei ad id licentia concedi, Clement. *Exivi* de verbor. signif. Ceteri Religiosi esse possunt, sed de licentia sui Superioris, Clement. *Religiosi* de testam. Per Superiorem intelligitur Superior localis, seu Prelatus Conventus, Monasterii etc., modo tamen speciales constitutiones alicujus Religionis aliud non ordinent. Vide Sanchez lib. 6. Moral. cap. 11. n. 14., et 16, et Layman lib. 3. tract. 6. Cap. 11. n. 4.

Q. Quomodo exequendum legatum dubium. v. g. legatum relictum alicui, qui vocatur eodem nomine ac alter?

R. Si legatum est dubium, quia relictum alicui, qui vocatur eodem nomine, ac alter, et nullo modo colligi potest, de quo intellexit testator civili jure corruit legatum, uti aperte eruitur ex L. *Si quis de pluribus* 27. D.

(1) Jure novissimo Cod. LL. Civ. sancitum quemvis in tabulis testamentariis suae dispositionis executorem eligere posse: art. 980. Atvero eligi nequeunt inhabiles ad contrahendum: art. 984.: mulieres nuptae absque viri auctoritate: art. 984. tandem minores, licet interposita tutoris auctoritate art. 985.

Digitized by Google

reb. dubiis. Verum ex aequitate et in foro conscientiae posset juxta dubium dividi legatum inter personas, de quibus dubitatur. Si legatum factum fuit loco pio, et dubitatur, num isti, num illi, indigentiori tribuendum est. Si factum fuit pauperibus, et dubitatur, quibus pauperibus, legatum tribuendum pauperibus domicilii, ubi mortuus est. Hic tamen nota ex Paludano in 4. dist. 15. q. 3. quod nomine pauperum veniunt qui victum incertum habent ex elecmosynis fidelium.

Nota. Piam testatoris voluntatem non potest mutare executor, nisi quando fieret impossibilis, et tunc in alium pium usum convertenda est. Porro executor, et heres debent in foro conscientiae exequi legata, quamprimum possunt, nisi certum tempus ab ipso testatore sit designatum, arg. Cap. *Si heredes* 6. de testam., et L. *Cum res* 47. D. de legat. 1.

ADDITAMENTA

DE SUCCESSIONE LEGITIMA

De hereditatibus, quae in Utriusque Siciliae Regno heredibus, vel legatariis testamentariis tabulis institutis deferuntur jam supra egimus, nunc ad intestati caussam progredimur.

Et principio cum *Legum opportunitates, et medelae*, uti scripsit Gellius *pro temporum moribus, et pro Rerumpublicarum generibus, ac pro utilitatum praesentium rationibus mutari, atque flecti debeant* (1), quippe quod ad cujusque Reipublicae utilitatem quotidianas vices illae subeant necesse est, et vix quidquam stabile a Legislatore in illis excogitari potest; hinc Cod. Nov., Consuetudinibus, aliisque Nostri Regni Legibus penitus abrogatis, hereditatem primum ad liberos pertinere cautum, deinde ad parentes: si neque liberis, neque parentibus ea deferri possit, ad cognatos e latere redire sancitum: demum hisce deficientibus, ad filios naturales, conjugem, et Fiscum illam addici constitutum art. 654.

Quum autem omnis de intestatorum successione disputatio hisce absolvatur quaestionibus quis succedat, quo ordine, et quo modo. Res igitur ipsa flagitat, ut de iisdem breviter disseramus.

Antequam vero successionis ordinem investigemus, nonnulla animadvertere propemodum necessarium duximus.

Ac primo intestatus dicitur decessisse qui omnino testatus non est, aut cujus testamentum vel jure non valet, vel exitum nullum habuit.

II. Lex novissima Cod. tum linearum praerogativam, tum gradus proximitatem respicit, art. 655, non vero, ut olim constituebant Regni Leges jam abrogatae: haec enim bonorum distinctionem, et originem omnino respuit, eamque dumtaxat in casu reversionis, si nempe donatarius absque prole decedat, admittit: art. 670.

III. Repraesentatio est fictio juris, qua remotiores in proximioris defuncti locum subintrare intelliguntur: art. 660.

(1) *Gel. noct. Attic. 20. 1.*

Digitized by Google

IV. Quod istud repraesentationis jus spectat, ut in Jure Romano constitutum, *viventis nullus heres*, Cod. etiam Nov. art. 666. confirmatur viventem nullo pacto repraesentari posse: si vero successio fuerit abdicata, aut heres, ut indignus ab hereditate fuerit exclusus, tunc repraesentatio locum habet: art. 653.

V. In linea recta repraesentationis jus inter descendentes non circumscribitur: immo admittitur, sive filii defuncti cum descendentibus filii praemortui concurrant, sive quod, liberis omnibus deficientibus, descendentes inter se gradu aequali, vel inaequali sint: art. 661.

VI. Inter ascendentes repraesentationis jus locum non habet, sed proximior remotiorem excludit: art. 662.

VII. In linea collaterali per repraesentationem admittuntur filii, et descendentes ex fratribus, vel sororibus defuncti, tum si ad successionem cum patruis, et amitis concurrant, tum si defuncti hereditas descendentibus in gradu inaequali deferatur: art. 663.

VIII. Ut in jus defuncti quis succedere possit, is eo momento, quo illius successio locum habet, existat necesse est; ac proinde inhabilis a Jure declaratur, qui successionis tempore nondum conceptus fuerit, aut ex utero materno vitalis non egrediatur: art. 646.

IX. Hereditatem nonnullis, tamquam indignis eripi cautum: art. 648.

Ac 1. Indigni ad successionem prorsus declarantur poena capitali damnati, quia defunctum occiderint, vel occidere tentaverint.

2. Accusatores defuncti de crimine poena capitis mulctando.

3. Qui defunctum ad testamentum condendum, cum intestatus is decedere vellet, vi adegerint.

4. Qui defunctum testari vi prohibuerint.

5. Heredes aetate majores caedis defuncti conscii, qui intra semestre a die scientiae ejus sanguinem minime vindicarint, Judici competenti rei accusationem de patrato facinore exhibere omittentes, dummodo qui mero potitur imperio nefandum scelus non agnoverit, et ex officio in reum animadverterit. Illud autem heic observandum heredem indignum non existimari, si defunctus in actu publico, vel in testamentaria factione crimen illi remiserit. Tum Lex ipsa parcendum sanguini jubet: ac proinde ascendentes, et descendentes homicidae: immo ejus affines, conjux, germani, patrui, amitae, et nepotes, si accusationem non instituant, indigni non censentur; art. 649., et seq.

§. I. *De successione descendentium.*

Lex quaedam Naturae tacita, et mortalium commune votum parentum hereditatem liberis videtur addicere. Qua de re Cod. LL. art. 667. sancitum quod filii, aut eorum descendentes succedant parentibus, avis absque distinctione sexus, aetatis, et licet ex diversis conjugiis geniti fuerint. *In capita* (1) vero aequis partibus illis succedunt, si primi sint gradus, aut

(1) *In capita* succedi dicitur, ubi secundum heredum numerum viritim hereditas dividitur: *in stirpes* succeditur cum heredes remotiores in proximioris defuncti locum subeuntes, ejus dumtaxat portionem habent, quam proximior ille habuisset, si vitam egisset.

Digitized by Google

jure proprio vocati admittantur: in stirpes autem quando omnes, aut aliqui eorum per *repraesentationem* succedant (1).

§. II. *De ascendentium successione*

Si liberi ante parentes, turbato mortalitatis ordine, praerepti fuerint, deficientibus quoque germanis, eorumque descendentibus, ut eadem naturalis pietas suasit, luctuosam ipsorum hereditatem parentibus deferri cautum art. 668; hisque deficientibus, proximioribus ascendentibus tum paternae, cum maternae lineae aequis partibus illa defertur: art. 669.

Ascendentes vero in filiorum successione, si hi absque prole decedant, res a se illis donatas in specie extantes abscisse accipiunt: si vero eae distractae fuerint, pretium, quod forsan debetur: tandem illis potestatem facit lex actionem instituendi, quam donatarius ad res ipsas recuperandas habuisset; art. 670.

Rursus si sorores, aut fratres defuncto forent, eos cum ipsis parentibus, vel his deficientibus, cum ascendente proximiore admitti sancitum art. 671. Inter ascendentes tamen, et germanos *in capita*; et aequis partibus dividitur hereditas: descendentes vero ex ipsis jure repraesentationis *ex stirpibus* succedunt: art. 671 (2).

Sed his omissis ad successionem cognatorum e latere convertamus.

(1) Jure Consuetudinario Neapolitano in successione descendentium olim cautum (*Consuet: si moriatur til. de suc. ab int.*), quod si aliquis intestatus decederet, relictis filiis, et filiabus, nepotibus, et neptibus ex filio praemortuo, masculi tantum, exclusis foeminis succederent; filii autem, quia proprio jure vocati, succedebant *in capita*, nepotes, neptesve jure raepresentationis *in stirpes*. Successores vero sororibus et amitis secundum *paragium*, et facultates dotem constituere adigebantur; quod si hanc exhibere differrent usque ad annum XVI., tunc feminae virilem portionem, ut masculi capiebant, et *ex cit. Consuet.*, mulier dicebatur *masculiata*. Id autem eveniebat, cum ex gr. frater intra legitimum tempus sororem elocare potuisset, et injuste noluerit: nam si is probaret per se non stetisse, numquam femina succedebat. Vid. Ursill. ad decis. 159, de afflict. Ad rem Marcianus in L. 32. D. de usuris: *Mora fieri intelligitur non ex re, sed ex persona, idest si interpellatus opportuno loco non solverit.*

(2) Jure Neapolitano Consuetudinario olim in successione ascendentium Jus Romanum penitus fuit confirmatum. Quamobrem parentes semper excludebant collaterales, non vero fratres, vel sorores defuncti, quia hi cum parentibus concurrebant. *Authent. defuncti C. ad Scium Tertyll. et Nov. 118.* Quamvis autem ex Consuetudine *si quis, vel si qua til. de suc. ab intest.* ad successionem vocarentur cum distinctione quod proximiores agnati in bonis paternis, cognati vero in maternis, apud Doctores tamen recepta fuit sententia eam Consuetudinem non valere, si aliquis relicto patre, vel matre decederet: nam eo casu parentes sine ulla distinctione bonorum succedebant.

At vero deficiente patre, vel matre, tunc ex eadem Consuetudine *si quis* vel *si qua* ceteri ascendentes succedebant: ac proinde Avus lineae paternae maternum excludebat in bonis ex ipsa linea materna adquisitis: et ex adverso Avus maternus paternum excludebat in bonis ex linea matris. Napod. ad cit. consuet. de success. ab intest. n. 132.

Digitized by Google

§. III. *De successione cognatorum e latere*

In tertio heredum ordine sunt defuncti germani. Quamobrem deficientibus liberis, et ascendentibus, ad successionem admittuntur fratres, et sorores, necnon descendentes ex germanis praemortuis: illi vero *in capita*, hi jure repraesentationis *in stirpes*: art. 672.

Tum hisce omnibus non extantibus, hereditas defertur patruis, et amitis, hinc proximiori cognato a latere usque ad XII. gradum in quavis linea: art. 673 (1).

§. IV. *De successionibus extraordinariis*

Filii naturales matri succedunt: patri etiam, si eos rite agnoverit. Ipsis autem, vel eorum descendentibus semissis illius quotae addicitur, quam accepissent, si legitimi forent, quando pater filios, descendentes, vel ascendentes legitimos habeat. In besse autem ejusdem quotae hi succedunt, quando cognati e latere in gradu successorio extent: solidum denique accipiunt, quando isti deficiant: art. 674. Illud quoque animadvertas filiis naturalibus, licet rite agnitis, nullum jus in cognatorum patris, matrisve successione inesse: art. 677.

Quod vero filii naturalis hereditatem spectat, ea matri defertur: patri etiam, si eum agnoverit: art. 680.

Tum filii per rescriptum Principis legitimati, aeque ac naturales hereditati paternae succedunt: art. 682.

Rursus filii adulterini, et incestuosi nihil misere capiunt. Id ita cautum, ut filiorum obitu memoria extingueretur nefariorum amplexuum. Enimvero cum paterni sceleris expertes omnino sint liberi, hinc alimentis illi digni censentur: durissimum sane esset innocentem prolem ad famem, et sitim damnare: art. 678.

Denique si tempore mortis defuncti cognati in gradu successorio desint, Conjux superstes hereditatem obtinet: art. 683. Si vero Conjux etiam deficiat, bona defuncti, tamquam vacantia Fiscus occupat: art. 684.

Sed haec satis: cetera, quae ad hanc rem spectant habebitis in Commentariis Juris Civilis.

(1) Jure Consuetudinario Neapolitano olim in successione intestata collateralium (*Consuet. si quis, vel si qua tit. de succes. ab intest.*) sancitum, quod si aliquis intestatus decederet, filiis legitimis non extantibus, tunc proximiores ex linea paterna in bonis omnibus defuncti succederent, praeterquam in illis, quae defuncto a matre, vel quovis ex linea materna obvenerunt: quae quidem bona proximioribus hujusce lineae addicebantur: unde illud vulgatum *maternis cedunt materna, paterna paternis.*

Praeterea ex alia Consuetudine *Sed si moriens eod. tit.* cautum 1. quod jus repraesentationis non solum ad filios fratrum, sed in infinitum extenderetur; quod sane jus placuit S. C. usque ad quartum gradum extendi: de *Franch. decis. 24. 2.* sancitum quod si defuncti fratres, eorumque liberi dessent, tunc admitterentur sorores: illis enim extantibus sive germanis, sive unilateralibus, feminae semper excluderentur: atvero dotem a fratribus vindicare poterant. Videsis *Napodan: de hac Consuet.*

Digitized by Google

CAPUT XII.

De Sepulturis

Q. Quinam est locus sepulturae?

R. Est Ecclesia, Coemeterium, vel alius locus auctoritate Episcopi deputatus ad sepulturam fidelium, sive Ecclesiae sit adnexus, sive ab Ecclesia sit remotus.

Q. Quibus Ecclesiis jus sepulturae competit?

R. Jure communi Ecclesiis Parochialibus, quia sicuti Parochus tenetur sacramenta ministrare, et Parochianis verbi Dei alimoniam praebere vivis, ita et eos mortuos in Ecclesia Parochiali recipere, ut iidem in sinu suae matris quiescant, Clement. *Dudum* de sepult. At ex pontificis privilegio jus sepeliendi fideles fuit postea etiam concessum Religiosis, cit. Clem. *Dudum*.

Q. Quid de Clericis, vel Religiosis, qui inducunt aliquem ad vovendum, vel jurandum, ut apud suam Ecclesiam sepulturam eligat, vel jam electam ulterius non immutet?

R. I. Peccant graviter, quia hoc eis graviter prohibitum est, textu expresso in Cap. *Animarum* 1. de sepult. in VI. II. Incidunt ipso facto in excommunicationem Papae reservatam, Clem. *Cupientes* 3. §. *Sane* de poenis. III. Talis electionis jus nullum est, et corpus defuncti sepeliendum est in ea Ecclesia, in qua aliter seperelitur. IV. Si sepelire praesumpserint, tenentur restituere corpus, si petatur, et omnia emolumenta accepta ratione talis sepulturae, Cap. *Ex parte*, et Cap. *Cum liberum* de sepult. Quod si talem restitutionem petitam negligant, Ecclesia, vel Coemeterium remanet interdictum usquedum non fiet restitutio, cit. Cap. *Animarum* de sepult. in VI.

Nota. Hae supradictae poenae non valent, si simpliciter hortentur per preces, vel suasiones ad eligendam sepulturam, nec porro incurrunt excommunicationem Clerici, vel Religiosi, inducentes aliquem ad eligendam sepulturam in Ecclesia aliena, sed requiritur ut inducant ad eligendam sepulturam in propria Ecclesia ad se pertinente, cit. Cap. *Animarum*. Adhaec laici numquam incurrunt in dictam excommunicationem, quamvis voto, vel juramento inducerent aliquem ad sepulturam eligendam, cit. Cap. *Animarum*, et cit. Clement. *Cupientes*.

Q. Quinam possunt eligere sepulturam?

R. Omnes sive masculi, sive feminae, dummodo puberes sint, et liberum habeant arbitrium, etiamsi sint filiifamil. sine consensu patris, Cap. 1. de sepult., et Cap. *Licet* eod. tit. in VI.

Q. Quinam arcendi sunt ab Ecclesiastica sepultura?

R. Plures, et I. Omnes non baptizati, puta Judaei, Turcae etc. Cap. *Ecclesiam* 26, et Cap. 27. dist. 1. de consecrat. II. Haeretici, eorumque receptatores, defensores, cit. Cap. *Sicut*, et Cap. *Excommunicamus* de haeret., et Cap. *Quicumque* eod. tit. in VI., etiamsi post mortem coguita sit eorum haeresis, arg. Cap. *Sane* 6. caus. 24. q. 2.

III. Arcentur ab ecclesiastica sepultura, qui in notoria excommunicatione, vel interdicto decesserint, Cap. *Sacris* 12. de sepult., nisi dederint si-

Digitized by Google

gna poenitentiae, vel illi, qui decesserint in peccato mortali, Cap. *Statuimus* 2. de maledic.

IV. Qui seipsum voluntarie occidit, ira, desperatione, vel alia simili causa, Cap. *Placuit* caus. 25. q. 5. Quod si dubitetur voluntarie, an casu, an a se, an ab aliis sit occisus, non est ecclesiastica sepultura privandus, quia in dubio delictum non praesumitur, sed est probandum.

V. Qui semel in anno confiteri, vel in Paschate eucharistiam sumere notorie praetermiserit ex mera sui negligentia, Cap. *Omnis utriusque sexus* 12. de poenit., et remis.

VI. Usurarius notorius nisi restituerit, vel idoneam dederit cautionem de restituendo, Cap. *Quia* 4. de usur, et Cap. *Quanquam* eod. tit. in VI. Item manifesti raptores, et Ecclesiarum violatores Cap. *Super eo* 2. de rapt.

VII. Qui decessit in torneamentis, vel in duello, Cap. *Felicis* 1., et Cap. *Ad audientiam* 2. de torneam. (1).

Nota. Si unus ex his in loco sacro sepeliatur, exhumandus est, si fieri possit, Cap. *Sacris* 12. de sepult., at sepeliens graviter peccat, et Ecclesia, si in ea sepultus sit excommunicatus vitandus, vel infidelis, remanet polluta, cit. Cap. *Sacris*, et Cap. *Consuluisti* 7. de consecrat.

Q. Num peccat, qui negligit sepelire mortuum?

R. Maxime, quia urget charitatis praeceptum ad eum sepeliendum in loco sacro, quando alius non adsit. Et e contrario graviter peccat, et incidit in excommunicationem Ordinario reservatam ex Clement. *Eos qui* de sepult. ille, qui sepelit corpora defunctorum tempore interdicti extra casus concessos, vel nominatim interdictos, aut excommunicatos vitandos, aut usurarios manifestos scienter in loco.

(1) Videsis nostras additiones ad Cap. VI. de homicidio tom. II. pag. 61

Digitized by Google

INDEX

TRACTATUUM CAPITUM ET ADDITIONUM

QUAE IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR

TRACTATUS X.

De Beneficiis, et Jurepatronatus

Cap. I. *De definitione, et divisione Beneficiorum* 3
Cap. II. *De modis adquirendi Beneficia.* . . . . . *ib.*
§ I. *De Beneficiis collativis.* . . . . . *ib.*

ADDITAMENTA

De Beneficiorum collatione

Quibus Animarum cura adnexa est 6
§ II. *De Beneficiis electivis, et Patronatu.* 11

ADDITAMENTA EX S. LIGORIO

Cuinam possint, et debeant Beneficia conferri. 13
Cap. III. *De Jure Beneficiariorum, et Obligationibus.* 14

ADDITAMENTA EX S. LIGORIO

Caussae excusantes Canonicos a Chori adsistentia. 20
Cap. IV. *De Pluralitate Beneficiorum.* 21

ADDITAMENTA EX S. LIGORIO

De Pluralitate Beneficiorum 22
Cap. V. *De qualitatibus requisitis ad Beneficium adquirendum* . . 24
Cap. VI. *De Renuntiatione* 28
Cap. VII. *De Jurepatronatus* 29
Cap. VIII. *De Pensionibus* 30

Digitized by Google

ADDITAMENTA

De Titulo in Ordinatione requisito 32

TRACTATUS XI.

Lib. I. *De Justitia et Jure* 35
Cap. I. *De Dominii Natura, et Divisione* 37
Cap. II. *De variis Dominii adquirendi modis* 38
§ I. *De Occupatione* . . . . . *ib.*
§ II. *De Accessione* 43
§ III. *De Traditione* 47
Cap. III. *De Subjecto Dominii* 48
§ I. *De Objecto Dominii* 53
Cap. IV. *De Usufructu, Usu, et Habitatione* 54
§ II. *De Usu, et Habitatione* 56
Cap. V. *De Servitutibus* 57
Cap. VI. *De Possessione* 59
Cap. VII. *De Conjugum bonis* 61
Cap. VIII. *De Alimentis* 64
Lib. II. *De Justitia, et Jure, ubi de restitutione agitur* 65
Pars. I. *De Restitutione in genere* . . . . . *ib.*
Cap. I. *De Injuria* 66
Cap. II. *De Culpa* 67
Cap. III. *De Culpa, unde oritur obligatio restitutionis* . . . . *ib.*
Cap. IV. *De radice obligationis restituendi* 72
Cap. V. *De Possessore bonae, vel malae fidei; et quomodo teneantur ad restitutionem* . . . . . *ib.*
Cap. VI. *De Possessore dubiae fidei* 77
Cap. VII. *De Restitutione fructuum* 79
Cap. VIII. *De expensis a Possessore sive bonae, sive malae fidei factis* 81
Cap. IX. *De Concausis restitutionis* 82
§ I. *De Mandante* 83
§ II. *De Consulente* 85
§ III. *De Consentiente* 88
§ IV. *De Palpone* 89
§ V. *De Receptatore* . . . . . *ib.*
§ VI. *De Participante* 90
§ VII. *De Concausis negativis* 92
Cap. X. *De Ordine Restitutionis, quoad concausas* 94
Cap. XI. *De obligatione restitutionis ob impedimentum injustum boni alieni* 97
Cap. XII. *De obligatione restitutionis rei acceptae ob turpem causam* 99
Cap. XIII. *De tempore, loco, et expensis, ac periculo, quibus facienda est restitutio* 100

Digitized by Google

Cap. XIV. *De personis quibus facienda est restitutio.* 102
Cap. XV. *De ordine servando in restitutione* 104
Cap. XVI. *De causis, quibus suspendi potest restitutio* 107
Cap. XVII. *De causis, quibus extinguitur restitutionis obligatio.* . 112
§ I. *De Condonatione.* . . . . . *ib.*
§ II. *De Compositione.* 113
§ III. *De Compensatione.* 114
§ IV. *De Praescriptione.* 117
Pars II. *De restitutione in particulari* 123
Cap. I. *De delictis, ex quibus oritur Restitutionis obligatio.* . . *ib.*
§ I. *De Furto, et Rapina.* . . . . . *ib.*
Cap. II. *De Injuriis contra famam, et honorem, per detractionem, calumniam, et contumeliam, et de necessaria restitutione.* 131
Cap. III. *De injuriis contra famam, et honorem per dubitationem temerariam, judicium, suspicionem, et secreti manifestationem, et de necessaria restitutione.* 140
Cap. IV. *De obligatione restitutionis ratione homicidii, mutilationis etc.* 142
Cap. V. *De obligatione restitutionis ratione stupri, et adulterii.* . 145

ADDITAMENTA EX S. LIGORIO

Quid restituendum ob stuprum. 147

ADDITAMENTA EX S. LIGORIO

Quid restituendum ob adulterium 150
Liber III *De justitia, et jure; ubi de contractibus disputatur.* . . 151
Pars I. *De contractibus in genere* . . . . . *ib.*
Cap. I. *De natura, definitione, et divisione contractus.* 152
Cap. II. *De consensu ad valorem contractus requisito* 155
Cap III. *De contractuum qualitatibus.* 158
§ I. *De contractu adjectione diei inito* . . . . . *ib.*
§ II *De contractu sub conditione celebrato* 159
§ III. *De contractu sub modo celebrato* 161
§ IV. *De contractu celebrato sub demonstratione* 163
§ V. *De contractu celebrato sub caussa.* . . . . . *ib.*
Cap. IV. *De iis, qui possunt celebrare contractus.* 165
Cap. V. *De Restitutione in integrum.* 171
Cap. VI. *De contractus materia.* 174
Pars. II. *De contractibus in specie.* 175
Cap. I. *De Emptione, et venditione.* . . . . . *ib.*
§ I. *De Evictione* 182
§ II *De mercium pretio* 184
§ III. *De mercium vitio* 187
Cap. II. *De monopolio* 188
Cap. III. *De Negotiatione.* 190

Digitized by Google

Cap. IV. *De Societate* 192
Cap. V. *De Census contractu* 196
Cap. VI. *De Cambio.* 199
Cap. VII. *De Emphyteusi, et Feudo* 201
Cap. VIII. *De Locatione, et conductione* 205
Cap. IX. *De Fidejussione* 208
Cap. X. *De Assecuratione* 210
Cap. XI. *De Ludo, et Sponsione* . . . . . *ib.*
Cap. XII. *De Transactione.* 212

DE CONTRACTIBUS GRATUITIS

Cap. I. *De Promissione* 213
Cap. II. *De Donatione* 215
Cap. III. *De Deposito, et sequestro.* 222
Cap. IV. *De Commodato, et Precario* 224
Cap. V. *De Pignore, et Hypotheca* 227
Cap. VI. *De Mutuo* 230
Cap. VII. *De Usura* 233
Cap. VIII. *De Titulis excusantibus ab usura; et poenis usurariorum* 236

APPENDIX

Recentiora S. Poenitentiariae, et S. Congregationis Inquisitionis Responsa

Quae Mutuum respiciunt 241
Liber IV. *De justitia, et jure, ubi de testamentis, et ultimis voluntatibus disseritur* 245
Cap. I. *De definitione, divisione, et solemnitatibus Testamenti.* . *ib.*
Cap. II. *De Testamentis privilegiatis* 247
Cap. III. *De iis, qui testari possunt, vel non* 251
Cap. IV. *De revocatione Testamenti* 252
Cap. V. *De heredibus instituendis.* 254

ADDITAMENTA

De Testamentis ordinandis 259
Cap. VI. *De heredibus ab intestato* 262
Cap. VII. *De Paragio.* 265
Cap. VIII. *De Codicillis* 266
Cap. IX. *De Substitutionibus, et Fideicommissis* 267
Cap. X. *De Legatis.* 272
Cap. XI. *De executione Testamenti* 278

ADDITAMENTA

De Successione legitima 279
Cap. XII. *De Sepulturis* 283

Digitized by Google

THEOLOGIAE MORALIS

INSTITUTIONES

EX SACRIS SCRIPTURIS CANONIBUS

AC SS. PATRUM SANIORUMQUE DOCTORUM SENTENTIIS COLLECTAE

PASCHALIS FULCO

INSIGNIS COLLEGIATÆ AC PRIMIGENIÆ PAROCHIALIS ECCLESIÆ
S. JOANNIS MAJORIS NEAPOLIS CANONICI

EDITIO NOVISSIMA

IN QUA AD UTRIUSQUE JURIS RECENTIORES SANCTIONES PLURIMA ADDITAMENTA
TRACTATUM DE MONIALIBUS APPENDICES DE MATRIMONIO
DE ECCLESIIS RECEPTITIIS DE TITULO IN ORDINATIONE REQUISITO
DE REGULIS JURIS CANONICI ETC.

NUNC PRIMUM

accesserunt doctrinæ theorico-practicæ

EX OPERIBUS DEPROMPTÆ

S. ALPHONSI M. DE LIGORIO

OPERA ET STUDIO

IOSEPHI ROMANI PRESB. NEAP.

IN ARCHIEPISCOPALI LYCEO UTRIUSQUE JURIS ANTECESSORIS SUBSTITUTI

TOM. IV.

Ex aliis Angelici Barone Presbyteri

Neapoli

EX TYPOGRAPHEO AD SIGNUM ANCORÆ

MDCCCXLIV

Digitized by Google

Digitized by Google

INSTITUTIONES

THEOLOGIÆ MORALIS

TRACTATUS XII.

SECTIO I.

De Censuris in genere

Si quae sunt inter cetera moralis doctrinae documenta, quae, et ipsis poenitentibus, et multo magis Confessariis ipsis scitu necessaria sunt, ea jure merito plerique viri docti arbitrantur esse, quae de Censuris ecclesiasticis traduntur. Propterea quemadmodum eas omnes, omni meliori, qua possumus, diligentia et claritate aperire decrevimus, ut brevitatis non obliviscamur simul, et in necessariis non deficiamus, ita hac ratione usi vestrum erit pariter tribuere brevitati memoriam, claritati intelligentiam, necessitati solertiam. Sit igitur:

CAPUT I.

De definitione, et divisione Censurae

Censura, si ad nominis notionem spectemus, dicitur a *censendo*. Hoc nomen usitatissimum apud Romanos fuit. Significabatur autem per ipsum vel Censoris dignitas, qui mores corrigebat, vel ipsa censio, seu correctio, vel punitio, qua coercebantur improbi, et delinquentes corrigebantur. Hinc illud Juven. Satyr. 1. de Junone canentis: *dat veniam corvis, vexat censura columbas.* Sed haec secunda acceptio fuit in causa, ut etiam nunc correctioni, et punitioni spirituali, quae ab Ecclesiae Praelatis contumacibus delinquentibus infligitur, *Censurae* nomen daretur.

Censura definitur: *Poena spiritualis, ac medicinalis pro culpa inflicta, privans hominem usu aliquorum bonorum spiritualium, per ecclesiasticam potestatem imposita, ut Fidelis a contumacia desistat* (1).

(1) Quum Apostoli, eorumque Successores a Christo Domino nostro ligandi, atque solvendi potestatem acceperint, hinc ad bonum Ecclesiae regimen jus ferendi censuras, quibus maleferiati homines coerceantur, eorumque plectatur contumacia, ipsis Pastoribus inhaerere exploratissima in Jure res est. *Jurisdictio* enim (habetur in Cap. *Pastoralis* Extra *de Officio Delegati*) *nullius videretur esse momenti, si coercitionem aliquam non haberet*: Et Jure Civili cautum: *Cui jurisdictio data est,*

Digitized by Google

Dicitur *poena spiritualis*, quia hac poena Anima, quae spiritus est, in primis punitur, eidemque usus spiritualium potissimum prohibetur: et licet aliquando censura etiam res corporales attingat, hoc est secundario, et quatenus referuntur ad spiritualia. Hinc exilia, carceres, etc. ab Ecclesiastica potestate aliquando impositae, non dicuntur censurae, quia non attingunt primario Animam. Layman.

Dicitur *medicinalis*, quia censura proprie spectat futuram correctionem peccatoris, ejusque contumaciae remotionem, arg. Cap. *Cum medicinalis* 2. de sent. excomm. in VI.

Dicitur *pro culpa inflicta*, quia non potest quis ligari censura, nisi ob culpam, et ad differentiam irregularitatis, quae aliquando sine culpa, sed ex aliquo defectu incurritur.

Dicitur *privans usu bonorum spiritualium*, quia censura non est poc-

ea quoque concessa esse videntur, sine quibus jurisdictio expleri non potuit (L. 2. D. Tit. de Jurisd. omn. Judic.).

Sunt autem ecclesiasticae censurae poenae medicinales, quas Ecclesia infligit non solum, ut peccatores puniat: sed ut eos ad poenitentiam adducat, qui profecto illarum finis est.

Jamvero hanc potestatem exercuit Apostolus cum Incestuosum Corinthium excommunicavit (1. ad Corinth. v.). *Et non magis luctum habuistis*, inquit, *ut tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit. Ego quidem absens corpore, praesens autem spiritu jam judicavi, ut praesens eum, qui sic operatus est in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis, et meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu tradere hujusmodi Satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.* Et paulo infra: *Si is, qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax: cum ejusmodi nec cibum sumere.* Et II. ad Thessalonicenses III. *Quod si quis non obedit verbo nostro per Epistolam hunc notate et ne commisceamini cum illo, ut confundatur.* His accedit Ecclesiae Patrum testimonium, quorum brevitatis ergo unum, aut alterum heic subjiciendum duximus. Insignis est *Tertulliani locus in Apologetico* Cap. XXXIX. ubi sacros Christianorum adscribit. *Ibidem etiam inquit exhortationes, castigationes, et Censura divina. Nam et judicatur magno cum pondere ut apud certos de Dei conspectu, summumque futuri judicii praejudicium est, si quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis et conventus, et omnis sancti commercii relegetur*: cui proprie, aptisque verbis illud respondet Hieronymi (Epist. I. ad *Heliodorum*): *In veteri quidem Lege quicumque Sacerdotibus non obtemperasset, aut extra castra positus lapidabatur a populo, aut gladio cervice subjecta, contemptum expiabat cruore. Nunc vero impediens spirituali mucrone truncatur, aut ejectus de Ecclesia rabido Daemonum ore discerpitur.* Tum Augustinus (Libro *De Fide et Operibus*, Cap. II.) malos in Ecclesia non ita tollerari, docet, ut disciplinae severitas, sive diligentia solvatur omnino, atque omittatur. *Neque enim quia illam primi populi permixtionem Moyses Dei famulus patientissime perferebat, ideo non in multos, etiam gladio vindicavit. Et Phinees, Sacerdos adulteros simul inventos ferro ultore confixit. Quod utique Degradationibus et Excommunicationibus significatum est esse faciendum hoc tempore cum in Ecclesiae Disciplina visibilis fuerat gladius cessaturus.*

Denique Ecclesia, quodlibet percurramus aevum, tum per Summos Pontifices, tum in Oecumenicis Synodis, uti ex historica re edocemur, haereticos, et schismaticos anathemate confixit, et graviorum criminum reos censuris latis damnavit.

Quamobrem ex praemissis liquido patet satis ineptire Protestantes, Boehmerum praesertim, qui *systema collegiale*, ex quo asserunt *jura Collegialia, et majestatica* profluere sibi confingunt, atque hanc potestatem Ecclesia Christi impie denegant.

Digitized by Google

na civilis, quae posita est in rerum temporalium jactura, ac detrimento illato, sed est poena spiritualis, quae privat aliquibus bonis spiritualibus, uti est ministratio, et receptio Sacramentorum, participatio publicorum suffragiorum, et cetera hujusmodi. Tamen non tollit gratiam habitualem, nec virtutes infusas, characterem, potestatem ordinis delet.

Dicitur *per ecclesiasticam potestatem imposita*, quia facultas ferendi censuram soli Potestati Ecclesiasticae competit, et quidem jure Divino juxta illud Matth., 16.: *Quodcumque ligaveris super terram, etc.* et 18.: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, et Publicanus*, hoc est segregatus a communione Fidelium, quemadmodum explicant Patres.

Dicitur, *ut Fidelis, etc*; quia censura emanari potest solum contra baptizatum, qui solus est Ecclesiae subditus, non autem contra Paganos, Judaeos, etc.

Tandem dicitur *ut a contumacia recedat*, ut cognoscatur, quod sicut censura fertur per modum medicinae, ut delinquens a reatu emendetur, et ad meliorem frugem revertatur: sic censura est per absolutionem tollenda, statim ac contumacia tollitur, et emendatio sequitur, arg. cit. Cap. *Cum medicinalis* in VI. ibi: *Caute provideat Judex Ecclesiasticus, ut in ea ferenda ostendat se prosequi, quod corrigentis fuerit, et medentis.* Uno verbo finis censurae est a contumacia resipiscentia, et a peccatis abstinentia.

Q. Quaenam differentia intercedit inter censuram, et irregularitem?

R. Haec est, quia censura semper supponit culpam, minime vero irregularitas. Per violationem censurae per actum ordinis majoris incurritur irregularitas: per violationem vero irregularitatis, praeter peccatum, non incurritur alia irregularitas. Prima tollitur absolutione, secunda dispensatione. Prima potest esse a Jure, et ab homine, secunda tantum a Jure, in prima semper habetur contumacia, non semper in secunda.

Differt etiam Censura a cessatione a divinis, cum illa sit poena, haec vero simplex prohibitio, per censurae violationem per actum ordinis majoris irregularitas contrahitur, non vero per violationem cessationis a divinis. Porro differt a depositione, et degradatione, nam istae non sunt censurae, sed quaedam poenae vindicativae uti vocant, statutae contra incorrigibiles a Jure Canonico.

Q. Quotuplex est censura?

R. Triplex est, scilicet Excommunicatio, Suspensio, et Interdictum. Nam in Jure ubicumque fit mentio censurae solummodo istae tres nominantur, Cap. *Cum medicinalis*, Cap. *Statutum*, Cap. *Is cui* de sentent. excomm. in VI., et Cap. *Quaerenti* de verbor. signif. Prima potest ferri contra omnes baptizatos. Secunda contra Clericos. Tertia contra locum, vel personam, prout erit interdictum locale, vel personale.

Q. Quomodo deviditur censura?

R. Multipliciter, scilicet in censuram *a jure, vel ab homine*, *latae sententiae, vel ferendae sententiae*. Censura *a jure* est illa, quae a Legislatore fertur cum intentione condendi legem, vel statutum generale perpetuum, injuncta transgressoribus poena censurae. Censura *ab homine* est illa, quae fertur a Superiore aliquid praecipiente cum intentione ferendi praeceptum temporaneum, imposita contra inobedientes censura, et ista potest esse vel

Digitized by Google

generalis, si generatim, et indeterminate fertur in aliquos, vel particularis, si fertur in determinatam personam. Illa, sive a Jure semper est generalis, nec expirat morte Superioris, Cap. *finali* de Off. legati, haec sicut expirat ab homine, et expirat vel morte, vel amotione Superioris, antequam contrahatur, non vero si jam contracta sit.

Censura *latae sententiae* dicitur illa, quam reus sine alia Judicis sententia ipso facto, vel criminis commissione incurrit. Censura *ferendae sententiae* dicitur, quae non incurritur, nisi post sententiam Judicis.

Q. Quomodo cognoscitur censura, num sit latae, vel ferendae sententiae?

R. Si in censura hae adhibeantur particulae, *confestim, statim, ipso facto, etc.*, vel est lata per verba praesentis, vel praeteriti temporis modi indicativi, ut *excommunicamus, volumus esse excommunicatum, etc.*, et tunc censura est latae sententiae. Si vero est lata per verba futuri temporis, v. g. *excommunicabitur, suspendetur*, vel per verba, quae exigant Judicis actionem, v. g. *excommunicetur, suspendatur, etc.*, sive per verba temporis indicativi, vel per verba minatoria, uti sub poena excommunicationis, et tunc est ferendae sententiae, Layman, Antoine, aliique (1).

Q. In dubio Censura quomodo judicanda est?

R. Debet potius judicari censura ferendae sententiae ex Reg Juris 49. in VI. In poenis benignior est facienda interpretatio Ita Layman.

CAPUT II.

De causa efficiente censurae, seu de iis qui possunt censuras infligere.

Q. Quinam habent facultatem ferendi censuram?

R. Illi, qui habent potestatem Jurisdictionis spiritualem in foro externo, uti Summus Pontifex pro toto Orbe, Episcopus pro sua Dioecesi, Cap. *Per-*

(1) Ad dignoscendum quandonam censura est *latae*, et quando *ferendae sententiae*, dicunt DD. quod cum verba includunt actionem ab altero faciendam sunt *ferendae:* quando aliter sunt *latae;* unde dicunt esse *latae sententiae*, quando dicitur *ipso jure, ipso facto, aut sine alia sententia*, aut si verba sint praeteriti aut praesentis temporis v.g. *excommunicamus, excommunicatus est, excommunicantur, jubemus esse excommunicatum* etc. Contra sunt ferendae *sententiae*, si verba sunt de tempore futuro *excommunicabitur*, aut si sunt comminativae *sub poena excommunicationis, sed interminatione anathematis*, modo ex contextu aliorum verborum oppositum non arguatur): item si dicitur *volumus excommunicari, aut excommunicetur*; hoc tamen intelligi debet quando a jure interponitur Episcopo praeceptum excommunicandi, sed quando absolute dicitur excommunicetur *suspendatur* etc.: intelligitur *latae sententiae*, ut communiter dicunt *Bonac., Silvest., Saur., Vasq.*, etc. Cum autem dicitur excommunicatus, aut *anathema* sit volunt Suar., et *Tournely* esse *latae sententiae*; sed *Sanch: Laym. Dicast.* volunt esse ferendae, modo non sint adversus aliquem errorem haeresis: utraque sententia est probabilis (d). Si *autem dicatur maneat excommunicatus aut suspensus*, volunt *Nav. Silv. Henriq.* etc. neutram incurri censuram; sed *Sayrus, Bon. Salm. Co.* etc. tenent tunc dari optionem reo ad eligendam quam malit *S. Ligorius homo apost. Tract. XIX. de Censuris Cap. 1. §. 2.*

Digitized by Google

niciosam, et Cap. *Conquerente* de Offic., Trident. sess. 14. Cap. 4. de Reform.... Praelatus Regularis pro suis subditis, Cap. *Cum in Ecclesiis* de majorit., et obedient. et Cap. *Ea quae* 8. de stat. monach.

Q. Quotuplex est facultas ferendi censuras?

R. Duplex est, ordinaria, et delegata, *Ordinaria*, est illa, quae competit alicui ratione sui officii. *Delegata* est, quae competit alicui ratione commissionis, Cap. *Novit.* 5. de offic. Legat., et Cap. *legatos* 2. de offic. Legat. in VI.

Q. Potestas Censurandi alteri delegata expiratne morte delegati?

R. Si est concessa in causa determinata, sive per modum mandati, et res est integra, expirat, non vero si negotium non sit integrum per solam citationem Cap. *Licet.* 30. *de* Off. delegat. Si vero est absolute concessa, et sine determinatione causae, vel personae, sed absolute concessa, et per modum gratiae in favorem delegati, non cessat, quia beneficium debet esse manens, et aequiparatur donationi, quae post acceptationem durat post mortem donantis, etiam re integra. Haec clarè cauta sunt in Cap. *Si cui nulla* de Praeben. in VI.

Q. Potestas censurandi alteri delegata expiratne morte delegantis?

R. Maxime, verum si negotium non est integrum, non expirat, Cap. *Licet.* 30. de off. Judic. delegat.

Q. Quot conditiones in ferente censuras requirantur?

R. Sex, 1. ut sit vir. 2. ut sit baptizatus. 3. ut sit saltem prima tonsura initiatus. 4. ut sit compos rationis. 5. ut non sit irretitus aliqua censura. 6. ut libere agat sine vi, et metu; cum tamen sit valida censura per metum lata, quia speciali jure non irritatur.

Q. Potestne Episcopus excommunicare alium Episcopum?

R. Si habet facultatem delegatam a Summo Pontifice, vel a Concilio potest, alias non potest, quia par in parem non habet imperium, Cap. *Innotuit* 20. de elect.

Q. An Archiepiscopi possint ferre censuras in suffraganeos?

R. Minime, nisi causa per appellationem ipsis devoluta sit, et tempore visitationis. Ita communiter ex Cap. Venerabilibus de sentent. Excom. in VI.

Q. Vicarius generalis habet facultatem ordinariam, an delegatam ferendi censuras?

R. Habet facultatem delegatam, ideoque non potest ferre censuras. nisi habeat delegationem, Cap. *Venerabilibus* 7. de sentent. excom. in VI. licet Bonacina, Sanchez, et alii contrarium sentiant, quia facit unum tribunal cum Episcopo ex Cap. Romana Ecclesia de Appellationibus in VI. Tamen si censurae latae sunt a Jure, potest declarare subditos incurrisse eas, quamvis in ipsa delegatione non exprimatur; et ratio est, quia tunc non fert censuram, sed decernit censuram fuisse incursam a delinquente. Layman.

Q. An possint Parochi ordinarie ferre censuras?

R. Minime, cum haec potestas sit abrogata per consuetudinem contrariam, quia non habent jurisdictionem in foro externo. Ita communiter. At si aliquando habebant, erant potius Chorepiscopi.

Q. Num ferens censuram, illam possit ferre in causa propria scilicet, in materia communi inter partes, inter quas causa agitur?

R. Regulariter loquendo non potest, quia eodem tempore sustineret acto-

Digitized by Google

ris et Judicis partes, quod fieri non potest, Cap. *inter querelas* 23. q. 4. ; tum quia, qua parte esset actor, esset subditus, qua parte esset Judex, esset Superior, et simul, et semel esset subditus, et Superior. Excipe tamen casum defensionis, dum ille per modum defensionis censuram fert in eum, qui sibi violentiam infert, tunc enim licitum est uti suis armis ad propulsandam vim, Cap. *Delecto* de sentent. Excomm. in VI.

Q. Si prohibitum est delictum aliquod sub censura ab Episcopo, et subditus extra Dioecesim tale delictum committit, incurritne censuram?

R. Si censura lata est per modum statuti, sive legis, subditus non incurrit censuram, quia lex, et statutum non obligat extra territorium, uti apertissime patet ex Cap. 2. de constitut. in VI., ibi: *Cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune.* Si vero censura lata est per modum praecepti, vel per sententiam, incurrit censuram, quia praeceptum adhaeret personae, ideoque afficit personam, ubicumque sit: Layman, Bonacina, aliique.

Q. Num Superior existens extra suum territorium, possit ferre censuras contra suos subditos?

R. Minime, quando ad illam ferendam opus est jurisdictione contentiosa, scilicet, quae exercetur cum causae cognitione, et strepitu judiciali, quia jurisdictio contentiosa non potest exerceri extra proprium territorium, absque proprii Ordinarii licentia, sicut neque in loco exempto, Cap. *Episcoporum* 11. q. 3., Cap. ult. de constit. in VI. Dixi *quando requiritur jurisdictio contentiosa;* quia si non requiritur quia causa est clara, potest contra aliquos, quia tunc non invadit alienam jurisdictionem, sicut etiam potest cum causae cognitione et strepitu judiciali, utendo scilicet jurisdictione contentiosa, si Ordinarius loci det facultatem instruendi processum, ut docet Abbas in Cap. *Novit.* de offic. legat., Layman, aliique. Vel demum, si Episcopus impeditur, ne jurisdictionem exerceat in proprio territorio, tunc potest illam exercere in alieno vicino suo Episcopatu, Clement. 1. de foro comp. Ita Bonac., aliique communiter.

Q. Num Episcopus existens intra proprium territorium possit inligare censuris proprium subditum in alieno territorio existentem pro delicto commisso in proprio territorio Episcopi?

R. Maxime, quia alias jurisdictio Ecclesiastica contemneretur, et delictum remaneret impunitum, cum non puniretur a proprio Episcopo, nec potest puniri ab Episcopo loci, in quo est, quia non est illi subditus. Ita Salmant., Collet, Bonacin. . Et hoc ita verum est, ut habeat locum etiamsi subditus commisit delictum extra dioecesim, et res circa quam deliquit, in proprio territorio Episcopi, scilicet censuram infligentis manet: ut si Clericus tali Ecclesiae assistere debeat, et extra Dioecesim sit, potest ab Episcopo censurari, nisi intra tot dies ad assistentiam redeat, et si secus fecerit, in censuram incurrit, quia illud peccatum non residentiae in proprio territorio consummatur, tum quia delictum omissionis censetur ibi committi, ubi actus praeceptus exercendus erat.

Q. Quid si censura feratur a Superiore per metum gravem illi incussum ad extorquendam censuram, num sit valida?

R. Est valida supposita causa. Ita Glossa, Abbas, aliique, quia haec censurae prolatio non est nulla Jure Naturae, quia Jure Naturae metus non tol-

Digitized by Google

lit voluntarium, non jure positivo, quia de hoc jure talem censuram irritante non constat, Bonac., Suarez, Collet, aliique.

CAPUT III.

De subjecto censurae, seu de illo, qui ligari potest censura

Q. Qualis esse debeat ille, contra quem fertur censura?

R. Debet esse viator, hoc est, vitam agens in hoc mortali corpore. Pro vivis enim dedit Dominus jurisdictionem, unde dixit: *Quodcumque ligaveris super terram. etc.* Porro censura fertur contra contumacem, ut resipiscat, mortuus autem quomodo esset contumax; vel resipiscere potest? Debet esse baptizatus, quia aliter Ecclesia non habet jus supra illum; unde Judaei, Pagani etc. cum Ecclesiae potestati non subsint, nulli censurae subjicientur, juxta illud Apostoli I. ad Corinth. 5.: *Quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* Debet esse subditus, quia nonnisi subditus puniri potest a Superiore. Debet esse delinquens, quia censura cum sit poena, requirit culpam. Debet esse contumax, quia Ecclesia utitur censura ad repellendam contumaciam. Tandem debet esse capax rationis, et doli, quia, ut contrahatur censura, requiritur culpa cum contumacia: quomodo autem, et culpa, et contumacia haberi potest, nisi habeatur ratio, et dolus in subjecto? Ita communiter.

Q. Si censura ferenda est in viatores, quare Ecclesia excommunicat mortuos, vel eos ab excommunicatione absolvit?

R. Ecclesia dum eos excommunicat, nihil aliud facit, quam declarare eos decessisse ex hac vita cum contumacia, et proinde directe prohibet subditis viatoribus, ne communicent cum illis in Divinis. Sicuti dum illos absolvit declarat cessisse poenitentes, et directe permittit Fidelibus, ut cum illis communicent in Divinis. Layman, Bon., Concin., Suarez, aliique. Ideoque Ecclesia solvit, et ligat defunctos indirecte, et ita est explicandum, Caput *Nobis* de sentent. Excomm., in quo dicitur excommunicatum posse absolvi post mortem.

Q. Num possit ligari censura, qui coepit delictum committere, dum erat rationis compos, et consumavit illud in amentia?

R. Maxime, si illi delicto erat censura a jure adnexa, quia jam apparet contumacia sufficiens. Si vero agatur de censura ferenda ab homine per sententiam, non licet ferre, et si feratur, nulla erit; quia nulla apparet contumacia. Et est medicinalis, et medicinae non est capax talis homo. Ita Suarez.

Q. Vagi, peregrini, advenae tenenturne censuris municipalibus loci, ubi reperiuntur?

R. Vagi, et Advenae, quia tenentur legibus loci ubi reperiuntur, inligantur censuris ejusdem. Peregrini vero juxta plerosque inligantur censuris latis per statutum, quia statutum, sive lex municipalis afficit locum, et proinde degentes in tali loco. Layman, Bonac., Suarez.

Q. Num impuberes ligentur censuris?

R. Impuberem doli capacem posse censuris ligari a Jure, et ab homine, sicut enim possunt peccare mortaliter, ita et puniri per censuras, quae feruntur in poenam peccati. Per sententiam autem particularem non possunt li-

Digitized by Google

cito excommunicari, licet valide, si excommunicentur, arg. Cap. 1. et 2. de delict. pueror.

Q. Censura imposita contra delinquentes committens delictum, includitne etiam mandantes, et consulentes, si non exprimantur?

R. Minime, nam leges poenales, quia odiosae, stricte sunt interpretandae, et secundum proprietatem verborum. Hinc licet isti committant delictum, tamen non committunt physice, et proprie, sed moraliter, et improprie. Et licet in Cap.. . *Nuper* de sentent. excomm. habeatur, *quod facientem, et consentientem par poena constringat*, quod sine dubio complectitur etiam mandantes, hoc tamen non est intelligendum, nisi de casu particulari, de quo loquitur, scilicet violentae manuum injectionis in Clericos, de quo statutum est in Jure, quod poena excommunicationis inflicta etiam ad mandantes extendatur, Cap. *Mulieres* 6. de sent. excomm.

Q. Quando ergo mandantes, et consulentes incidunt in censuram?

R. Quando in decreto, sive in lege censurae ipsi etiam sunt expressi. Ita tamen, quod si censura lata est aeque principaliter contra mandantes, et consulentes incidunt in censuram, dato mandato, vel consilio, uti accidit in mandato homicidii per assassinium, Cap. 1. de homicid. in VI. Si vero censura lata est principaliter contra committentes delictum, et per accidens, etiam contra mandantes, et consulentes, ut accidit in delicto injicientium manus violentas in Clericos, citat. Cap. *Mulieres* de sentent. excomm., et tunc isti incidunt in censuram secuto delicto, quia tunc habetur delictum completum, Suarez, Bonac., aliique.

Q. Quid si mandatum, vel consilium traditum, fuerit revocatum?

R. Si revocatio innotuit mandatario, vel consulto, mandans, et consulens non incurrunt censuram, quia ablata est contumacia, et causa delicti ex parte sua. Si vero revocatio non innotuit, et tunc uterque incurrit, quia revocatio, quae non innotuit, habetur perinde ac si non fuisset facta. Consulens non incurrit in censuram si revocatio innotuerit consulto, dum Consilium innitebatur falso facto, vel falsae doctrinae, vel instructioni, et omnibus efficacissimi modis conatus est avertere consultum a tali proposito.

Q. Num Episcopi, et alii superiores continentur sub generali praecepto censurae?

R. Vel censura est suspensio, aut interdictum, et dico non contineri, nisi de iis expressa mentio fiat, Cap. *Quia periculosum* 4. de sentent. excomm, in VI., vel censura est excommunicatio, et dico teneri generali praecepto ejus, etiamsi non fiat mentio de iis, quia in cit. Cap. tantum mentio fit de suspensione et interdicto. Salmantic., Bonac., aliique communiter.

Q. An ligatus una censura, possit innodari altera censura ejusdem rationis, v. g. excommunicatus possit denuo excommunicari?

R. Maxime, uti patet ex Cap. *Cum pro causa* de sent. excomm., et ratio est, quia multiplicatis causis, debent multiplicari et effectus, unde si multiplicetur delictum, quod est causa, debet multiplicari censura, quae est effectus, idque vi, non actu.

Q. Num toties multiplicetur censura, quoties reperitur transgressio praecepti censuram continentis?

R. Vel actu sunt moraliter interrupti, et dico multiplicari censuras: quia sicuti tunc sunt plures actus contra praeceptum, ita et sunt plures censu-

Digitized by Google

rae, quia censura ponitur propter transgressionem praecepti, ita ut si quis mane percutiet Clericum, et eumdem post horam denuo repercutiat, duplicem incurrit excommunicationem. Vel actus non sunt moraliter interrupti, et dico censuras non multiplicari, quia sicuti tunc habetur unica moralis transgressio, ita et una censura. Hinc qui successive percutit Clericum pluribus ictibus moraliter continuatis unam contrahit censuram excommunicationis. Bonac. cum aliis communit.

CAPUT IV.

De causa materiali censurae, quae est peccatum

Omnibus notum est causam, ob quam ferri potest censura gravis, esse peccatum mortale, externum, in suo esse completum, et cum contumacia conjunctum. Quod requiratur peccatum mortale, clare patet; quia cum censura sit gravis poena, grave peccatum requirit, quia poena debet esse commensurata culpae, Cap. 5. de Poenit. V., et Can. *Corripiantur* 17. c. 24. q. 3. Quod debeat esse externum peccatum, patet etiam, quia Ecclesia non judicat de mere internis, Cap. *Erubescant*, et Cap. *Sicut tuis* de Simon.: Quod debeat esse in sua natura completum, colligitur ex Cap. *Perpetuo sanctionis oraculo* de elect. in VI. Denique quod debeat esse cum contumacia, colligitur ex Cap. *Ex parte* de verbor. signif., ubi causa, ob quam Excommunicationis, vel Interdicti sententia in aliquem proferri potest, dicitur esse contumacia, quia nempe citatus stare noluit juri, vel quia jussus, maleficium noluit emendare. Contumacia est inobedientia delinquentis, per quam reus Ecclesiae monentis, et praecipientis auctoritatem spernere censetur.

Q. Potestne superior pro peccato gravi infligere censuram levem?

R. Maxime, quia ligare potest subditum, prout vult. Bonac., Layman, aliique. Censurae porro leves sunt, e. g. suspensio ad breve tempus ab aliquo officii usu. Interdictum particularis personae ad breve intervallum. Pro levi potest infligere censuram levem.

Q Potestne superior pro peccato levi infligere censuram gravem?

R. Pro culpa undequaque levi non potest, quia poena debet esse proportionata culpae. Si vero culpa, quae esset per se levis, fit gravis ex fine vel ex alia circumstantia a Superiore intenta, et tunc potest ferri censura gravis. Hinc in hac Dioecesi Neapolitana pro locutione cum Monialibus de indifferentibus habetur excommunicatio Archiepiscopo reservata, quia licet talis collocutio esset peccatum per se leve, tamen fit peccatum grave; nam prohibetur talis collocutio ex fine per se gravi, ne scilicet Moniales distrahantur ab oratione, a Choro etc., ne adhaereant saecularibus.

Q. Potestne licite pro quocumque peccato infligi censura?

R. Minime, quia illa peccata sunt sub censura prohibenda quae alia via non possunt corrigi, vel impediri. Trident. sess. 25. Cap. 3. (1).

(1) Requiruntur ad incurrendam censuram gravem, puta excommunicationem majorem, aut suspensionem ab omni usu, et ad longum tempus, 1.° peccatum grave, nempe quod materia importet culpam gravem (c). Sed in dubio gravitatis ma-

Digitized by Google

Q. An censura infligi debeat ob culpam, vel contumaciam alterius?

R. Si loqui velimus de Excommunicatione, vel de Interdicto personali, vel suspensione personali, utique infligi non possunt, nisi propter culpam propriam, Cap. *Si habes* 24. q. 7. Si vero loquimur de suspensione, vel interdicto generali atque haec infligi possunt ob delictum alterius in Civitatem, in Clerum, puta ob delictum Superioris, Gubernatoris, etc. Cap. *Si sententia* 16. de sent. excomm. in VI., et Cap. *Vel non est compos* 14 de tempor. Ordinat. qui in aliis punitur.

Q. Potestne quis ligari censura ob peccatum praeteritum?

R. Minime, quando peccatum penitus cessavit, et est mere praeteritum, quia non adest contumacia. Si vero peccatum aliquo modo perseverat vel in se, puta, in ejus consuetudine, vel in aliquo suo effectu, et tunc potest plecti, ac puniri censura, quia perseverat contumacia, Cap. *Ex parte* 23. de verbor. signif. Ita Layman, aliique communiter.

Q. An ob peccatum externum, sed occultum possit infligi censura?

R. Maxime, quia habetur peccatum a Jure requisitum, et licet sit occultum, ita ut Ecclesia de ea non possit ferre judicium, hoc per accidens se habet, uti patet ex excommunicatione lata contra haereticos externos, sed occultos. Ita DD. communit.

Q. Potestne ferri censura ob peccatum internum?

R. Vel peccatum est mere internum, et nullam habet connexionem cum actu externo, et tunc non potest esse obnoxium censurae, quia Ecclesia non judicat de internis judicio coercitivo, sive poenali. Vel habet connexionem aliquam cum actu externo, et cum isto ita conjungitur, ut sit de ejus substantia, et tunc potest esse obnoxium censurae, quia actus internus unum quid constituit cum actu externo. Hac ratione, si sub excommunicationis poena praeciperetur recitatio Officii Canonici, auditio Sacri, qui animo plane distracto recitaret Officium, aut audiret Sacrum censuram incurreret, quia non poneret substantiam operis praecepti, cum actus interior sit de substantia operis praecepti, in casibus adductis.

Q. An pro peccato externo, sed occulto possit Censura infligi?

R. Maxime, cum actus revera sit externus, et per accidens Ecclesia non potest ferre judicium, quod patet ex excommunicatione lata contra haereticos externos, sed occultos.

Q. An incidat in censuram, qui committit peccatum prohibitum sub hac poena, si ante complementum confitetur, et absolvatur?

teriae obligat praeceptum Superioris, quia in dubio possidet potestas ejus, ut recte dicunt *Salm.* et *Cornejo*. Et cum praeceptum est impositum sub censura *latae sententiae* jam obligat sub gravi, licet materia non esset ex se gravis, sed esset talis ut valde conduceret ad finem intentum. Secus autem si materia non esset de se gravis, et censura esset *ferendae sententiae;* ita *Sot. Avil. Ronc. Salm.* etc. 2. Requiritur actus externus, qui posset ab aliis externe cognosci; unde si quis diceret *ita est* intelligendo ita haeresim confirmare, non incurrit excommunicationem, ut comm: dicunt *Suar. Tour. Conin. Sayr. Salm.* Et debet item esse graviter externus, proinde non est excommunicatus, qui leviter percutit Clericum, licet illi sit animus eum occidendi: ita iidem AA. 3. Requiritur actus peccati consumatus, nisi aliter lex exprimat: ita etiam communiter *Sanch. Suar. Castr. Bonac. Salm. Busemb.* etc. *S. Ligorius loc. cit.* § 7.

Digitized by Google

R. Lugo cum aliis affirmat, quia fuit contumax in ipso actu peccati lethalis, nec requiritur, ut contumacia perseveret, dum impletur conditio. Palaus vero cum aliis negat, quia deleta culpa per poenitentiam, contumacia non habetur saltem materialiter perseverans tempore complementi delicti. Verum si sermo sit de peccato tantum reservato omnino cessat reservatio per confessionem ante complementum.

Q. Num praeceptum, cui adnexa est censura obliget semper sub mortali?

R. Vel censura est latae sententiae, et dico obligare semper sub mortali, quia, qui vult aliquid, censetur velle etiam omne necessarium ad illud, Cap. *Praeterea* de offic. deleg. Atqui, ut censura gravis incurratur, necessario requiritur peccatum grave. Ergo Superior, qui vult ipso facto incurri censuram, vult etiam obligari sub gravi. Hinc cum Superior velit censuram gravem incurri pro transgressione praecepti, censetur etiam velle tale praeceptum obligare sub gravi, quia pro censura gravi requiritur transgressio gravis.

Vel est ferendae sententiae, et videndum: vel in illo praecepto continetur clausula, quod absque ulla monitione possit censura applicari a Judice, et dico etiam sub mortali obligare, quia comminatio poenae non adjungitur legi, nisi transgressio legis sit digna tali poena. Vel in illo praecepto non continetur ea clausula, et dico non obligare statim sub mortali, quando materia est levis, quia eo ipso, quod censura non contrahitur, nisi post monitionem, signum est nolle praecipientem obligare sub gravi cum materia est levis, nisi post monitionem. Ita Salmantic. Si vero materia est gravis semper obligat sub gravi.

CAPUT V.

De forma, seu ritu servando in ferenda censura

Ad incurrendam censuram est necesse, ut illa feratur a Judice per signa externa, et non per solam voluntatem internam, quia cum censura non incurratur, nisi ob contumaciam contra praeceptum Superioris, contumacia certe non habetur, cum praeceptum Superioris non exprimitur, ut illa innotescat.

Q. Num debeant verba, quibus exprimitur censura, esse determinata etiam ad aliquam personam?

R. Maxime, ita ut persona vel expresse designetur, vel demonstretur in ordine ad delictum, uti si dicatur: *Clericus, qui gestaverit comam, in suspensionem incidat.* Ratio est, quia verba faciunt in censuris, quod significant, unde quando nullam personam significant, nullam afficiunt, ac proinde nihil efficiunt. Hinc nulla esset excommunicatio, si diceret Superior: *excommunico unum ex iis, qui furati sunt,* nullum determinando, quia deest determinatio personae in quam cadat censura.

Q. Quid requiritur ex dispositione juris, ut debite censura proferatur?

R. I. Ut censura feratur in scriptis. II. Ut praecedat trina monitio, vel una pro tribus modo id exprimatur, et quidem monitio facienda est praesentibus testibus, uti patet ex Cap. *Sacro* 48. de sentent. excomm.: *Per-*

Digitized by Google

sonis praesentibus idoneis, per quas si necesse fuerit, possit probari monitio. III. Ut exprimatur nomen tam ejus, qui fert, quam ejus, contra quem fertur censura. VI. Ut tradatur exemplum scripturae reo petenti, Cap. *Cum medicinalis* de sentent. excomm. in VI. V. Ut exprimatur causa, et species censurae, laud. Cap. *Cum medicinalis.*

Ratio harum solemnitatum requisitarum adducitur per ipsum Textum citat., scilicet, ut Judex cautior fiat in ferenda censura, ne imprudens habeatur ferendo censuram ob quamcumque levem causam, nam, ut ait idem Textus: *Dum sententia scribitur, quid magis deceat, advertitur, mens componitur et ira sedatur.*

Q. Num omissio harum solemnitatum reddat censuram nullam, vel injustam?

R. Si loquamur de defectu reliquarum solemnitatum praeter monitionem, et dico istiusmodi defectus reddit censuram tantum injustam, non vero nullam, nam sunt istae solemnitates accidentales, uti colligitur ex cit. Cap. *Cum medicinalis,* nam ibi habetur, loquendo de tali censura: *Superior ad quem recurritur, censuram ipsam sine difficultate relaxet*: quia si censura est relaxanda non supponitur incerta, sed valida, etiam absque dictis solemnitatibus. Bonac., Layman. Salmant., dixi *praeter monitionem*, nam de monitione mox dicemus.

Q. Num peccat Superior, et incidat in aliquam poenam, tales omittendo solemnitates?

R. Peccat mortaliter, quia agit contra Ecclesiae praeceptum in re gravi, et incidit in Interdictum ab ingressu Ecclesiae, et in suspensionem ab officiis Divinis per mensem. cit Cap. *Cum medicinalis*. Verum eximuntur a talibus poenis I. Episcopi juxta Cap. *Quia periculosum* de sentent. excomm. in VI. Hinc sequitur quod Episcopi in generali Decreto suspensionis, et Interdicti non comprehenduntur sine expressa mentione II. Denuntiantes aliquem esse censuratum, quia fit mentio in cit. Cap. *Cum medicinalis* de Superiore ferente censuram, non autem de Superiore denuntiante, seu declarante censuram incursam, inquit enim *Quisquis excommunicat, etc.* III. Ferentes censuram sine hisce solemnitatibus ex aliqua justa vel urgenti causa, vel bona fide, aut inadvertenter, quia in cit. Cap. *Cum medicinalis* punitur temerarius violator, ut in Cap. cum. Sacr. Si praesumpserit.

Q. Num requiratur monitio ad ferendam censuram?

R. Vel loquimur de censura ab homine infligenda pro culpa praesenti, vel praeterita, in qua reus contumaciter persistit, vel pro ea jussus satisfacere recusat, et monitio requiritur, Cap. *Romana* de sentent. excomm. in VI. Cap. *Statutum* tit. eod. in VI. et Cap. *Reprehensibilis* de appellat.; nam priusquam ab Ecclesia sit monitus, non dicitur contumax. Vel loquimur de censura a Jure, vel ab homine pro culpa futura, et monitionem non requiri pro certo habendum est; quia ipsa Lex, aut Superioris praeceptum sub tali comminatione latum continuo monet, arg. cit. Cap. *Reprehensibilis*, et Cap. *Conquesti* 22. de sent. excomm., Bonac., Layman., Salmantic.

Verum hic adverte, quod si iste talis delinquens, qui censuram contraxit, velit a Judice denuntiari censuratus, oportet, ut citetur, data illa copia, et facultate se defendendi naturali Jure ei debita, Clement. *Pastoralis*

Digitized by Google

de sent., et re judic., secus talis denuntiatio et declaratio est nulla. Layman.

Q. Quo jure praemittenda est monitio ?

R. Omni jure. Jure naturali ex illo effato : *Contra inauditam partem sententia non est ferenda*, Jure divino ex illo Matth. 18. *Quod Si Ecclesiam non audierit, sit tibi, sicut ethnicus*: Jure Ecclesiastico ex Cap. Sacro de Sent. excom. et ex aliis Capitibus (1).

Q. Num censura pro culpa praeterita, vel praesenti, quae contumaciter durat, inflicta sine ulla monitione, valeat ?

R. Minime, quia tunc nulla haberetur contumacia, adeoque nulla contraheretur censura, cum non possit dari censura sine contumacia. Et hoc verum est, etiamsi delictum, et contumacia sit notoria, et etiam constet delinquentem non esse emendandum; quia contumacia debet esse in actu completa, quatenus monitus noluit se emendare.

Nota. Si suspensio, et interdictum infligatur tamquam pura poena vindicativa (quod fieri non potest in excommunicatione) pro peccato praeterito, vel praesenti, non requiritur ad essentiam monitio, arg. Cap. *Cum in cunctis* 7. §. final. de Elect., ubi eligentes contra formam a jure praescriptam ab Ecclesiasticis beneficiis triennio sunt suspensi. Horum autem ratio est, quia excommunicatio nunquam ferri potest, nisi ut poena medicinalis, adeoque semper supponit contumaciam. At vero suspensio, et interdictum aliquando feruntur per modum purae poenae, et tunc non requirunt contumaciam.

Q. Quot monitiones requiruntur, ut censura legitime feratur ?

R. Tres monitiones intra debitum tempus, vel urgente necessitate, una pro tribus, assignatis competentibus aliquorum dierum intervallis, quae aequivalent trinae monitioni, monendo delinquentem illam esse ultimam, et

(1) Quum censurae in contumaces dumtaxat ferri possint, et nemo in Jure contumax evadit, qui admonitus non fuerit, aperto liquet quod admonitio omnino praecedere debet Censuras. Quamobrem Apostolus (*epist. ad Tit. 3. 10.*) *hereticum hominem*, jubet, *post unam, et secundam correptionem devita.*

Isthaec autem monitio ex antiqua disciplina triplex esse debet. Revera inter eos canones, *qui apostolici* dicuntur, constitutum legimus (*can. 30.*) laicos sese ab Episcopo suo sine causa separantes, excommunicationis poena mulctandos, postquam ter admoniti fuerint: *Segregentur, hoc autem post unam, et secundam, et tertiam admonitionem fiat.* (*Tom. 1. Concil. pag. 31.*). Ita Ephesini Patres Nestorium non damnarunt, nisi post triplicem monitionem. *Porro*, ajunt, *cum Canones praescribant tertio quoque contumacem esse admonendum, missis iterum aliis ad illum Episcopis, durum et immorigerum eumdem invenimus* (*Concil. tom. 3. pag. 570.*). Et Chalcedonensis Oecumenica Synodus Dioscurum non prius anathemate percussit, quam ter monitus fuerit, addens : *secundum quod placuit ecclesiasticae disciplinae* (*Concil. tom. 4. pag. 462.*) Unde Innocentius III. veteris disciplinae vestigiis inhaerens : *Prohibemus*, inquit, *ne quis in aliquem excommunicationis sententiam promulgare praesumat, nisi competenti admonitione praemissa.* (*Lib. V. Decretal. Tit. 39. Cap. 48.*).

Jamvero Canonistae in hac Innocentiana constitutione *competenti admonitione* triplicem admonitionem fieri contendunt. Lubet hic prae ceteris illud Wan-Esp. testimonium adferre : *Ergo non dubium*, inquit, *morem praemittendae trinae monitionis, ut quis contumax in ordine ad excommunicationem judicetur, ad nos ex Traditione Apostolica . . . dimanasse* (*De Cens. Eccl. Cap. 3. sect. 2. pag. 20. Lovan. tom. 4.*).

Digitized by Google

peremptoriam suam citationem, cit. Cap. *Statutum* de sentent. excomm. in VI., et Cap. *Constitutionem* tit. eod. in VI.

Q. Num dentur casus, in quibus defectu trinae monitionis invalida dicitur censura?

R. Maxime, et I. Est, quando Judex excommunicat excommunicatione majore, aut suspendit, vel interdicit communicantem cum excommunicato a se, cit. Cap. *Statutum* de sentent. excomm. in VI. II. Quando delegatus sub ea conditione facultatem ferendi censuram accepit, scilicet, praemissa trina monitione. Salmantic., Suarez, aliique.

Q. Quibus ex causis censura est injusta, licet sit valida?

R. Ex pluribus I. Si non feratur ex amore justitiae, et ad delinquentis resipiscentiam, sed ex odio, invidia etc. II. Si feratur praetermisso accidentario juris ordine, sine necessitate, uti supra diximus, puta sine scriptura, vel expressione causae, etc.

Q. Quibus ex causis censura dicitur nulla?

R. Ex tribus, et I. Defectu ferentis hoc est, si jurisdictione careat, vel impeditam habeat per aliquam censuram, vel suspensam per legitimam appellationem, quae fuit interposita ante sententiam absolute a Judice latam. II. Defectu solemnitatis substantialis praetermissae in prolatione censurae, puta, si reus non citetur, et moneatur, vel ad sui defensionem non admittatur. III. Defectu justae causae. Antoine, Bonac., Layman.

Q. Quotupliciter deficere potest causa?

R. Tripliciter, vel quia delictum revera adest, sed probari non potest in judicio, vel quia non adest, sed probatur per testes falsos, vel tandem quia delictum non adest, neque probatur. Ita cit. Doctores. Quando causa nec reipsa, nec juridice subsistit. Censura est sine dubio nulla, quia continet intolerabilem errorem Cap. *Solet* de Sent. excom. Quando vero a parte rei crimen non subsistit, sed juridice contra reum probatur falso etiam est nulla ex Layman contra alios, cum Ecclesia nec velit, nec possit excedere limites suae potestatis, tenetur tamen putatus reus in foro externo se gerere, uti censuratum ad evitandum scandalum, non vero in foro conscientiae, uti recte statuit Inn. III. in Cap. *Inquisitioni tuae* de Sent. excom. debet potius excommunicationis sententiam humiliter sustinere, si vero crimen adsit, sed non in ordine ad judicium quia de eo non convincitur, etiam est invalida, licet Judex privatim illud cognoscat; siquidem Judex non secundum privatam notitiam, sed secundum publicam tenetur judicare. Ita apud Layman.

Not. Monitio facienda est ipsimet reo, et si se latet, est facienda in valvis domus, vel loci pubblici, ex quo reus possit habere notitiam suae citationis.

CAPUT VI.

De causis excusantibus a censura

Multae sunt causae excusantes, et impedientes, ne contrahatur censura, scilicet Ignorantia, Metus, Impotentia, Appellatio, Consensus illius in favorem cujus lata est censura, et omne id, quod excusat a peccato mortali.

Digitized by Google

De ignorantia, et metu, vide quae dicta sunt in Tractatu de Actibus humanis Cap. 5., et 6. (1).

Q. Num impotentia faciendi id quod praecipitur sub censura, excuset ab eadem?

R. Maxime, tum quia ad impossibile nemo tenetur, tum quia talis impotentia excusat a peccato, et contumacia, quod verum est, sive impotentia sit physica, sive moralis, hoc est, quando quis praeceptum implere non potest sine gravi incommodo. Hinc excusatur a censura quis coactus a Superiore ad restitutionem faciendam sub censura, et ipse restituere non potest, quia non habet, unde restituat, vel si habet, non potest restituere sine detrimento bonorum superioris ordinis, puta famae, vitae, etc. Bonac., Collet., aliique communiter.

Q. Num per appellationem quis excusetur a censuris?

R. Vel appellatio fuit proposita ante censurae prolationem, vel post. Si ante prolationem, excusatur a censura: quia appellatio devolvit causam ad alium Judicem, adeoque post appellationem Superior ferens censuram valide ferre non potest, cum jurisdictione careat. Si vero post censurae prolationem, et non excusatur: quia censura absolute lata executionem secum trahit, et suum sortitur effectum, ac tamdiu ligat, donec ligatus absolvatur, uti statuit Innoc. III. in Cap. *Pastoralis* 53. §. *Verum* de appellat., et Cap. *Ad reprimendam* 8.

Not. Si aliquis innocens censuratus sit secundum allegata, et probata in foro externo pro tali habere se debet, licet coram Deo ab ea immunis sit. Ita communit., ne infringat debitam auctoritati Ecclesiae reverentiam, et obedientiam, si lata in eum sententia publice fuerit promulgata: *Ne* (verba sunt Gregorii Homil. 26. in Evangel.) *etsi injuste ligatus est, culpa quae non erat, fiat.* Tamen in secreto posset talis se gerere, ut non cen-

(1) Requiritur ad incurrendam censuram contumacia, quae importat contemptum censurae. Et ex hoc I. Infertur, quod ad incurrendas censuras non sufficit scientia Legis ecclesiasticae (et etiamsi delictum sit prohibitum Lege Divina), sed requiritur amplius scientia ipsius censurae; quare communiter dicunt *Suar. Cajet. Castrop. Bonac.* et alii excusare a censura ignorantiam, non solum antecedentem, sed etiam concomitantem: *concomitans* esset, si quis occideret Clericum ignorans esse Clericum, sed eo animo paratus, quod si scivisset, etiam occidisset. Excusat etiam ignorantia crassa, cum censura est lata in *audentes*, aut *praesumentes*, aut *consulto*, aut *temere peccantes;* ita *Sanchez, Escob.* etc. imo tunc admittunt *Bon. Ronc. Sanch. Salm. Silv.* etc. (contra sententiam *Suar. Castr. Tourn. Conc.* etc. quae caeteroquin est communior) quod excusat etiam ignorantia affectata; et reapse id nequit dici improbabile; quia in ipsa (loquendo in rigore) non adest dolus formalis, qui inducit verum contemptum censurae: infertur 2. valde probabiliter cum *Suar. Castr. Bon. Salm. Conin.* etc.: quod metus gravis etiam excuset a censura, licet crimen, super quod inflicta est, sit vetitum Lege Divina (modo non peccetur in contemptum legis); nam metus excusat a Lege humana, uti humana accepta. Infertur 3. quod censura licet possit ferri ob crimina futura, ut communiter, et valde probabiliter dicunt *Layman. Coninc. Abbas. Spor. Viva* etc. (adversus *Tourn.*) et uti jam praticatur ad ea vitanda, nihilominus non potest imponi ob peccata mere praeterita, et quae non habent tractum successivum, ubi non praecesserit rei admonitio; quia alias deest contumacia. Hoc tamen intelligitur tantum pro excommunicatione, dum suspensio, et interdictum possunt infligi pro delictis per modum purae poenae, ut dicunt *Castr. Bon. Salm. Coninch. etc. S. Ligorius loc. cit. §. 8.*

Digitized by Google

suratus, Cap. *Cui est illata* 46. caus. 11. q. 3. ibi: ***Cui est illata sententia... Si injusta est, tanto eam curare non debet, quanto apud Deum, et Ecclesiam ejus neminem potest iniqua gravare sententia. Ita ergo ea se non absolvi desideret, qua se nullatenus perspicit obligatum.*** Hinc si Clericus secundum publicas probationes a Judice excommunicatus, actum sui ordinis exerceat, non contrahit irregularitatem, quia talis non vere, sed apparenter erat censuratus, et porro Canones verae censurae violatoribus irregularitatem tribuunt.

Verum si in judicio convincatur celebrasse cum censura, non est dubium, quin a Judice declaretur irregularis, et tanquam irregularis se gerere debet exterius. Idem dic de collatione beneficii facta huic Clerico, quae valida erit in foro interno, ac proinde tuta conscientia retinere poterit beneficium; licet in foro externo tanquam irrita judicabitur, Bonac., Layman, Suarez, aliique.

CAPUT VII.

De absolutione Censurae

Sicuti certum est per omnes, teneri censuratum sub mortali absolutionem censurae sollicitare, ac sibi procurare, quam primum potuerit; ita omnibus esse persuasum debet, non posse censuram proprie dictam alio modo tolli, nisi absolutione proprii ac legitimi Judicis, ac Superioris. Hinc patet censuram contractam non tolli morte ferentis, quia poena per legitimam Judicis sententiam inflicta transit in rem judicatam, et poena semel contracta non tollitur, nisi per actum legitimi Superioris illam remittentis. Nec etiam tolli per mortem delinquentis, quia etiam mortuus cum censura caret Ecclesiae suffragiis, et Ecclesiastica sepultura, Cap. *Is cui* de sentent. excomm. in VI. Nec denique tolli deposita contumacia, nisi sequatur absolutio, quia sicut juridica Ecclesiae potestate fuit ligatus, ita et eadem solvendus erit. Quare contrariam proposit. damnavit recte Alexander VII. die 18 Mart. 1666. ***Quoad forum conscientiae, reo correcto, ejusque contumacia cessante cessant censurae.***

Q. Quinam potest absolvere a censuris?

R. Si sint reservatae, possunt absolvi ab eo, cui sunt reservatae. Si non sint reservatae, et latae sunt a Jure, vel ab homine per edictum, sive per modum sententiae generalis adversus crimen futurum, potest ab eis absolvere quivis Confessarius, quia quando Jus, vel Superior non reservat, intendit dare facultatem absolvendi cuicumque Confessario, Cap. *Nuper* 29. de sentent. excomm. Si vero censurae latae sint ab homine per sententiam particularem, potest ea eis absolvere ille solus, qui sententiam protulit, vel ejus Superior, aut Delegatus, Cap. *Pastoralis* 11. §. *Praeterea* de offic. Judic. ordinar., et Cap. *Quaerenti* de offic. Deleg. Bonac., Collet, Layman. (1)

(1) Notandum 1. hujusmodi absolutionem valere pro foro tam interno, quam externo, unde dicunt *Roncaglia Conin. Castrop. Suar. Spor Salm.* etc. posse dari absolutionem etiam extra confessionem. Notandum 2. quemlibet Confessarium posse pariter absolvere ab omnibus censuris latis ab homine per sententiam non

Digitized by Google

Q. A quibus censuris potest Episcopus absolvere?

R. Potest Episcopus absolvere non solum a censuris a se, vel a suis praedecessoribus latis sive per generalem, sive particularem sententiam, aut statutum, Cap. *Si Episcopus* 11. q.3., seu etiam a censuris, et casibus reservatis summo Pontifici per seipsum, aut Vicarium, aut per alium a se deputatum, dummodo absolvat in foro conscientiae, dummodo censurae, vel casus proveniant ex delicto occulto, et non sint deductae ad forum contentiosum, et dummodo sistant in propria dioecesi, Trident. sess. 24. Cap. *Liceat* 6. de Reformat. Sed Episcopus per seipsum, et non per Vicarios absolvit a crimine haeresis in eodem foro conscientiae.

Q. Num detur casus, in quo potest Episcopus absolvere a censuris Pontifici reservatis per delictum pubblicum contractis?

R. Potest, quando accessus ad summum Pontificem est vel impossibilis, vel difficilis, cit. Cap. *Nuper* de sentent. excomm., ut accidit, si adsit periculum mortis, vel gravis damni in itinere, infirmitas longa, licet non mortifera, vel magna debilitas, aetas senilis, impubertas, fragilitas sexus, uti feminae, Moniales, etc., quia casus Pontificis, interveniente legitimo impedimento recurrendi ad ipsum, fiunt Episcopales.

Q. Num debeat Episcopus aliquam obligationem imponere delinquenti, dato, quod ab his casibus absolvat?

R. Debet imponere obligationem se praesentandi Summo Pontifici, postquam cessaverit impedimentum, si non sit perpetuum. Quin, ut alii volunt, debet exigere juramentum, ita ut, si elapso impedimento, non se praesentaverit, incurrat in eamdem censuram, Cap. *Eos*, *qui* 22. de sentent. excomm. in VI.

Q. Simplex Sacerdos potestne aliquando absolvere a censuris?

R. Maxime in articulo, vel periculo mortis; quia tali tempore ex benignitate Ecclesiae quilibet Sacerdos habet facultatem, quamvis sit haereticus, degradatus, irregularis etc. Trident. sess. 14. Cap. 7. de poenit.

Q. Num possit simplex Sacerdos, vel Confessarius in articulo mortis absolutionem omnium censurarum impertire?

R. Minime, sed solum absolutionem ab illis censuris, quae obstant susceptioni Sacramentorum, et ecclesiasticae sepulturae, uti est excommunicatio, interdictum personale, et suspensio a susceptione sacramentorum, vel ab Ecclesiastica sepultura, quia ideo Tridentinum dat talem facultatem, ne aliquis pereat, vel tunc damnum spirituale patiatur, ideoque non potest absolvere a suspensione ab officio, vel beneficio, vel ordine, vel ab irregularitate, quae nec periculum salutis, nec damnum spirituale censurato inducunt.

Q. Quotuplici modo potest quis a censura absolvi?

jam particularem, sed generalem, quia illae aequiparantur censuris latis a jure, ut probabilius dicunt *Castr. Ronc. Laym. Conc. Salm. Holzm. Coninc. Bon. Croix* etc. communissime contra *Suar. et Filliuc.* Notandum 3. Episcopum extra Dioecesim licet moretur, posse absolvere subditum a censuris, cum causae cognitione opus non est; *Silv. Salm. Avil.* etc., sed secus si quis extra Dioecesim delinquit, et per sententiam particularem excommunicatus est ab Episcopo illius; tunc enim non potest a proprio Episcopo absolvi, nisi de Episcopi licentia: *Coninc. Turiun, Diana Salm. etc. S. Ligorius loc. cit. §. 12.*

*

Digitized by Google

R. Multipliciter, scilicet *absolute*, *conditionate*, *quoad effectum aliquem*, *et quoad reincidentiam*. Absolvitur *absolute*, quando absque ulla conditione a censura absolvitur, v.gr. *si hoc, vel illud praestiterit, vel si censura contracta sit*. Absolvitur *quoad effectum aliquem*, quando absolvitur quoad aliquem actum. Quemadmodum absolutio, quae praemitti solet in Rescriptis Pontificis, valet ad solum effectum gratiae non impediendum. Absolvitur *quoad reincidentium*, quando absolvitur cum onere se praesentandi, ita ut, nisi se praesentet, reincidat in eamdem censuram. Bonac., Layman, aliique (1).

Q. Qui censura est ligatus, peccatne mortaliter, si absolutionem non sollicitat?

R. Maxime, quando per se stat, ne absolvatur, quia privat se voluntarie suffragiis Ecclesiae, magnisque spiritualibus bonis.

Q. Quaenam obligatio est imponenda, quando quis a censuris absolvitur in articulo, vel periculo mortis a Sacerdote non habente facultatem?

R. Si censurae sint reservatae Pontifici, et sunt casus extra Urbem, et intra Italiam, vel casus specialis Reservationis, et ei, qui absolvitur, debet Confessarius, vel Sacerdos imponere onus se praesentandi data opportunitate, et exigere ab isto juramentum. Ita communit. Si vero sint alii casus summo Pontifici reservati, debet ei imponere onus se praesentandi solummodo, Cap. *Eos* 12. de sentent. excom. in VI. Si sint casus Episcopales reservati cum censura, debet imponere onus se praesentandi, cit. Cap. Si vero sint reservati absque censura, nullum onus imponere debet. At si Confessarius vel ex oblivione, vel ignorantia non imposuit talem obligationem, tunc remanet absolutus poenitens, nam Ecclesia non irritat talem absolutionem. Bonac., aliique communit. Alii DD. innixi pluribus Capitibus Juris Canonici tenent semper exigendum juramentum se praesentandi, dum absolutio a Casibus reservatis cum censura impertitur ab inferioribus, uti Cap. de Caetero 2. Cap. quod de his 26. Cap. Quamvis 58. de sent. excomm.

Q. Quinam sunt casus extra Urbem, et intra Italiam a Clemente VIII. Pontifici reservati?

R. Isti sunt, quorum I. Est violatio clausurae Monialium ad malum finem. II. Violenta manuum injectio *gravis*, vel *enormis* in Clericum, vel Monachum. III. Simonia realis scienter contracta *in professione religiosa, in beneficiis*, *et in ordine*. IV. Simonia confidentialis, seu beneficialis. V. Duellum juxta Trident., et Gregorii VIII. constitutiones. VI. Violatio immunitatis Ecclesiasticae circa confugientes ad Ecclesiam, *etiam attentantes* ex Greg. XIII.

(1) Licite datur absolutio cum *reincidentia*, nempe quod si absolutus intra tempus praefixum suae obligationi non satisfaciat, in eamdem censuram reincidat. Sed tunc juxta probabiliorem sententiam *Laym. Coninc. Castrop. Ron. Tourn., Salm.* etc. contra *Suarez. Bon.* etc. requiritur nova culpa, qua deficiente non potest renasci illa censura, quae semel sublata est; nam non possunt censurae sine Pontificis auctoritate suspendi. Et item dicunt *Laym. Coninc. Salmant.* etc. tenendum esse quando Papa absolvit *ad omnem effectum*, licet cum reincidentia. *S. Ligorius loc. cit. §. 13.*

Digitized by Google

Q. Quinam sint casus specialissimi Pontifici reservati, ita ut non comprehendantur in facultate obtenta a Pontifice, nisi exprimantur?

R. Sunt tres cum censura, absolutio complicis contra Mazzotta: ait enim Bened. XIV. In Bulla *Sacramentum Poenitentiae*, *a qua* absolvendi potestate nobis solis, nostrisque successoribus dumtaxat reservamus. II. Haeresis, etc., et infractio clausurae facta ab ipsa Moniali ad malum finem. Sine censura sunt duo, I. Donatio gratuita facta a persona religiosa ultra decem ducatos monetae Romanae, ex Bulla Clementis VIII. Religiosae Congregationis, ex illa Urbani VIII. Nuper a Congregatione, et ex Bulla Bened. XIV. Pastor bonus, ex qua Confessarius non absolvat, nisi restitutione facta. II. Accusatio de falso crimine Sollicitationis, et procuratio. In Bulla Benedicti XIV. Sacramentum Poenitentiae, Confessario negatur facultas absolvendi quovis privilegio munito.

Q. Num ille, qui habet facultatem generalem absolvendi a censurâ, possit ab interdicto, et suspensione absolvere?

R. Maxime, quia cum haec facultas sit generalis, non est restringenda uni speciei, imo cum sit favoribilis, est amplianda, nisi aliter constet de mente concedentis. Salmantic.

Q. Num ille, qui habet facultatem absolvendi a casibus Papae reservatis, possit etiam a censuris eidem reservatis absolvere?

R. Maxime, quia casus, uti plurimum, non sunt Papae reservati, nisi ob censuram illis adnexam. Bonac., Suarez.

Q. In quam poenam incidunt illi, qui praetextu privilegiorum a casibus absolvunt?

R. Si absolvant praetextu privilegiorum a casibus Pontifici reservatis a Clemente VIII. extra Urbem, et intra Italiam, vel etiam a casibus Ordinario reservatis, et cum censura, et sine, inciduut ipso facto in privationem beneficiorum, et inhabilitatem ad talia beneficia in posterum obtinenda, in privationem vocis activae, et passivae, et in excommunicationem Summo Pontifici reservatam. Ita ex decreto S. Congregationis confirmato a Clemente VIII., quod incipit *Sacra Congregatio*. Si vero absolvant ab aliis casibus Pontifici reservatis sub tali praetextu privilegii, in nullam incidunt poenam, cum non inveniamus illam in jure statutam. Peccant tamen dupliciter tum contra Religionem, quia nulliter absolvunt, tum contra obedientiam, quia non parent Ecclesiae determinationibus. Ita communit. Etiam peccant contra justitiam, quia laedunt jura poenitentum.

Q. Quid si elapso impedimento, vel morbo, quamprimum commode potuit, non se praesentaverit Superiori?

R. Reincidit in eamdem censuram, a qua fuerat absolutus, Cap. *Eos qui* de sent. excomm., etiamsi satisfecerit parti laesae. Ita Bonac., aliique communit., quia advertunt, talem praesentationem requiri ab Ecclesia, non ut de novo absolvatur, cum jam fuerit absolutus, Cap. *Non dubium* de sent. excomm., sed ut se demonstret obedientem ad recipiendam debitam medicinam, et ad exhibendam majorem satisfactionem, si ita Superior judicaverit. Potest quis absolvi ab una censura, alia relicta, quia inter eas non adest necessaria connexio Cap. XIX. de Sent. Excomm.

Absolutio censurae extorta per vim, vel per metum a tertio, imo extorquens incidit in excommunicationem nemini reservatam: Cap. Unic. de

Digitized by Google

his, quae vi, aut metu in VI. Absolutio censurae ab habente facultatem ordinariam absentibus datur valide, cum censura sit poena, quae a superiore ad libitum potest auferri. Ut vero sit licita talis absolutio requiritur urgens causa nam aliter licet valida, erit tamen illicita; quia expedit reum esse praesentem ad majorem cautionem, et ipsius censurati humiliationem. Ita Sanchez., Salmant. etc.

Absolutio censurae potest dari sub conditione, cum pendeat a voluntate ministri, utpote de Jure humano, non vero absolutio a peccatis. Nam licet absolutio sacramentalis dependeat indirecte ex intentione ministri, ut applicet debitam materiam, et formam, tamen quoad effectum non dependet directe ab illa, quia applicata materia, et forma, non est in voluntate ministri suspendere absolutionem, vel non, sed statim producit suum effectum, supposita dispositione.

SECTIO II.

De censuris in specie

Tres sunt in specie censurae, nempe *Excommunicatio*, *Suspensio*, *et Interdictum*, Cap. *Quaerenti* de verbor. signif., proinde de his sermo erit in praesenti sectione. Quare sit:

CAPUT I.

De Definitione, divisione, et effectibus excommunicationis

Excommunicatio significat extra communionem, quia per excommunicationem separatur fidelis a communione ceterorum, et a Sacramentorum participatione, praesertim Eucharistiae, quae etiam communio noncupatur, solet dici etiam anathema, et proprie dicitur illa, quae cum majori solemnitate profertur, Cap. *Debent* 106. caus. 11. q. 3.

Q. Quid est Excommunicatio?

R. Est censura Ecclesiastica, per quam homo Christianus a communione Ecclesiae separatur, Cap. *Omnis Christianus* causs. 11. q. 3.

Q. Quotuplex est excommunicatio?

R. Duplex est major et minor. *Major* est censura ecclesiastica, qua Christianus separatur a communione fidelium absolute, et simpliciter, sive privatur omnibus bonis communibus, scilicet Sacramentis Ecclesiae, tam quoad administrationem, quam quoad susceptionem, publicis suffragiis, et convictu, seu societate civili. *Minor* est censura ecclesiastica, qua Christianus privatur solum passiva perceptione Sacramentorum, Cap. *Si quem* 59. de sentent. excomm. Ubi decernitur, quod si in aliquem excommunicatio absolute proferatur, dicendus erit ligatus *non tantum minori*, *quae a perceptione Sacramentorum*, *sed majori excommunicatione etiam*, *quae a communione Fidelium separet.*

Nota. Excommunicationi etiam accomodantur singulae divisiones, quas in principio de censuris in genere retulimus, scilicet a Jure, et ab homine latae, et ferendae sententiae, de quibus quoniam satis ibi locuti fuimus, hic non immoramur.

Digitized by Google

Q. Qua communione privatur excommunicatus excommunicatione majori?

R. Communione externa, et mixta, quia his communionibus potuit Ecclesia eum privare. Potuit jure externa privare, quia sicut Respubblica sontes ab insontibus eliminare potest, ne hi inficiantur ab eis, ita et Ecclesia, quae perfectissima Respublica est, potest malos a bonis excludere, ne hi contaminentur. Potuit mixta itidem privare, quia Ecclesia est dispensatrix fidelis communium suffragiorum, et satisfactionum, ac proinde indignos ab illis prohibere potest, ac debet.

Non potuit autem a communione pure interna privare contumacem Ecclesia per excommunicationem, quia Fide, et Caritate nemo invitus spoliatur ab alio. Quo fit, quod in excommunicato aliquando veram fidem, et spem reperiamus, imo et caritatem, cum neque caritas a censura tollatur, sed potius supponit ademptam per mortalem contumaciae culpam: postea vero fieri potest, ut fidelis priusquam ab excommunicatione absolvatur, in gratiam, et amicitiam cum Deo per contritionem redeat. Layman, aliique.

Q. Quotuplicis generis sunt effectus excommunicationis majoris?

R. Sunt duplicis generis, nam alii dicuntur *directi*, alii *indirecti*. Directi sunt I: Privatio activa, et passiva sacramentorum. II. Privatio communium Ecclesiae suffragiorum. III. Privatio celebrationis, vel presentiae Divinorum officiorum. IV. Inhabilitas ad quodvis Ecclesiasticum beneficium. V. Privatio exercitii jurisdictionis spiritualis. VI. Privatio omnis civilis communicationis cum Fidelibus. VII. Privatio Ecclesiasticae sepulturae. VIII. Annullatio impetrationis gratiarum a Sede Apostolica.

Indirecti sunt tres, quorum I. Est, si per annum integrum insurdescit in excommunicatione, procedi potest contra illum, tanquam suspectum de haeresi. Trid. sess. 25. Cap. 3. de Reform. II. Si violat excommunicationem per actum Ordinis majoris incidit in Irregularitatem, de qua infra disputabimus. III. Et aliquando etiam juxta aliquos incurrit privationem absolutionis generalis, quae in rescriptis Pontificis praemitti solet. Vide Navarrum, et Layman. Hoc valet pro iis, qui in censura aliqua per continuum annum, et in certis casibus in sententia excommunicationis expressis per quatuor menses perseverarunt.

§. I. *De privatione usus activi, et passivi Sacramentorum.*

Q. Excommunicati quotuplicis generis sunt?

R. Duplicis generis, scilicet *vitandi*, et *tolerati*. Vitandi sunt illi qui nominatim, et per Judicis sententiam scilicet per cedulonem, vel inter Missarum solemnia sunt tales declarati, aut sunt publici Clericorum percussores. Tolerati sunt, qui tolerantur ab Ecclesia, et non sunt declarati, seu denuntiati excommunicati per sententiam Judicis. Seu ii, qui violata lege, cui adnexa erat excommunicatio, eamdem incurrunt, sed nondum publice excommunicati denuntiati sunt.

Q. Quotuplex est usus Sacramentorum?

R. Duplex est, passivus, ille, scilicet, quo recipiuntur Sacramenta, et activus, quo conferuntur Sacramenta. Utroque privatur excommunicatus, Cap. *cum illorum*, et Cap. *Si quem* de Sentent. excomm.

Digitized by Google

Q. Num excommunicatus recipiat valide Sacramenta?

R. Tam vitandus, quam toleratus semper recipit valide omnia Sacramenta, excepto Sacramento Poenitentiae, quia Sacramenta sunt valida, quando adest debita materia, et forma cum intentione Ministri, ac suscipientis; quae omnia, uti supponimus, adsunt in receptione Sacramentorum, quae fit ab excommunicato. Dixi *excepto Sacramento Poenitentiae*, quia ad Sacramenti Poenitentiae valorem requiritur sincerus de peccatis dolor, quem non habet, qui non obstante excommunicatione, a qua absolvi non curat, ad poenitentiam accedit. Excipitur casus extremae necessitatis, in quo supposito statu gratiae, potest illud valide recipere, cum non obligent praecepta Ecclesiae cum tanto incommodo.

Q. An excommunicatus licite recipiat Sacramenta?

R. Sive toleratus, sive vitandus semper illicite recipit omnia Sacramenta; ita ut mortaliter peccet tum contra obedientiam Ecclesiae debitam, quia gravem transgreditur Ecclesiae prohibitionem, tum contra Religionem, quia Sacramentis abutitur. Collet, Layman: modo non recipiat ex metu mortis, aut gravis damni, et se disponat, nec coactus sit in contemptum Ecclesiae.

Q. Num peccet, et incidat in aliquam poenam ille, qui excommunicato absque necessitate Sacramenta ministrat?

R. Vel administrat tolerato privatim petenti, cum ei denegare poterit, et peccat mortaliter, quia dat sanctum canibus, vel administrat tolerato occulto publice petenti, et tunc si adest scandalum denegando, non peccat. Vel administrat vitando, et peccat mortaliter, et incurrit excommunicationem minorem, et Interdictum ab ingressu Ecclesiae, Cap. *Episcoporum* de privileg. in VI. Verum si huic vitando in extrema necessitate extanti, et danti signa poenitentiae, et cautionem praesentanti, Sacramenta conferat, in nullam poenam incidit. Adhaec si Clericus administrat Sacramenta excommunicato nominatim a Papa, incidit in excommunicationem majorem eidem Pontifici reservatam, si scienter et sponte Cap. *Significavit* 18. de sentent. excommunicat. Ita communit.

Q. Num excommunicatus possit celebrare, id postulante populo?

R. Vel est toleratus, et potest supposito statu gratiae, quia potest licite populus ab eo illud petere post Concilium Constantiense, occurrente aliqua necessitate, aut utilitate speciali, alioquin enim peccabitur contra Jus naturale tantummodo, non contra jus Ecclesiasticum. Vel est vitandus, et non potest, quia illicitum est ei illud administrare, et populo petere. Bonac., Layman, aliique.

Q. Num excommunicatus toleratus valide, et licite Sacramenta administret?

R. Valide, et licite confert Sacramenta, modo sit petitus, supposito statu gratiae. Ratio est, quia habentur omnia requisita ad validam, et licitam Sacramentorum administrationem. Dixi *modo sit petitus*, nam nisi sit petitus, et se ingerat, tunc licet valide, illicite tamen sacramenta administrat, cum hoc sit ei graviter prohibitum; nam constitutio Constantientis Concilii fuit lata in favorem Fidelium, non vero excommunicati; quare si excommunicatus non petitus se ingesserit, non poterit a gravi peccati reatu excusare.

Q. Num excommunicatus vitandus valide, et licite Sacramenta conferat?

Digitized by Google

R. Vel confert Sacramenta necessaria, uti Baptismum vel Poenitentiam in necessitate, valide, et licite confert, modo sistat in gratia, quia tunc habentur omnia constitutiva Sacramenti, et ut administrari possint ab excommunicato urgente extrema necessitate, patet ex Trid. sess. 14. Cap. 7, atque ex doctrina D. Augustini lib. 1. de baptism. Cap. 2. Vel confert Sacramenta extra necessitatem, valide, sed illicite ea confert: valide, quia uti supponimus, habentur omnia necessaria ad Sacramentum, illicite, quia agit contra Ecclesiae praeceptum prohibentis talem administrationem. Excipe tamen Sacramentum Poenitentiae, quod non solum illicite, ut cetera Sacramenta, sed etiam invalide administrat, quia caret jurisdictione. Bonac., Layman, Collet, aliique communiter.

Q. Excommunicatus vitandus quodnam Sacramentum potest administrare in articulo mortis moribundo?

R. Unum, scilicet Sacramentum Poenitentiae, in defectu hujus Eucharistiam, vel Extremam Unctionem, quia ideo conceditur vitando licite posse administrare Poenitentiae Sacramentum in dicto casu, ne salus aeterna infirmi periclitetur. Idem dicendum de Baptismi Sacramento, quod urgentis mortis articulo administrari potest ab excommunicato vitando sine solemnitatibus.

Q. Num excommunicatus vitandus licet Sacramenta administret, quando metu gravi ad illa administranda cogitur?

R. Maxime, quia Ecclesia non obligat cum tanto incommodo, concurrentibus tamen aliquibus conditionibus, scilicet I. Ut vitandus prius constituatur in gratia per contritionem. II. Ut non cogatur in contemptum Ecclesiae. III. Ut Sacramentum valide conferri possit ab eo, quia si invalide conferret, uti esset Sacramentum Poenitentiae propter jurisdictionis defectum, aut pravae dispositionis illius, qui per violentiam extorqueret absolutionem, tunc ex jure divino tenetur illud non administrare, quocumque incommodo, aut periculo intercedente, etiam vitae.

Q. An excommunicatus, qui Sacramenta conficit, vel administrat illicite, incurrit in aliquam poenam?

R. Incurrit in irregularitatem, tum si sit vitandus, tum toleratus, Cap. ult. de Cleric. excomm. ministr., dummodo conficiendo, vel administrando exerceat Ordines majores, quia si administret aliquod Sacramentum sine tali exercitio, puta, si administret Baptismum sine solemnitatibus, in nullam poenam incurrit. Ita communit. ex Cap. *Is cui* de sent. excomm. in VI.

Q. An excommunicatus vitandus, qui invalide administrat Sacramentum Poenitentiae, incidat in irregularitatem?

R. Adest dissidium inter Doctores: aliqui enim negant, quia non praestat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum. Alii vero, et probabilius affirmant, nam aliter esset melioris conditionis et minus punitus vitandus, quam toleratus, quia toleratus semper ac illicite hoc Sacramentum administrat, incidit in irregularitatem, quam non incurreret vitandus juxta contrariam sententiam. Suarez, Bonacina, Layman, aliique. Si vero excommunicatus assistat Matrimonio et non benedicit, in nullam poenam incidit, si vero benedicet solemniter in irregularitatem incidit, quia exercet munus proprium Sacerdotis, et tam si sit vitandus, quam si sit toleratus, et hic dummodo se ingerat et non sit petitus.

Digitized by Google

Q. Num excommunicatus, qui recipit Sacramenta incurrit in aliquam poenam ?

R. Si recipit Sacramentum Ordinis, incurrit in suspensionem, si vero recipit alia Sacramenta, in nullam poenam incidit, Cap. *Cum illorum* de sentent. excomm.

Q. Num excommunicatus, qui recipit Sacramenta, incurrit in aliquam poenam ?

R. Si recipit Sacramentum Ordinis scienter, et est clericus saecularis, est deponendus. Si vero regularis scienter, incidit in suspensionem suscepti ordinis, et officii. Cap. *Cum illorum* 32. de Sent. excomm. Si vero alia Sacramenta recipit, in nullam poenam a Jure statutam incidit.

Q. In quam poenam incidit ille, qui recipit Sacramenta ab excommunicato ?

R. Vel recipit a tolerato, et in nullam poenam incidit, quia ex Concilio Constantiensi permittitur ei communicatio cum tolerato. Vel recipit a vitando absque necessitate, et peccat graviter, et incidit in excommunicationem minorem ob communicationem ei prohibitam cum excommunicato vitando in Divinis. In irregularitatem vero incidit, qui ab haeretico sic declarato libere, et absque ulla necessitate baptismum recipit, quia ejus errori communicare videtur. Cap. X. Qui in qualibet aetate, Caus. 1. q. VII. Quod si recipiat Ordinem ab excommunicato Episcopo vitando, praeter excommunicationem minorem incidit ipso facto in suspensionem ab exercitio ordinis suscepti. Ita ex Cap. 1., et seq. caus. 9. q. 1. colligunt DD. communiter, quia cum hujusmodi excommunicatus Episcopus careat usu, atque executione sui Ordinis, qui ab eo recipit, non recipit Ordinis executionem.

Q. Num licitum sit petere Sacramenta ab excommunicato ?

R. Vel quis est in extrema necessitate dum alius haberi non potest, nec receptio potest differri, et potest petere a quocumque excommunicato Sacramenta necessaria necessitate medii, etiam haeretico, quia Ecclesia non vult illum privare salute aeterna. Et utitur jure suo, et minister potest peccatum declinare, si velit, ideoque scandalum est pharisaicum. Non desunt contrarium sentientes, cum possit petens voto, et contritione supplere, sed quia hoc est difficillimum, exponeret suam aeternam salutem quasi certae jacturae. Vel est extra necessitatem, sed in gravi, et videndum. Vel petit Sacramenta a ministro tolerato, qui tenetur ex officio Sacramenta ministrare, et potest, quia tunc utitur jure suo; dummodo tamen desit alter Sacerdos dignus. Vel petit Sacramenta a tolerato, qui non tenetur illi ministrare ex officio, et nunquam est licitum petere, nisi ipse ministrare paratus sit, et simul adsit gravis necessitas petendi ab eo Sacramentum, puta, si esset quis in statu peccati lethalis, et non posset ad alium recurrere, vel si adesset aliqua magna utilitas spiritualis, v. g. quia toleratus est aliis doctior, et absolute indiget ejus auxilio. Collet, Antoine, aliique.

§. II. *De privatione communium Ecclesiae suffragiorum.*

Suffragium est quodcumque opus bonum applicatum proximo ad impendendum animae ejus salutare auxilium, sive hoc prosit illi ex opere operato, quod accidit in Sacrificio Missae, sive ad expiandum malum operis operati, ut accidit in Indulgentiis; sive ex opere operantis, ut accidit in jejunio. Collet.

Digitized by Google

Q. Quotuplicis generis sunt suffragia Ecclesiae ?

R. Duplicis generis, nam alia sunt communia, et sunt ea, quae a clericis offeruntur, quatenus sunt Ecclesiae Ministri, et nomine ipsius Ecclesiae pro Fidelibus, uti sunt Sacrificium Missae, Orationes Canonicae, Publicae supplicationes, Indulgentiae etc. Alia sunt privata, et sunt quaedam auxilia, quae offeruntur pro Fidelibus ab aliqua particulari persona, non nomine Ecclesiae, neque tanquam Ministro Ecclesiae, qualia sunt orationes privatae, jejunia, etc.

Q. Excommunicatus privaturne Ecclesiae suffragiis ?

R. Tam si sit toleratus, quam vitandus privatur publicis Ecclesiae suffragiis; minime vero privatis, Cap. *A nobis*, et Cap. *Sacris* 38. de Sentent. excomm. Vitandum privari publicis suffragiis certum est, quia invalida est distributio rerum a servo facta contra voluntatem Domini in personas ab eo exclusas, ita D. Gregorius L. 8. Dialogorum Cap. 33., licet per aliquos DD. possint pro vitando in genere applicari, sive in communi, quia sic prolatur illius conversio, quam Ecclesia per excommunicationem intendit. Pro tolerato non una mens Theologorum: alii cum Suarez affirmant, cum Concilium Constantiense non intellexerit favere excommunicatis. Alii vero, uti Layman negant, quia haec suffragia Jure etiam antiquo toleratis non denegabantur. Nam ex Cap. *Cum non ab homine* Sent. Excomm., ex quo si percussio Clerici non pateat, excommunicatus privatim tantummodo debet evitari, non publice, ideoque communione non privatur. Certum tamen est, neminem excommunicatum privatis Ecclesiae suffragiis privari, quia fidelis non videtur cum istis communicare, sed potius exercere actum misericordiae. Hinc fidelis potest pro illis orare, sed etiam Sacerdos in Sacrificio Missae, uti persona particularis privatim orare, seu applicare, quod sibi privatim correspondet, scilicet ex opere operantis, ut resipiscat.

Q. Qui applicat suffragia pro excommunicato, peccatne, et incurrit in aliquam poenam ?

R. Si applicat suffragia privata, in nullam poenam incurrit. Si applicat suffragia communia, et haec pro vitando, peccat mortaliter, quia communicat in Divinis, et incurrit excommunicationem minorem. Si vero applicat tolerato, licet peccat ex prima sententia, quia toleratus etiam privatur hujusmodi suffragii, attamen in nullam poenam incurrit. Collet, Bonac., aliique.

Q. Quid si excommunicatus vitandus sit emendatus, et contritus et per ipsum non stat, quin absolvatur ?

R. Dissidium est inter Theologos, et Canonistas, nam alii cum D. Antonino affirmant valide, et licite pro eo applicari communia suffragia, quia non est credendum, quod Ecclesia pia mater velit illum talibus suffragiis privari, cum recesserit a contumacia. Alii probabilius negant: et ratio est, quia censura, quae semper manet, donec per absolutionem tollatur, suum semper operatur effectum. Praeterea in cit. Cap. *A nobis* habetur, quod pro excommunicato defuncto cum signis contritionis non sint Orationes publicae instituendae, antequam ab excommunicatione absolvatur; ergo neque pro illo vivente, etsi contrito, antequam absolvatur. Collet, Bonacina, aliique.

Digitized by Google

§. III. *De Privatione celebrationis Divinorum officiorum, ejusque interesse.*

Q. Quid venit nomine Divinorum Officiorum ?

R. Veniunt omnes functiones sacrae, quae fiunt in Ecclesia a Ministris Ecclesiae, uti sunt, Sacrificium Missae, Horae Canonicae, et publica omnis oratio, supplicatio, benedictio etc., uno verbo veniunt omnes Coeremoniae, quae ex Ecclesiae, et Christi institutione a Ministris Ecclesiae, seu ad id ordinatis publice, et solemniter fiunt. Bonac., Collet, aliique communiter.

Q. Num excommunicatus possit assistere Sacrificio Missae, vel sacris aliis functionibus ?

R. Nullus excommunicatus sive toleratus, sive vitandus potest assistere Missae Sacrificio, aliisque omnibus Divinis officiis, et assistendo peccat mortaliter, si assistat notabili parti (aliter leviter.), Cap. *Significavit*, et Cap. *Responso* de sentent. excomm., et si vitandus monitus non vult exire, incurrit in aliam excommunicationem Papae reservatam, Clement. *Gravis* de sentent. excomm.

Q. Num possit excommunicatus celebrare, vel ministrare Missae?

R. Vitandus non potest, toleratus vero potest, si sit petitus, et se disponit ob facultatem a Concilio Constantiensi concessam fidelibus communicandi cum eo et in humanis, et in divinis.

Q. An excommunicatus assistendo Divinis officiis, vel Missam audiendo, incidit in aliquam poenam ?

R. Praeter peccatum mortale in nullam poenam incidit, quia nulla habetur in jure expressa. Excipe duos casus, quorum I. Est si Sacerdos excommunicatus auctoritate sua procurat, ut Missa, vel alia Ecclesiae officia coram se fiant. In quo casu quia moraliter influit in ipsam celebrationem, atque perinde se gerit, ac si ipse celebraret, ideoque ex communi Doctorum Sententia argumento deducto ex Cap. *Illud* de Clerico excomm. minist. incidit in irregularitatem. II. Si excommunicatus assistens sacrificio Missae, et monitus a Sacerdote, ut ab Ecclesia exeat, parere nolit, incidit in excommunicationem majorem Papae reservatam, cit. Clement. *Gravis* de sentent. excomm. Collet, aliique.

Q. Quid faciendum est, si excommunicatus vitandus Divinis officiis interesse praesumat, postquam fuit monitus, ut exeat ?

R. Si peragatur Sacrificium Missae, et nondum perventum fuerit ad Canonem, debet Sacerdos recedere ab Altari. Si vero Canon est inceptus, debet prosequi usque ad sumptionem Calicis, et reliqua in sacristia peragere; secus mortaliter peccat, et incurrit excommunicationem minorem, quia communicat in Divinis cum vitando. Si vero sunt qui canunt Divina officia, desistere debent, si vero nolint interrumpere, et Laici recedere, mortaliter peccant, quia violant in re gravi Ecclesiae praeceptum, et incurrunt excommunicationem minorem, et Clerici praeterea incurrunt in interdictum ab ingressu Ecclesiae, Cap. *Episcoporum* de privil. in VI. Si scienter. Et etiam, si admittant ad Sacramenta, vel ad sepulturam Ecclesiasticam praesumptuose. Verum si vitandus alteri sacrificio assistat, fidelis non tenetur recedere, quia non habetur Communicatio in eodem divino officio, ita Bonac., Suarez. aliique.

Digitized by Google

Q. Num excommunicatus possit privatim orare in Ecclesia?

R. Maxime, modo in Ecclesia nullum Divinum celebretur officium; potest etiam in hoc tempore audire conciones ad hoc, ut citius ad poenitentiam, et Ecclesiae obedientiam excitetur: cit. Cap. *Responso* 43. de sent. excomm. Porro tenetur excommunicatus Sacerdos, vel persona in sacris constituta horas Canonicas recitare, ne ex propria iniquitate commodum reportet, licet ad Horas Canonicas recitandas sit adstrictus ex solo beneficii titulo, et fructibus beneficii propter excommunicationem sit privatus, quia *damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare.* Regul. 86. Jur. in VI.

Q. Num excommunicatus peccet contra praeceptum audiendi Sacrum die festo, annuae Confessionis, vel Paschalis Communionis?

R. Maxime, quando negligens est in procuranda sibi excommunicationis absolutione, quia ista praecepta obligant per se ad sanctificandam Animam, ideoque obligant enim ad tollenda impedimenta illa, quae sanctificationi opponuntur, uti est excommunicatio. Collet, aliique.

§. IV. *De habilitate ad ecclesiastica beneficia.*

Q. Collatio beneficii facta ab excommunicato, estne valida?

R. Si collatio ista facta est a tolerato, valida est, quia toleratus non caret relate ad alios jurisdictione. Si autem est facta a vitando est nulla, quia vitandus caret jurisdictione. Communiter.

Q. Collatio beneficii facta excommunicato, estne valida?

R. Est nulla, sive facta sit tolerato, sive vitando, Cap. *Postulasti* 7. de Cleric. excomm. ministr., quia aequum videtur, ut Ecclesia irritet collationem facta ei, qui non potest officium, munusque suum exercere, cum detur beneficium propter officium. Neque haec collatio, aut quae ad eam praevia sunt, ut electio, praesentatio, resignatio, per absolutionem postea secutam convalescunt; quia *non firmatur tractu temporis quod de jure ab initio non subsistit.* Reg. 18. Jur. in VI. Unde renovari debent obtenta a Superioribus legitimis, post absolutionem, dispensatione ad ea retinenda beneficiis, sive potius de novo adquirenda.

Q. Num ille, cui tempore excommunicationis fuit beneficium collatum, possit illud retinere, dato, quod tempore acceptationis non erat excommunicatus?

R. Minime, nam voluntas Collatoris fuit ab initio irrita, ideoque moraliter perseverat talis, nam non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit. Communiter. Si vero collatio, electio, praesentatio facta fuit ante censuram, acceptatio vero in excommunicatione ex Layman, et Suarez, nulla est quia aliter excommunicatus acquirere posset jus in beneficium contra Ecclesiae statuta, ex Bonacina, et aliis est valida, cum non acquiratur jus, sed tantum ponitur conditio juris jam acquisiti.

Q. Num excommunicatus, qui beneficium recipit, dum erat excommunicatione innodatus, faciat fructus suos tempore excommunicationis perceptos, si absolutus ab excommunicatione illud rite obtinet?

R. Maxime, quando per se, vel per alium executus fuit onera talis beneficii, quia fructus vacantis cedunt successori, qui jam est ipsemet. Bonac. cum aliis, communit.

Digitized by Google

Q. Qui recipit beneficium ex ignorantia invincibili excommunicationis, potestne illud retinere?

R. Minime, quia ignorantia invincibilis excusat a peccato, non dat tamen valorem actui invalido ex Jure Cap. Apostolicae de Sent. Excomm. Hic tamen, uti possessor bonae fidei potest fructus suae substentationi congruos retinere, et alios tenetur restituere, si extant, et si factus sit locupletior, et non praescripsit.

Q. Num excommunicatus privetur ante Judicis sententiam beneficiis rite obtentis ante excommunicationem, vel fructibus eorumdem?

R. Minime, quia nullum jus datur imponens talem poenam, et talis poena ita gravis non est imponenda, nisi certo expressa sit in jure. Tamen adverte, quoad fructus, quod hoc verum est, si onera beneficii per se vel per alium adimpleat. Hoc sane licet probabile, probabilior tamen est sententia opposita, qua edocetur excommunicatum ipso facto, et ante judicis sententiam privari fructibus beneficii, quod non obscure significatur in Cap. *Pastoralis* 53. de Appellation., ubi haec habentur: *Illi proventus Ecclesiastici merito subtrahuntur, cui Ecclesiae communio denegatus.* Vid. Gonzal. in dict. Cap.

Q. An ille, qui confert beneficium excommunicato vitando, incidit in aliquam poenam?

R. Peccat graviter quatenus facit contra praeceptum Ecclesiae de re gravi, et incidit in excommunicationem minorem, quia communicat cum vitando: incidit etiam in suspensionem a collatione beneficiorum ipso facto, modo scienter conferat beneficium, Cap. *Postulasti* 7. de Cleric. excomm. Ministr., ut in eo puniatur, in quo praesumit delinquere. Si vero conferet beneficium tolerato, in nullam poenam incidit.

§. V. *De privatione jurisdictionis spiritualis.*

Spiritualis jurisdictio *stricte* sumpta, est potestas praecipiendi per leges, et censuras, judicandi in utroque foro sive per se, sive per alios, concedendi Indulgentias, Dispensationes, et actus similes exercendi. *Late* sumpta, est potestas conferendi beneficia, eligendi, vel praesentandi ad illa. Collet.

Q. Num excommunicatus toleratus licite, et valide faciat ea, quae sunt jurisdictionis?

R. Illicite facit ea, quae sunt jurisdictionis; quia non potest in alios jurisdictionem exercere, quia non modicam sed in re summi momenti communionem cum iis habeat, unde graviter peccat, nisi sit quaesitus, vel nisi excusatur a metu gravi, ignorantia, aut gravi proximorum necessitate. Valide tamen facit eadem, quia Concilium Constantiense ita permittit Fidelibus omnem communionem cum excommunicato tolerato, ac si non esset excommunicatus, ad tollendam confusionem, et Animarum anxietatem, ut concorditer sentiunt omnes fere Doctores.

Q. Num excommunicatus vitandus licite, et valide suam exerceat jurisdictionem?

R. Illicite, et invalide exercet jurisdictionem, ejusque omnes actus: *illicite*, quia privatus est quavis communione cum Fidelibus, et ipse cum illis vult in re gravi communicare per tale exercitium: *invalide*, quia per

Digitized by Google

excommunicationem ita ab eo ablata est jurisdictio, ut existimetur, tanquam si illam non haberet, arg. Cap. *Audivimus* caus. 24. q. 1., Cap. *Adprobandum* 24. de Sent., et re judic. Hinc talis excommunicatus non potest alium excommunicare, cit. Cap. *Audivimus*, neque conferre beneficia, Cap. unic. de Sede vacante cet. in VI.; neque eligere, arg. Cap. *Cum Dilectus* 8. de Consuet., et Cap. *Cum inter* 16. de Elect., licet autem in memoratis Testibus sermo sit de electione facta a suspensis, tamen idem obtinet in excommunicatis, qui privantur iisdem bonis, quatenus sunt communicationes cum aliis. Vide Gonsalez Commentar. ad dict. Cap. *Cum inter.*

Q. An acta a Judice excommunicato vitando valeant?

R. Lis est inter DD., at ex Cap. *Praesidentes* de haereticis in VI. colligitur esse nulla. Nam in eo datur peculiaris potestas Judicibus excommunicatis procedendi contra haereticos, aliis deficientibus.

Q. Testimonium factum ab excommunicato estne validum?

R. Vel admittitur communi consensu partium, et Judicis, et est validum, aliter est nullum, Ita communit. ut ex Cap. VI. nullus anathematizatorum quaestione IV.

Q Num Episcopo excommunicato vitando, possit Vicarius Generalis uti sua jurisdictione?

R. Minime, quia Episcopus, et Vicarius Generalis constituunt unum Tribunal, unde suspensa jurisdictione Episcopi per excommunicationem, remanet, etiamsi res non sit integra, etiam suspensa auctoritas Vicarii, Cap. 1. de offic. Vicar. in VI. Idem dic de Delegato, si delegans sit excommunicatus vitandus, dummodo tamen res sit integra, quia si non sit integra, quatenus judicium est incoeptum, tunc non cessat jurisdictio Delegati, quia Delegans cum Delegato non constituit unum Tribunal: jurisdictio autem radicata in personam ipsius Delegati jam fuit per exercitium jurisdictionis incoepta, ac proinde non suspenditur suspensa jurisdictione in Delegante per excommunicationem. Bonacina, Layman.

§. VI. *De privatione civilis communionis cum fidelibus.*

Communicatio Civilis, seu politica duplex est: alia privata, quae consistit in commercio civili, quod homines inter se privatim exercent, simul vivendo, manducando, contractus ineundo etc. alia publica, et forensis, quae sita est in temporalis Reipublicae gubernatione, et omnibus, quae huic adnexa sunt, ut leges Civiles condere, judicia ferre, agere in judicio etc. Collet.

Q. Num excommunicatus possit cum Fidelibus communicare?

R. Minime sive ille sit toleratus, sive vitandus, quia effectus excommunicationis est privatio civilis communicationis, Cap. *Nuper* de sent. excomm. Neque aliquid evincitur ex Concilio Constantiensi (celebrato circa ann. 1414., et confirmato a Martino V.) pro tolerato, nam hoc intellexit suffragari Fidelibus, non vero excommunicatis, quod apertissime patet ex verbis ejusdem Concilii: *Per hoc* inquit, *hujusmodi excommunicatos .... non intendimus in aliquo relevare, aut quomodolibet suffragari.* Potest excommunicatus autem cum infideli communicare, sicut et infidelis communicare potest cum illo, quia Ecclesia prohibuit solum ei communicatio-

Digitized by Google

nem cum Fidelibus. Ita communit. Excommunicati inter se non possunt communicare, qui sunt Fideles.

Q. Num fidelis peccat, si communicet cum excommunicato tolerato absque justa causa?

R. Non peccat ex vi praecepti censurae, cum nullum praeceptum Ecclesiasticum hoc prohibens habeatur. Dixi *ex vi praecepti censurae*, quia ex Jure Naturali, ac Divino communicans cum tolerato potest peccare aliquando, et quidem graviter, uti si illa persisteret magis in sua contumacia, si adesset periculum, quod ab eo inficeretur, si scandalum sequeretur, si ex subtractione talis communicationis spes adesset suae resipiscentiae. Sot. Salmantic., aliique.

Q. Num Fidelis peccat, et incidat in aliquam poenam, communicando cum excommunicato vitando?

Vel communicat in divinis, et peccat graviter, quia laedit Ecclesiae praeceptum in re gravi, et incidit in excommunicationem minorem, Cap. *Excommunicatos* 17. caus. 11. q. et cit. Cap. *Nuper* de sent. excomm., Vel communicat in humanis, et ratione materiae levis peccat leviter, licet etiam incidit in excommunicationem minorem. Verum si frequenter communicet in humanis cum vitando, non effugiet mortale peccatum, quia praeceptum non communicandi obligat sub mortali, quando non excusat materiae levitas. Bonacina, Collet, aliique. Idem mortale quoque esset communicare in civilibus cum excommunicato vitando, si adesset aut scandalum, aut contemptus.

Q. Num dentur casus, in quibus cum vitando communicat in humanis et peccat graviter, et incidit in majorem excommunicationem?

R. Maxime, et est quando quis cum vitando scienter communicat criminoso in crimine, Cap. *Nuper*, aut cum quis communicat scienter, aut participat cum excommunicato, qui cum omnibus participibus, et fautoribus suis excommunicationis sententia est innodatus; quia tunc incurrit in eamdem sententiam, Cap. *Quod in dubiis* 29. de Sentet. excomm., et Cap. *Sacris* tit. eod. Dicitur autem quis communicare in criminoso crimine, quando cooperatur, ut ille perseveret in crimine, vel contumacia propter quam lata est excommunicatio, Cap. *Si concubinae* 55. tit. eod.

Q. Quaenam conditiones requiruntur, ut quis communicando in crimine criminoso cum vitando, incurrat eamdem excommunicationem?

R. Plures, quarum I. Est, ut participatio fiat in crimine postquam criminosus fuit excommunicatione ligatus. II. Ut participet in eodem crimine, propter quod ille fuit excommunicatus. III. Ut communicatus sciat illum esse excommunicatum ob tale crimen. IV. Ut excommunicatus sit vitandus. Ultima ut participatio non sit tam levis, ut pro nihilo habeatur, cit. Cap. *Nuper*, Bonac., aliique communit. Haec excommunicatio num sit latae, vel ferendae sententiae, litigant DD. Sed ex verbis laudati Capitis *Nuper* clare patet esse latae sententiae, cum absolutio sit requirenda.

Not. Potest absolvere ab excommunicatione contracta ob communicationem cum excommunicato vitando in crimine criminoso, ille, qui potest absolvere principalem, cum excommunicatio hujusmodi sit eadem, ac illa, qua principalis ligatus est. Bonac., Layman.

Digitized by Google

Q. Num detur casus, in quo quis communicat cum excommunicato vitando in Divinis, et incidit in excommunicationem majorem?

R. Maxime, et est quando quis communicat cum excommunicato nominatim a Papa per sententiam particularem, ac denuntiationem, nam iste talis incidit in eamdem excommunicationem Papae reservatam, Cap. *Significat.* 18. de sent. excomm., et cit. Cap. *Excommunicatos* caus. 13. q. 3., concurrentibus tamen hisce conditionibus. I. Ut communicetur cum excommunicato nominatim a Papa denuntiato. II. Ut communicetur sit clericus. III. Ut sciat illum esse excommunicatum a Papa. IV. Ut sponte et libere communicet. Ultima, ut communicet in divinis. Vid. Fagnan. ad cit. Cap. *Significavit.*

Q. Num ille, qui uno loco est vitandus, vitari debet in alio loco, ubi sua excommunicatio est secreta?

R. Privatim est vitandus, Cap. *cum non ab homine* tit. eod. publice tamen non est vitandus, quia ibi vitandus non dicitur, ubi delictum non est publicum vel per denuntiationem, vel quia ibi publice, et notorie Clericum percusserit. Bonac.

Q. In quibus casibus vetita est cum excommunicatis vitandis participatio?

R. Prohibitum est communicare cum vitandis in casibus, qui continentur, in hoc carmine, et qui deducuntur ex Cap. *Excommunicatos* caus. 11. q. 3.

Os, Orare, Vale, Communio, Mensa negatur.

Per ly *Os* prohibetur omnis confabulatio, seu discursus, etiamsi fiat per litteras, nutus, internuntium, aut alia signa, item quaecumque signa amicitia, nempe oscula, amplexus, necnon receptio munerum, et eorumdem ad eum missio.

Per ly *Orare* intelligitur prohibita omnis communicatio in sacris, et orationibus, ita ut nec etiam privatim liceat cum excommunicatis orare, interesse Processionibus, Missis, aliisque Divinis officiis etc.

Per ly *Vale* interdicitur omnis honorifica, et amica salutatio, verbis, signis, gestu, et manus tactu facta.

Per ly *Communio* prohibetur omnis societas cum excommunicatis vitandis in habitatione, contractibus, judiciis, aliisque exercitiis, in itinere, in sudore.

Per ly *Mensa* interdicitur communicatio in cibo, potuque, quia nunquam licet manducare, bibere etc. cum excommunicatis vitandis, quamvis in eodem collegio, domo etc. reperiantur. Bonac.

Q. In quibus casibus licitum est communicare cum excommunicato vitando?

R. In hisce, qui in hoc carmine continentur, et deducuntur ex Cap. *Quoniam multos* 103. caus. ec. q. 3.

Utile, Lex, Humile, Res ignorata, Necesse.

Per ly *Utile* intelligitur utilitas notabilis tam spiritualis, quam tempo-

Digitized by Google

ralis sive excommunicati, sive communicantis, Cap. *Cum voluntate* 5, et Cap. *Si vere* 34. de sent. excomm. (1).

Per ly *Lex* intelligitur lex matrimonialis ratione cujus, si unus, vel uterque conjux sit excommunicatus, nihilominus eis licebit, conjugii debitum petere, et reddere, et in omnibus aliis rebus inter se communicare, Cap. *Quoniam multos* causs. 11. q. 3., et Cap. *Inter alia* de sent. excomm. in divinis licet, cum conjux in his non sit alteri subjectus (2).

Per ly *Humile* intelligitur humilitas subjectionis, vi cujus liberi cum parentibus, servi cum dominis suis, Clerici cum Episcopis etc. possunt communicare, etc. Cap. *Quoniam multos* caus. 11. q. 3. (3).

(1) Ex S. Ligorio *Utile* intelligitur utilitas aut ipsius excommunicati, ut resipiscat, aut ut aliud spirituale subsidium recipiat (qua ratione licet praemittere alia verba, aut signa benevolentiae, ideoque licet sine dubio praedicare eo praesente), aut utilitas aliorum, ut ab excommunicato recipiant aliquod utile spirituale, aut temporale; quare licet audire ab eo concionem, aut exposcere consilium (si alius idoneus non extat), aut eleemosinam, aut medicinam, et ita etiam cum eo societatem antea initam continuare, non vero novos cum illo instituere contractus. *Suar. Castr. Av. Bonac. Salm. Con.* etc. *homo apost. de Censuris in specie Punct. 11. §. 23.*

(2) Ex S. Ligorio notandum quod non licet communicare cum conjuge excommunicato, si factum sit divortium, et si excommunicatio est lata ob haeresim, aut ob dubium de Matrimonii valore, ita commun. DD. Praeterea non licet communicare *in Divinis*, dum Innoc. III. *in cit. cap. 31.* declarando textum Greg. VII. in C. *Quoniam*, n. q. 3., ubi dispositum erat, quod uxores, filii, et servi possent communicare in iis, in quibus solebant communicare, dixit, hoc intelligi dumtaxat, in quantum hoc necessarium est ad praestandum obsequium ei debitum; sed communicare *in Divinis* non est obsequium debitum; ita recte *Cajet. Bon. Arm. et Concin.* contra *Sanch. Salm.* etc. Dubitatur autem, an conjux, qui scienter nupsit cum excommunicato possit postea communicare? negant probabiliter *Castrop. Tourn. Salm. Conc.* cum *S. Thoma* ex praefato *cap. 31. de sent. excomm.* ubi dicitur quod personae subjectae possunt communicare cum excommunicato, eodem modo, ac prius; ergo non possunt si subjectio contrahitur post excommunicationem. Nec obstat textus Innocentii; nam Innoc. tantum respondit ad id, quod ab eo quaesitum fuit, nempe an tenerentur communicare, vel an tantum possent, si velint; Pontifex respondit quod tenebatur, sicut tenebantur ante excommunicationem; nihil autem locutus fuit de iis, qui tempore excommunicationis in servitium ingressi sunt. At pro his facit textus Gregorii qui concedit subditis communicationem propter debitam subjectionem, unde nihil refert, an ista contracta sint ante vel post excommunicationem *homo apost. loc. cit. Punct. II. §. 23.*

(3) Ex S. Ligor. *Humile* intelligitur subjectio debita a filiis, licet emancipatis, ut probabiliter dicunt *Suar.; Bon. Castr. Salm.* etc. contra *Sotum*. Et idem dicunt de nepotibus, et pronepotibus, et etiam de affinibus in eodem genere, ut sunt nurus, privignus etc. Idem currit de religiosis cum Praelato in iis rebus, quorum nequeunt evitare communicationem. Idem de militibus cum suo Duce, et de servis cum suo Domino: ita communiter DD. Sed hic notandum 1. peccare servos qui mala fide in excommunicati famulatum se ingerunt, nisi excusat necessitas. *Suar. Castr. Salmant.* etc. 2. Quod ipsi communicare nequeunt in iis, quae ad debitum famulatum non conducunt; quare peccant si communicant *in Divinis*, modo ad hoc non teneantur ob debitum ipsius famulatus, prout eos comitari ad Ecclesiam, aut ex pacto speciali v. g: inserviendi sacro, coadjuvandi eos in officii recitatione etc. ita *Suar. et Salm.* 3. Notandum, quod servi excommunicati ejusdem domini non possunt ad invicem communicare, nisi in quantum necesse est ad communem cohabitationem; et hoc in solo casu, quod non possent commode invenire alium dominum; *Nav.*

Digitized by Google

Per ly *lex ignorata* intelligitur ignorantia tam juris, quam facti, dummodo non sit affectata, Cap. final. de constitut. in VI. *ut Animarum* (1).

Per ly *Necesse* venit omnis necessitas communicandi tam ex parte excommunicati, quam communicantis, sive necessitas sit corporis, vel Animae, vel famae, vel fortunae, cit. Cap. *Inter alia* de sent. excomm., et cit. cap. *Si vere* tit. eod. (2).

Q. Num dentur aliqui casus, in quibus uxor non potest communicare cum viro vitando?

R. Maxime, nam I. non potest communicare in crimine criminoso, et si communicet, incidit in eamdem excommunicationem viri, cit. Cap. *Nuper*, et Cap. *Quod in dubiis* de sent. excomm. II. Non potest communicare in Divinis, nam in his non videtur subjecta viro. III. Quando est factum divortium, quia tunc non subditur viro. IV. Secundum Salmantic., et Collet, quando uxor scienter contraxit matrimonium cum excommunicato, licet alii id negent. Vide Natalem Alexandrum.

§. VII. et VIII. *De privatione ecclesiasticae sepulturae, et de nullitate impetrationis gratiarum*

Q. Excommunicatus potestne sepeliri in Ecclesia?

R. Si est vitandus non potest, etiamsi dederit signa poenitentiae, quia non est aequum, quod communicamus cum mortuo, quem vivum fugere tenebamur, Cap. *Sacris* 12. de sepult., et Cap. *Consuluisti* de consecrat. Eccl. Si vero est toleratus, potest, dummodo signa dederit poenitentiae, quia cum tolerato permissa est communicatio. Bonac., aliique.

Q. In quam poenam incidit sepeliens excommunicatum vitandum?

R. Incidit in excommunicationem majorem: a qua non potest absolvi, nisi ad arbitrium Episcopi, et satisfactionem praestiterit, Clement. 1. de sepult. Idem dicas de illo, qui procurat excommunicatum vitandum in Ec-

Suar., et Conc. 4. Notandum quod sicut filii, uxores, servi etc. possunt communicare cum excommunicato, ita parentes, viri, et domini possunt communicare cum subditis excommunicatis, *Sotus, Castrop. et alii cum S. Thoma homo apost. loc. cit. Punct. II. §. 24.*

(1) An excuset ignorantia crassa, negant *Bonac. et Salm.* Sed probabiliter, et communius affirmant *Suar. Conin. Hurtad., et Holzman*, primo cum excusentur ignoranter, a citato textu, intelliguntur etiam culpabiles; dum qui inculpabiliter ignorant, procul dubio excusantur ex se. Secundo, quia in textu cum dicantur excusari ignorantes: *Quoniam multos pro causa excommunicationis perire quotidie cernimus* etc. Ergo Papa intendit excusare, etiam culpabiles, quia qui ignorant inculpabiliter, nec peccant nec perire possunt *S. Ligorius homo apost. loc. cit. Punct. II. §. 25.*

(2) Ita pariter (ut recte subjungunt *Salm.*) excusat necessitas per coactionem metus gravis injuste incussi juxta dicta *Tom. I. Tr. II. n. 44.* Denique hic animadvertendum non esse obligationem vitandi excommunicatos: nisi constet eos esse vitandos, saltem ob publicam famam, aut per duos testes fide dignos *Sanch. Nav.*; *Bonac. Castr. Salm.* cum *Tournely*; qui contra scire animadvertit, quod in dubio, an Confessarius sit necne vitandus, non licet apud illum confiteri ob periculum ne invalide absolvatur. Ceterum dicunt. AA. citati, quod licite possumus communicare cum eo, qui excommunicatus fuit, quoties unus testis fide dignus, imo si ipsemet excommunicatus (si ceteroquin est fide dignus) asserat fuisse absolutum. *S. Ligorius homo apost. loc. cit. Punct. II. §. 26.*

*

Digitized by Google

clesia sepeliri. Collet. in eamdem excommunicationem incidunt ex Clementina I. laudata praesumptuose sepelientes interdictum vitandum, vel non interdictum in loco nominatim interdicto, et ex hac sepultura polluitur Ecclesia, et sepelientes usurarium publicum sine pollutione. Tamen, qui admittit scienter excommunicatum vitandum ad sepulturam, ad divina officia, ad Sacramenta praesumptum, vel interdictum publicum, sive vitandum, incidit ipso facto in Interdictum ab ingressu Ecclesiae, Cap. *Episcoporum* de privileg. in VI.

Q. Ad incurrendam hanc excommunicationem quaenam conditiones requiruntur?

R. Sequentes, 1. ut sit excommunicatus vitandus. 2. Ut sepeliens sciat talem esse mortuum ex verbis Clementinae *Qui scienter praesumpserit*.3. Ut sepeliat propriis manibus, ita tenet Cajetanus cum Bonacina, et aliis, cum censura lata videatur contra sepelientes.

Q. Quid si excommunicatus sit jam sepultus in loco sacro?

R. Si non dedit signa poenitentiae, est exhumandus, si ossa discerni possint Cap. *Sacris Consuluisti* de Consecratione Ecclesiae. Si vero dederit, non est exhumandus, sed absolvendus petita absolutione ab heredibus. Ita Glossa in Cap. *Ad haec* de Privilegiis.

Q. Num valida sit gratia accepta a Sede Apostolica tempore, quo erat excommunicatus?

R. Minime, quia excommunicatio irritat, et annullat literas, rescripta, et gratias a Sede Apostolica obtentas, Cap. *Dilectus*, de rescriptis, et Cap. *Ipso jure* 1. de Rescript. in VI., et hoc verum est, etiamsi excommunicatus sit occultus.

Not. Hic porro effectus hoc tempore non magni habendus, nam Sedes Apostolica, cum aliquam gratiam, vel rescriptum signet, solet simul impertiri absolutionem ab omnibus censuris ad hunc effectum, excepto casu excommunicati vitandi vel ob haeresim, vel si per annum insurduerit in excommunicatione, vel in confidentia praedictae generalis absolutionis: tunc enim non esset satis absolutio generalis, quoad hunc effectum, contenta in Rescripto, vel Gratia, sed requireretur absolutio specialis. Bonac., aliique.

CAPUT II.

De Excommunicatione Minori

Q. Quid est excommunicatio minor?

R. Est censura, qua homo Christianus privatur secundum quid communione Fidelium.

Q. Quinam sunt hujusce excommunicationis effectus?

R. Sunt tres, unus proximus, per se, et directus, et alii duo remoti ac indirecti. *Directus* est, quod excommunicatus excommunicatione minori nullum licite possit recipere Sacramentum, et si aliquod recipiat, mortaliter peccat, Cap. *Si celebrat* 10. de Cleric. excomm. ministr., ibi: *Si celebrat minori excommunicatione ligatus, licet graviter peccet etc.*

Secundus *indirectus* effectus est, quod si sine necessitatis ratione Sacramenta ministret, peccat saltem venialiter. Dixi *saltem venialiter*, quia

Digitized by Google

at plurimum peccatur graviter non ratione censurae, sed ratione indignitatis, cit. Cap. *Si celebrat.* Tertius effectus *indirectus* est, quod excommunicatus minori excommunicatione non debet eligi ad beneficium Ecclesiasticum, si autem scienter ad illud eligatur, electio infirmanda est, cit. Cap. *Si celebrat.* Vide, si lubet, Gonzal. ad cit. Cap. *Si celebrat*, eum tali censura ligatus a susceptione Sacrorum ordinum repellatur, ad quam susceptio ordinum ordinatur.

Q. Quid si iste excommunicatus ignoranter recipiat beneficium?

R. Non est expoliandus, dummodo ignorantia non sit affectata ex cit. Cap. Haec ignorantia debet esse pro impedienda irritatione ex parte recipientis, ita ut licet scientia habeatur ex parte collatoris, uti ex verbis Capiti laudati clare eruitur. *Si tamen scienter talis electus fuerit.* Ita etiam Glossa in cit. Cap. contra alias.

Q. Quinam potest absolvere ab hac excommunicatione minori?

R. In foro externo potest Episcopus, in foro vero interno quemvis Confessarium approbatum posse ab ea absolvere constat ex Cap. *Nuper* de sentent. excomm.

CAPUT III.

De excommunicatione, quae contrahitur ob Clerici percussionem

Inter excommunicationes in Jure statutas praecipua, ac frequentissima est, quae incurritur propter violentam manuum injectionem in Clericos. De hac itaque pauca pro more, ut disputetur, ratio instituti nostri postulat.

Q. Ubi habetur excommunicatio percussionis Clerici?

R. Habetur in Canon. 15. Concil. II. Lateranens. sub Innocent. II. relatum in Canon. *Si quis suadente* caus. 17. q. 4., ibi: *Si quis suadente Diabolo, hujus sacrilegii reatum incurrerit, quod in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat, et nullus Episcoporum illum praesumat absolvere (nisi mortis urgente periculo) donec Apostolico conspectui praesentatur, et ejus mandatum suspiciat.*

Q. Quid, et quotuplex est percussio?

R. Est violenta, et injuriosa manuum injectio in Clericum vel Monachum. Quae sane triplex est, levis, mediocris, et enormis: Cap. *Pervenit* de sent. excomm. *Levis* est illa, quae fit sine relictione maculae, seu signi percussionis in corpore, ut quae fit manu, pede, digito, baculo, etc. nullam maculam externam, seu contusionem relinquente.

Mediocris est, quae fit cum relictione maculae, seu signi percussionis in corpore sine mutilatione, aut mortali vulnere, ut quae fit cum dentium aut magna capillorum evulsione, cum sufficienti sanguinis effusione, cum vultus foedatione, vestium effractione etc.

Enormis est, quae fit cum gravi vulneratione, mutilatione, aut magna sanguinis effusione, non a naribus, sed a magno vulnere proveniente, Cap. *Cum illorum* de sent. excomm. §. *Qui si Claustrales*, aut in Episcopum, vel Abbatem proprium: aut ratione loci, temporis stando. Per ly suadente diabolo venit peccatum grave in ratione injuriae.

Digitized by Google

Q. Qualis debet esse percussio ista, ut Canonis excommunicationem incurratur?

R. Requiritur, ut fiat per actum violentum, ita ut attingat Clericum immediate, vel mediate, et ut sit per se mortaliter peccaminosa actio.

Not. I. Si quis Clericum pulvere, vel aqua per injuriam aspergeret, aut in eum conspueret, aut vim rebus ei adhaerentibus, inferret, puta vestes lacerando, aliquod, quod habet in manibus extorquendo, vel per vim abripiendo, vel equum, cui insidet, vi et per violentiam sistendo, talem excommunicationem incurreret, sicut et incurreret, si Clericum in custodia publica, vel privata domo detineret, vel custodes apponeret, ut Clericum apprehendat, si de domo exierit, ita ut Clericus sine strepitu, et confusione exire nequeat, si venenum ei propinet, Cap. *Nuper* 29. de sent. excomm.

II. Non sufficit gravis injuria, licet externa contra honorem Clerici, qualis est in verbis injuriosis, vel aliqua actione exteriori injuriosa, quae Clericum physice non attingat mediate, vel immediate, uti sane accidit in tensione pugni, vel fustis exhibitione comminatoria, sed requiritur percussio, vel violenta manuum injectio, quae sibi habeat hasce conjunctas conditiones, quarum I. Est, ut actio sit violenta. Ut attingat Clericum, vel Monachum sive immediate, sive mediate, uti esset, si per vim detineret equum cui Clericus insidet etc. III. Ut procedat ab actu interno mortaliter peccaminoso, et ipsa actio exterior sit capax mortalis culpae. Vid. Sperellum decis. 45. n. 12.

III. Excommunicationem incurrit, projiciens a tecto lapidem cum deliberatione occidendi Clericum, quamvis statim post jactum poeniteat, atque si posset, revocaret, si revera Clericus a lapide occideretur, aut vulneretur, quia quantum ex sua parte operis prohibiti jam malitiam complevit, arg. Cap. *Ad Audientiam* de Homicid . . . Vid. Avil. part. 2., Cap. 5. disput. 3. dub. 7. conclus. 2., et Layman. de excommunic. lib. 1. tract. 5. part. 3. Cap. 5. num. 7.

Q. Num forte hanc excommunicationem percussores dumtaxat incurrunt?

R. Minime, sed extenditur etiam ad mandantem, consulentem non impedientem, cum ex officio tenebatur impedire, et ad ratam habentem Clerici percussionem. Bonac., Concin., aliique communiter.

Q. Quaenam conditiones requiruntur ut quis per ratihabitionem incurrat hanc excommunicationem?

R. Ratihabitio in hac re est approbatio percussionis Clerici factae nomine sui. Ut autem quis ratam habendo Clerici percussionem incidat in excommunicationem ex Cap. *Cum quis* de sent. comm. requiritur I. Ut percussio facta sit nomine sui. II. Ut haec ratihabitio sit exterius manifestata sive per verba, sive per signa. III. Quod quando percussio facta est; ratam habens illam, potuerit saltem habitualiter percussionem vel mandare, vel consulere. Bonac., aliique saniores DD.

Hinc non incurrunt, si ratam habent talem violentiam factam non suo, sed solum alterius nomine, ut aperte declaratur in cit. Cap. *Cum quis* ibi. *Si vero injectio eadem tuo nomine non fuit facta, tunc licet pecces ratam habendo eamdem, non tamen propter hoc excommunicationis ullius*

Digitized by Google

vinculo innodaris, cum quis ratum habere nequeat, quod ejus nomine non est gestum.

Nota. Mandantes incurrunt excommunicationem, dummodo effectus sequatur, Cap. *Mulieres* de sent. excomm. licet mandantem mandati ipsius poeniteat, antequam suum mandatum fuerit executioni demandatum nisi mandatum revocaverit, ut de revocatione ante executionem mandati mandatarium serio monuerit. Item non excusantur ab excommunicatione consulentes, auxilium ferentes, consentientes, sociantes, Cap. *Quantae* de sent. excomm., et Clement. I. de poenis. Ad haec Superiores omnes sive Ecclesiastici, sive Seculares potentes impedire suos subditos ab his violentiis, et non impedientes. Parentes non impedientes filios, et Domini, et Officiales non avertentes servos, et milites cum possint, cit. Cap. *Quantae* 47. de sent. excomm.

Q. Quinam veniunt nomine Clerici, et Monachi?

R. Nomine Clerici veniunt illi, qui sunt prima tonsura insigniti, Cap. *Cum contingat*, de aetat., qualit., et ordin. etc., etiamsi iste sit conjugatus, modo sit cum virgine., ac deferat habitum Clericalem, et alicui Ecclesiae de mandato Episcopi inserviunt, Cap. unic. de Cleric. conjug. in VI; et Trident. sess. 25. Cap. 6. de Refor. An Conturbernales Seminariorum gaudent hoc privilegio sentiunt alii. D. Ligorius ita tenet. Sed aliter ex communi, et antiquo sensu moderatorum talium locorum, ex quibus nunquam uti violatores Canonis habiti sunt violatores. Nomine autem Monachi intelliguntur omnes Regulares utriusque sexus, Cap. *Cum illorum*, et Cap. *De Monialibus* de sent. excomm., etiam Conversi, et Conversae, cit. Cap. *De Monialibus*. et Cap. *Non dubium* tit. eod. Immo Novitii, et novitiae Cap. *Religioso* tit. Quamvis in religione aliquam proprie professionem non emittant, Fagnanus hoc privilegium etiam in Conservatorio oblatis concedit, licet a solo Episcopo approbato. Sed hoc nomine Monialium secundum Jus Canonicum non veniunt eod. in VI. Praeterea Tertiarii, et Tertiariae mendicantium in congregatione, et communitate viventes, ex Constit. Leon. X. incip. *Dum intra*. Adhaec Eremitae habitum eremiticum legitima facultate deferentes, et sub speciali obedientia Episcopi, alteriusque Praelati alicui Ecclesiae, vel Eremitorio deservientes sub aliqua determinata regula. Gloss. in Cap. *Qui vere* 16. q. 1. Vid. Fagnan. in Cap. *Nullus* num. 61. de For. compet.

Q. Danturne casus, in quibus quis Clericum percutiat, et excommunicationem non incurrit?

R. Maxime, et sunt plures. Quando quis percutit Clericum vim vi repellendo, et cum moderamine inculpatae tutelae, Cap. *Ex tenore* de sent. excomm., et Cap. *Significasti* de homic. volunt. Ex Cap. 2. Si vero de sent. excommunicationis. II. Quando quis percutit Clericum ignorans esse Clericum sive juris, sive facti sit ignorantia, Cap. *Si vero* de sent. excomm. III. Quando quis fortuito, aut ira subitanea, vel improvisa passione sine sufficienti deliberatione Clericum laedit, uti colligitur ex Cap. *Si vero* 3. de sent. excomm., et tenet Glossa expresse ibid. verb. *fortuito*, ubi dicit: *Tunc enim non imputatur, quia casus fortuiti praevideri non possunt.* IV. Si aliquis percutit Clericum, vel Monachum inventum turpia agentem cum matre propria, filia, sorore, et uxore, dummodo tamen hoc faciat in continenti, h. e. in ipso delicto, cit. Cap. *Si vero* 3. de sentent. excomm. Pec-

Digitized by Google

cat tamen iste percutiendo ex cit. Cap., licet in poenam non incidat cum Ecclesia parcat tanto dolori, quam compescere difficillime est. Minime vero excusatur ab hac excommunicatione qui Clericum percutiat turpiter inventum cum aliis mulieribus, etiam sibi consanguineis. Non incidit etiam, qui percutit clericum leviter tangentem faciem suae uxoris quia ly turpiter jam verificatur, cum actus sit impudicus cum quacumque persona, nec etiam si percutiat, dum reperit solum cum sola in loco suspecto accedentibus aliis circumstantiis suspicionem moventibus. Ita Suarez, et alii. V. Mulieres percutientes Clericum, vel Monachum pudicitiam suam facto tentantes, cit. Cap. *Si vero*, et Cap. *ex tenore* tit. eod. VI. Si Praelatus, Magister, vel Pater percutit Clericum causa correptionis moderate, Cap. *Cum voluntate* de sent. excomm., ita tamen, quod si Parentes, Magistri, et Propinqui sint Laici habeant solum jus corrigendi, et puniendi Clericos in minoribus constitutos, non autem in Sacris, et majoribus Ordinibus, uti expresse definitur in cit. Cap. *Cum voluntate*. Praelati autem, et Magistri possunt disciplinae intuitu verberare Clericos etiam in Majoribus Ordinibus constitutos Cap. Ex tenore de sent. excomm. Dummodo castigatio sit moderata, et ratione culpae, et personae, et percutientis, et percussae, et per alium clericum. Siquidem si sit percussio valde indecens, aut excessus sit notabilis, non excusantur a censura, uti colligitur ex Cap. cit. *Cum voluntate*, et ex Glossa R. Praelati, et R. Magistri. Sicut etiam si hoc peragunt per laicum, et non per clericum, aut monachum ex Cap. Universitatis vestrae de sent. Excomm. VII. Quando quis percutit Clericum degradatum realiter, vel alium, qui privilegium fori, et canonis amisit, vel quando quis percutit Clericum, qui contempto habitu clericali immiscuit se enormitatibus, Cap. unic. de vit., et honestat. Clericor., et Clement. I. tit. eod. Vel clericum uti laicum, incedentem, gestando militaria arma, quando, tertio monitus non resipiscit. Cap. In Audientia nostra tit. eod.

Q. Clericus percutiens seipsum, incurritne in aliquam poenam?

R. Incurrit in excommunicationem *Canonis*, dummodo faciat ex ira; quia licet talis percussio non sit violenta respectu Clerici voluntarie percussi, est tamen violenta, et injuriosa respectu status Clericalis. Nam iste canon non est pronuntiatus solum in favorem Clerici, sed etiam totius status Ecclesiastici, Cap. *Contingit* 36. de sent. excomm. et ex pluribus, uti Suarez, et Bonacina contra nonnullos. Etiam excommunicatus est, qui clericum consentientem in satisfactionem sui delicti percutit, *cum talis manuum injectio etsi non violenta, tamen injuriosa videtur*. Ita Cap. laud. *Contingit*, et Clericus permittens excommunicetur, ideoque incidit post sententiam.

Q. Qui percutit Clericum bigamum incurritne in Censuram?

R. Vel est bigamus bigamia vera, et interpretativa, et non incurrit, quia iste non gaudet privilegio Canonis Cap. unic. de bigam. in VI. Incurrit vero percutiens religiosum bigamum, quia hic nullo jure privilegio Canonis privatur, uti notat Sanchez. Vel est bigamus similitudinarius et incurrit; quia iste gaudet privilegio Canonis. Salmantic., Layman, aliique.

Q. Clericus percussor estne excommunicatus vitandus?

R. Maxime, quando est notorius notorietate juris, vel facti, hoc est, vel per sententiam Judicis, vel per confessionem rei in judicio factam: vel quia factum est ita notum majori parte viciniae ut non possit ullo modo ter-

Digitized by Google

giversari. Bonac., Layman, aliique: vel creditur brevi esse perventurum ad notitiam majoris partis.

Q. Quinam potest absolvere ab excommunicatione ob Clerici percussionem contracta?

R. Vel loquimur de excommunicatione contracta ob percussionem levem, et potest Episcopus absolvere, Cap. *Pervenit* 17. de sentent. excommun. vel loquimur de excommunicatione contracta ob percussionem gravem, vel enormem, et potest Summus Pontifex, cit. Can. *Si quis suadente etc.*

Q. Num detur casus, in quo Episcopus potest absolvere ab excommunicatione contracta ob percussionem gravem, vel enormem?

R. Maxime, et est quando percussio est occulta, et non deducta ad forum contentiosum, uti diserte habetur ex Trid. sess. 24 de Reform. Cap. *Liceat* 6. Haec facultas est revocata in decreto Alexandri VII., quod loquitur de confessariis privilegiatis, non de Episcopis. Licet alii contrarium sentiunt. Verum de hoc in explicatione casuum reservatorum.

Q. Num dentur casus, in quibus Episcopus potest absolvere ab excommunicatione ob publicam, et gravem percussionem contracta?

R. Maxime, et I. Est quando Ostiarius praetextu officii Clericum percutiat, modo tamen lethaliter non vulneravit, Cap. *Si vero* 3. de sent. excomm. II. Si clerici in communi societate viventes se mutuo percutiant, Cap. *Quoniam* de vit., et honest. III. Si Regularis percutiat Regularem ejusdem Claustri, a Praelato suo absolvi potest, Cap. *Monachi*, et Cap. *Cum illorum* §. *Si vero Claustralis* de sent. excommun. At si discretio Praelati non sufficiat ad correctionem, adhibendus est Episcopus Cap. 2. monachi de Sent. Excommu.

Q. An dentur casus, in quibus potest etiam Episcopus ab excommunicatione absolvere, ob publicam, et enormem percussionem contractam?

R. Maxime, et I. Est quando percussor in impubertate percussionem commisit, Cap. *Pueris* de sent. excomm. II. Quando est Monialis, et percutit aliam Monialem, vel Conversam, Cap. *De Monialibus*, *tit. eod.* aut Clericum saecularem. III. Quando percutiens est mulier, vel persona non sui juris, Cap. *Mulieres* tit. eod. IV. Quando est senex, vel valetudinarius seu membrorum destitutionibus impeditus, Cap. *Ea noscitur* tit. eod... V. Quando detinetur aliquo alio legitimo impedimento.

Nota. Circa haec omnia impedimenta observandum est, quod si sint perpetua, absolvi potest excommunicatus absolute, et sine onere se praesentandi; si vero sint temporalia, potest absolvi excommunicatus, sed dato juramento se praesentandi Apostolico conspectui, cessante impedimento. Cap. *Eos qui* de sent. excomm. in VI; et Cap. *De cetero* 11. tit. eod. Excipe tamen puerilem aetatem, seu impubertatem.

CAPUT IV.

De Suspensione

Q. Quid est suspensio, et quotuplex?

R. Est censura Ecclesiastica, qua Clericus prohibetur exercere aliquos actus Ecclesiasticos alias sibi competentes. Ita communiter.

Digitized by Google

Dividitur I. in suspensionem ab officio, in suspensionem a beneficio, et in suspensionem ab officio, et beneficio simul. *Suspensio ab officio* est, qua Clerico prohibetur exercitium suorum Ordinum, vel aliorum functionum ipsi ratione ordinis competentium. *Suspensio a beneficio* est qua Clericus prohibetur percipere fructus beneficii sui ecclesiastici. *Suspensio ab officio, et beneficio simul* est qua Clerico prohibentur jura utriusque, officii scilicet, et beneficii.

Dividitur II. in totalem, et partialem. *Totalis* est, qua omnino privatur ab omni officio Clericus, vel ab omnibus fructibus suorum beneficiorum, uti colligitur ex Cap. *Tuarum* de privileg., et Clemente. I. de decim. *Partialis* est, qua Clerico prohibetur aliquis tantum sui officii actus, uti si Sacerdos suspendatur solum ab excipiendis confessionibus, vel Episcopus a collatione Ordinum. Tamen advertendum, quod isti tales possunt omnes alios actus sibi competentes ratione Ordinis exercere, et quando aliquis est suspensus a beneficio, non intelligitur suspensus ab officio, uti colligitur ex Cap. *Tam litteris* 33. de testib; et Cap. *Tuarum* de privileg.

Dividitur III. in suspensionem a Jure, et ab homine: *Suspensiones ab homine* sunt, quae imponuntur ab homine, hoc est, a Superiore Ecclesiastico pro aliqua actione particulari, ut fiat, vel non fiat. *Suspensiones a jure* sunt, quae variis personis propter varia delicta in jure communi, et constitutionibus Apostolicis sunt impositae. De quibus confer Ferraris verbo *Suspensio*.

Tandem dividitur in perpetuam, et temporalem. *Perpetua* est, quae fertur sine determinatione temporis, *Temporalis*, quae fertur ad determinatum tempus.

Q. Quaenam differentia intercedit inter suspensionem, et excommunicationem?

R. Haec est, nam prima afficit solum Clericos, secunda Laicos, et Clericos. Prima non privat communione fidelium, secunda vero privat.

Q. Quotuplicis generis sunt Suspensi?

R. Duplicis generis, nempe vitandi, et tolerati. *Vitandi* dicuntur illi, qui tales sunt declarati per Judicis sententiam. *Tolerati* sunt, qui inciderunt in suspensionem, sed per sententiam non sunt declarati suspensi. Bonac.

Q. An suspensus ab ordine inferiori, sit etiam a superiori?

R. Maxime: nisi aliud exprimatur uti si sit suspensus ob ignorantiam caeremoniarum inferioris ordinis. Nam cui non licet minus, non licet majus. Hoc non valet de suspenso ab ordine superiori, qui potest exercere inferiorem, qui in superiori non fundatur.

Q. An suspensus ab ordine dicatur a jurisdictione suspensus?

R. Minime, nam potest iste talis exercere omnes actus jurisdictionis, qui actualem usum Ordinis non requirunt, ita ut Episcopus suspensus ab ordine, licet audire non possit confessiones, potest tamen absolvendi facultatem alteri praebere. Cajetan., Antoine, Layman.

Q. An suspensus a jurisdictione possit exercere actus sui Ordinis?

R. Potest actus sui ordinis exercere, qui jurisdictionem non requirunt. Hinc potest celebrare, non vero absolvere, ad quod requiritur jurisdictio. Ita cit. Doct. aliique.

Digitized by Google

Q. Num suspensus a beneficio amittat jus conferendi, aut eligendi, quod ipsi ratione beneficii competit?

R. Litigium est inter DD., probabilius tamen dicendum, quod non; nam collatio, et electio non sunt proprie fructus beneficii, quorum perceptio sibi interdicta est; quamobrem Canonis auctor cum ab utroque tam beneficio, quam jure eligendi suspendere vult, id ipsum exprimit, ut videre est in Cap. *Cum in cunctis*, §. ult. de elect. Si ergo in canone non exprimatur, non est facienda extensio in materia poenali. Bonac., Antoine.

Q. Peccatne suspensus, si extra territorium sui Praelati exerceat actum prohibitum?

R. Maxime, et quia contracta censura sequitur reum ubicumque sit, et quia est praeceptum personale, quod etiam extra territorium obligat personam. Ita DD. communiter.

Q. Num actus eliciti a suspenso valeant?

R. Vel sunt eliciti a suspenso *ab ordine*, et valent omnes actus Ordinis, quia sunt actus characteris, quos, licet Ecclesia possit prohibere non potest tamen eos annullare. Vel sunt eliciti a suspenso *a jurisdictione*, et valent etiam actus Ordinis, qui jurisdictionem non requirunt; nam si jurisdictionem requirunt, invalidos esse constat, quando sunt eliciti a suspenso vitando cum sit jurisdictione privatus, non vero a tolerato, quia ex Concilio Constantiensi gaudet jurisdictione toleratus. Salmantic.

Q. An violatores suspensionis incurrunt in aliquam poenam?

R. Vel sunt suspensi ab ordine, et exercent actum Ordinis Sacri eo modo, quo a Laicis exerceri non potest, et incurrunt Irregularitatem, Cap. *Medicinalis* de sent. excomm. in VI., et Cap. 1. de sent., et re judic. in VI. Vel sunt suspensi a jurisdictione, aut beneficio, et exercent actum officii sibi interdicti per suspensionem, aut se ingerunt in administrationem beneficii, et in hac hypothesi in nullam poenam incidunt, licet sunt puniendi arbitrio Judicis juxta delicti gravitatem. Ita communiter DD.

Not. Suspensus, si exerceat aliquem actum, graviter peccat, si materia est gravis, sed suspensus a beneficio, et officio incapax non evadit adquirendi beneficii Ecclesiastici, licet provisio ei facta sit illicita, sicuti constat ex Cap. *Cum dilectus* de consuet.; cum enim beneficium detur propter officium, non recte confertur ei, qui officium praestare non potest, Cap. ult. de Cleric. excomm. ministr., quin hujusmodi provisio esset irritanda.

Porro si suspensus a beneficio audeat se ingerere usurpando fructus beneficii ejusdem, graviter peccat, et tenetur ad restitutionem illorum ita tamen, quod si sint fructus distributionum quotidianarum ob assistentiam divinis Officiis, sunt restituendi iis, qui adstiterunt divinis Officiis: si vero sint fructus Praebendae, sunt restituendi Ecclesiae, vel pauperibus Cap. *Si quis deinceps* 17. q. 4. Imo se ingerendo, post hujusmodi suspensionem, in beneficii administrationem, ipsis beneficiis ipso jure est privatus, cap. 1. §. ult. de elect., etc. in VI.

Possunt tamen fideles communicare cum suspenso vitando in iis, in quibus est suspensus, quia nulla adest in jure prohibitio, et quia suspensio per se tali communione non privat. Ita Palaus, Salmanticenses, et alii (1).

(1) Quaeritur an incurrat irregularitatem Clericus exercens actum a quo suspen-

Digitized by Google

Q. Quibus modis tollitur suspensio?

R. Tribus modis I. Per lapsum temporis, uti si ob delictum praeteritum fuit emanata suspensio ad certum tempus. II. Per absolutionem. III. Per dispensationem, si suspensio lata fuerit propter peccatum praeteritum, tanquam pura poena, uti sunt quaedam irregularitates improprie dictae tales. IV. Per eventum conditionis, si lata fuit sub conditione. Layman, Antoine, Suarez, aliique.

Q. Quid est depositio?

R. Est poena ecclesiastica, per quam persona ecclesiastica ob enorme crimen removetur ab ordine, jurisdictione, vel beneficio in perpetuum, retento privilegio Fori, et Canonis.

Q. Quid est degradatio?

R. Est poena Ecclesiastica, qua Clericus ab omni officio, ac beneficio ecclesiastico depositus, Clericorum insuper privilegiis per solemnem sententiam in perpetuum, et sine spe restitutionis exuitur. Dicitur degradatio, quia per eam Clericus, quoad fieri potest, extra gradum, et statum Clericorum ejicitur, et redit in potestatem secularem. Confer. Cap. *Degradatio* 2. de poenis in VI.

Q. Quaenam differentia intercedit inter suspensionem, et degradationem?

R. Haec est, nam suspensio est censura, seu poena medicinalis, degradatio vero est poena vindicativa. Prima privat usu officii, et beneficii, et fructibus, secunda privat ipso jure officio, et beneficio. Bonac. (1).

sus est? Multae adsunt sententiae, sed illa quae mihi magis arridet cum *Ronc.* et aliis, sic distinguit: si suspensio imposita est per modum statuti, aut praecepti ob delictum futurum aut etiam praeteritum, sed habens tractum successivum, tunc reus incurrit juxta Cap. 1. de Sent. et jud. in VI. Secus autem si suspensio lata est per sententiam in punitionem delicti omnino praeteriti, quia tunc suspensio habet rationem meae poenae, non jam censurae: nam censura non potest imponi ob delicta omnino praeterita sicut diximus. *S. Ligorius Homo apost. Punct. IV. de Irregul. §. 64.*

(1) Depositio et degradatio non sunt censurae; sed sunt suspensioni similes; haec differentia tamen, quod illae auferunt jus radicale ad Beneficia et prohibent usum Ordinis in perpetuum, quod quidem non efficit suspensio. Depositio alia est venialis, et haec proprie dicitur depositio, quae relinquit privilegium Canonis, et Fori: alia est realis, et haec proprie dicitur Degradatio, quae privat exercitio Officiorum et privat Beneficiis et privilegio Canonis, et Fori, cum certa solemnitate, et ad semper, sine spe restitutionis. Dictum est, *exercitio*, quia Ordo non potest tolli; Unde degradatus tenetur ad votum castitatis jam emissum, et ad horas Canonicas, et invalide contraheret matrimonium. Degradatio non potest celebrari nisi ab Episcopo, sed depositio potest fieri etiam ab ejus Vicario: in depositione potest dispensare Episcopus, sed in degradatione solus Papa. Depositio non potest fieri nisi in casibus expressis in Jure, et in delictis atrocioribus, Degradatio autem fit tantum in criminibus gravissimis nempe haeresis manifestae, calumniae in proprium Episcopum, sodomiae frequentatae et similium. *S. Ligorius homo apost. loc. cit. §. 67.*

Digitized by Google

CAPUT V.

De Interdicto

Q. Quid est Interdictum?

R. Est censura ecclesiastica, per quam homo arcetur a participatione aliquorum Sacramentorum, omnium Divinorum officiorum, et Ecclesiastica sepultura. Ita colligitur ex Cap. *Non est nobis* de Sponsalib., et Matr., et Cap. *Quod in te* de poenit., et remiss.

Interdictum dividitur in *Locale*, *Personale*, et *Mixtum*, Cap. *Praesenti*, et Cap. *Civitas* de sent. excommunic. in VI. Primum est illud, quod immediate afficit locum, prohibendo, ne in eo sacrae functiones fiant. Secundum est, quod immediate afficit personam, prohibendo illi, ne Sacris intersit functionibus, aut Divinis adsistat Officiis. Tertium est, quod afficit locum, et personam, v. g. Civitatem, et ejus incolas.

Q. Quotuplex est Interdictum locale?

R. Duplex est, generale, et particulare. *Generale* est, quo interdicitur locus generaliter, hoc est locus varia sub se loca complectens, puta, Regnum, Provincia, Civitas, Cap. *Cum in patribus* de verbor. signif.. *Particulare* est, quo interdicitur locus unus particularis, puta Oppidum illa Ecclesia etc. Item personale duplex est, generale, et particulare, nempe si interdicitur aliqua persona particularis, dicitur *particulare*: si vero interdicitur aliqua communitas personarum, puta populus unius Provinciae, Civitatis, vel Capitulum, Conventus etc., et dicitur *generale*.

Q. Interdicta Civitate, dicunturne interdicta Suburbia?

R. Maxime, quamvis ad alienam jurisdictionem pertineant, et ratio est, quia si possint in Civitatis Suburbiis Divina celebrari, Interdicti sententia vilipenderetur, cum Cives ad illa de facili possent convolare, Cap. *Si Civitas* 17. de sent. excomm. in VI. Suarez, Avila, Bonac. At si sint interdicta Suburbia, non est interdicta Civitas.

Q. Interdicto populo intelligiturne interdictus Clerus?

R. Minime, imo nec extranei, qui ibi sunt negotiorum caussa, et e contrario interdicto Clero, non interdicitur populus, nec Religiosi, nisi, qui ratione officii pastoralis censentur de corpore Cleri secularis, quia nomine Cleri non intelliguntur Religiosi in odiosis, licet aliter sese res habeat in favorabilibus, Cap. *Si sententia* de sent. excomm. in VI.

Q. An Interdicta aliqua Communitate, interdicuntur singulae ejus personae?

R. Omnes interdicuntur tempore, quo ibi extant, etiam innocentes, quatenus sunt pars communitatis. Hinc, si innocentes desinunt esse membra illius, desinunt et esse interdicti, quod non est dicendum de nocentibus, cit. cap. *Si sententia.*

Q. Quinam sunt effectus Interdicti?

R. Sunt tres, scilicet, privatio usus activi, et passivi quorumdam Sacramentorum, privatio Divinorum Officiorum, et privatio sepulturae Ecclesiasticae, Cap. *Alma mater* 24. de sent. excomm. in VI.

Q. Quaenam Sacramenta possunt administrari tempore Interdicti?

Digitized by Google

R. Baptismus, et Confirmatio propter morae periculum licite tempore Interdicti administrantur non solum parvulis, sed etiam adultis, etiam cum solemnitate, ita etiam ob istam caussam potest fieri Catechismus, benedictio fontis, et in Coena Domini Chrismatis consecratio, Cap. *Responso* de sent. excomm., et Cap. *Quoniam* tit. eod. in VI.

Praeterea Sacramentum Poenitentiae potest ministrari omnibus, etiam sanis, solum iis exceptis, qui caussam dederunt Interdicto, vel sunt excommunicati, nisi de delicto satisfecerint, vel dederint cautionem juratoriam, cit. Cap. *Alma mater*, ita etiam sacramentum Eucharistiae potest ministrari iis, qui sunt in articulo, vel probabili periculo mortis, Cap. *Permittimus* de sent. excomm., et Cap. *Quid in te* de Poenitent., et remiss. etiam cum campanula, lumine, et fidelium comitatu. Ita Layman. Tamen advertе quod si sit administranda ei, qui caussam dedit Interdicto, vel est specialiter interdictus, exigenda erit supradicta cautio juratoria. Porro potest tempore interdicti licite celebrari Matrimonii Sacramentum, etiam a persona generaliter, atque adeo specialiter interdicta, uti docent permulti, quia Matrimonium essentialiter est contractus politicus, cui ratio Sacramenti est adnexa, atque accessoria. Glossa in cit. Cap. *Alma mater*, verb. *Sacramentis*. Et sicut licet tempore interdicti celebrare alios contractus, ita et matrimonium, quod ex Cap. *Cappellanus* de Feriis quocumque tempore potest celebrari. Nuptiae tamen benedici non possunt, quia interdictum removet ab assistentia divinorum officiorum. Ita DD. communiter.

Nota. Supradicta Sacramenta administrari non possunt in loco specialiter interdicto, neque personae specialiter interdictae, quia capitulum *Alma mater* tantum loquitur de interdicto generali. Vid., si lubet, Fagnan., et Gonzalez ad hunc titulum.

Q. An Sacramenta ista possunt administrari a Ministro interdicto personaliter?

R. Vel est generaliter interdictus, et potest, quia interdictum generale personale non plures effectus habet, quam locale. Hinc si in loco interdicto administrari illa possunt, possunt et a persona generaliter interdicta. Vel est specialiter interdictus, et non potest, quia quantum ad administrationem Sacramentorum interdictum personale speciale ob propriam culpam impositum aequiparatur excommunicato, Cap. *Clerici* de Cleric. excomm. minist. Verum si adest praesens alius Minister non interdictus, non potest se ingerere. Hoc idem dicendum de administratione interdictis personaliter.

Q. An clerici, qui non celebrant possint more laicorum Eucharistiam recipere, tempore interdicti generalis?

R. Dissidium est inter DD., tamen, nos sequimur affirmativam sententiam magis pietati consonam, quia Clericis conceditur, quod possunt celebrare tempore interdicti, et Missam audire cum circumstantiis statutis in cit. Cap. *Alma mater*. Hinc etiam ipsis conceditur, quod possunt Eucharistiam recipere, quia ex jure antiquo omnibus Missae interessentibus concedebatur Eucharistia, sicut et nunc etiam Ecclesia vehementer optat, ac cupit, ut qui Missae intersunt, Sacramentali etiam perceptione Eucharistiae sese spiritualiter reficiant, ac proinde tacite consulit omnibus adstantibus Sacrificio Eucharisticam Sacramenti perceptionem. Trid. sess. 22. Cap. 6. de Sacrif. Missae.

Digitized by Google

Q. An tempore interdicti fideles teneantur in Paschate adimplere praeceptum annuae communionis?

R. Tempore interdicti specialis non tenentur, cum hoc excommunicato aequiparatur. Tempore vero interdicti generalis Suarez cum aliis affirmat, cum tempore Paschatis sit concessum illis assistere divinis officiis, et propterea videtur concessa Eucharistiae sumptio. Negat vero Bonacina cum aliis, quia interdictum privat susceptione Eucharistiae, excepto tantum mortis articulo.

Q. An Sacramentum Extremae Unctionis possit tempore interdicti ministrari, vel suscipi?

R. Regulariter loquendo non potest, etiam interdictis generaliter sive laicis, sive Clericis, uti communiter DD. tenent ex Cap. *Quod in te* de poenit. et remis. Dixi *regulariter*, quia hoc Sacramentum potest administrari Religiosis, uti patet ex privilegiorum Minorum compendio, verb. *Extrema Unctio*. Salmantic. Verum, si infirmus alia Sacramenta non potest recipere, et tunc potest ministrari extrema unctio moribundo, quia Ecclesia non intendit negare tempore interdicti Sacramenta, quatenus sunt ad salutem necessaria. Hinc cum Extrema Unctio in ipso casu videatur, habere poenitentiae locum, et potest moribundo prodesse, sequitur, non esse negandam Layman, Antoine, Salmant., aliique, cum facere possint de attrito contritum.

Q. An possunt fieri divina officia tempore interdicti localis generalis?

Ante resp. notandum, quod nomine Divinorum Officiorum prohibitorum tempore interdicti intelliguntur publicum Sacrificium Missae, publica Horarum Canonicarum decantatio, quae ab Ecclesia instituta est. Processiones publicae, benedictiones publicae Templi, fontis baptismalis, etc., hoc notato:

R. Licet de jure antiquo fieri non possunt tum in loco specialiter, tum generaliter interdicto, Cap. *Permittimus* de sent. excomm., tamen ex cit. Cap. *Alma mater* hoc fuit limitatum, ita ut tempore Interdicti generalis possunt Clerici, et Religiosi Missas, et Divina Officia celebrare in Ecclesiis, ac Monasteriis, nec non Oratoriis privatis, cum non sint proprie Ecclesiae, ac Monasteria, de quibus loquitur Cap. *Alma mater*, sed januis clausis, non pulsatis campanis, nec tintinnabulo ad Sanctus, et elevationem hostiae, voce submissa, et exclusis personaliter interdictis, et iis qui dederunt caussam interdicto, cit. Cap. *Alma mater*, et *excommunicatis*.

Nota. Hoc privilegium est solum de interdicto locali generali, non vero de locali particulari, nec de personali etiam generali, nam in his nihil est immutatum in Cap. *Alma mater*, sed remanet rigor juris antiqui, cit. Cap. *Permittimus*.

Q. Potestne aliquando celebrari Missa in loco specialiter interdicto?

R. Maxime, et est quando debet confici, vel renovari Eucharistia pro infirmis, uti expresse colligitur ex cit. Cap. *Permittimus* de sentent. excommunic., ubi permittitur semel in hebdomada Missam celebrari ad conficiendum Corpus Domini, quod decedentibus in poenitentia non negatur.

Q. Quid faciendum, si specialiter interdictus praesumat adesse Divinis Officiis?

R. Ex cit. Cap. *Alma Mater* debent Ministri Ecclesiae cessare ab Offi-

Digitized by Google

cio, et si est Missa, et nondum est incoeptus Canon, debent ab Altari recedere; si autem inceptus est Canon, possunt usque ad sumptionem prosequi, deinde recedere, et cetera in sacristia perficere, verum iste talis graviter peccat, quia violat Ecclesiae praeceptum in re gravi. Antoine, Concina.

Q. Violatores interdicti praesumptuose incurruntne in aliquam poenam?

R. Incurrunt ipso facto excommunicationem Papae reservatam. Clement. *Gravis* 2. de sent. excommun.

Q. Quinam sunt casus, in quibus praesumptuose violatur interdictum?

R. Sunt plures, quorum I. Est quando dominus temporalis cogit Clericos ad non observandum interdictum. II Quando idem cogit pulsare campanas tempore, quo Divina Officia peraguntur, ad hoc, ut populus accedat, vel si accesserit populus, cogit, ne expellatur monitus. III. Quando interdictus, vel excommunicatus monitus exire ab Ecclesia, et non vult exire, cit. Clement. *Gravis.*

Not. Clerici, et Religiosi violantes simpliciter interdictum per actum Ordinis majoris incurrunt irregularitatem, Cap. *Is qui* §. ult., et Cap. *Is cui* de sentent. excomm. in VI. Tamen advertendum quod si Regulares tam exempti, quam non exempti violant interdictum generale locale, quod servatur ab Ecclesia Cathedrali, vel Parochiali incurrunt ipso facto excommunicationem, Clement. I. de sent. excomm.

Q. Num possint sepeliri in Ecclesia corpora defunctorum tempore interdicti?

R. Minime, quamvis sint infantes, vel amentes, Cap. *Quod in te* II. de Poenit., et remiss. Tamen excipiuntur Clerici non personaliter interdicti, nec dantes interdicto caussam, nec illud violantes pro ullo tempore, qui possunt sepeliri in loco sacro interdicto, sed sine cantu, et campanarum pulsu, nec specialiter cit. Cap. *Quod in te* II. Alii vero laici, qui non sunt personaliter interdicti efferri possunt extra locum interdictum, et in alio loco sacro non interdicto sepeliri, Cap. *Si sententia* de sent. excomm. in VI.

Q. Qui sepelit defunctum in loco interdicto, incurritne in aliquam poenam?

R. Sive sit locus, sive ipse defunctus specialiter interdictus, qui sepelit, incurrit excommunicationem Episcopo reservatam, Clement. I. de sepult.

Q. Num corpora defunctorum personaliter interdictorum sepulta in loco sacro sint exhumanda?

R. Maxime erunt exhumanda, et in locum profanum transferenda. Secus vero dicendum, si non fuerint personaliter interdicti, nam hoc non reperitur cautum in Jure: tamen habetur ex communi DD. sententia, quod corpora, quae fuerint sepulta tempore interdicti in loco non sacro, ad locum sacrum sint transferenda, sublato interdicto, modo non fuerint specialiter interdicti, nec caussam interdicto dederint. Layman, Antoine, aliique communiter.

Q. Quotuplici modo potest violari Interdictum?

R. Triplici modo, et I. Quando quis ligatus vinculo interdicti exercet functionem sui Ordinis, puta, administrat Sacramenta etc. II. Dum ipse non est interdictus, tamen administrat Sacramenta in loco interdicto. III. Dum nec ipse, nec locus est interdictus, tamen sacramenta administrat personae

Digitized by Google

interdictae. In primis duobus casibus contrahitur irregularitas, in ultimo vero, quia non est expressum in Jure, non fit irregularis, licet graviter peccent.

Q. Quinam habet facultatem absolvendi ab Interdicto?

R. Vel loquimur de Interdicto personali speciali, et potest quilibet Confessarius, modo non sit reservatum, satisfacta tamen parte, vel praestita cautione si satisfactio fieri non possit, quia hoc ipso, quod non reservatur, datur facultas absolvendi omnibus Confessariis, Cap. *Nuper* de sentent. excomm. ibi: *Quia Conditor Canonis ejus (hoc est censurae) absolutionem sibi specialiter non reservavit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi.* Vel loquimur de Interdicto personali generali, vel locali, et non potest tolli, nisi ab habente jurisdictionem in foro externo, quia est actus jurisdictionis contentiosae, Layman, Bonac., aliique.

Nota. Interdictum illius, qui dedit caussam Interdicto generali, intelligitur reservatum perinde ac generale. Item censetur etiam reservatum interdictum latum ab homine per sententiam particularem.

Q. In quibus Festivitatibus suspenditur Interdictum?

R. In quatuor praecipue Festivitatibus anni, scilicet, Nativitatis Domini, Paschae, Pentecostes, Assumptionis B. M. Virginis, cit. Cap. *Alma mater*, quibus ex concessione Mart. V., et Eugen. IV. additur Festum Sacratissimi Corporis Christi cum octava, et a Leone X. Festum Conceptionis B. M. V. cum octava; quod intelligendum est de Interdicto locali generali. Hic porro advertendum, quod in hisce Festivitatibus adsistere possunt etiam illi, qui sunt ex speciali interdicto innodati, etsi dederint caussam interdicto, modo isti non appropinquent Altari, nec veniant ad Offertorium, vel Communionem, tamen semper exclusis excommunicatis. Suarez, Bonac., aliique communiter.

Nota. Nomine Nativitatis, Paschatis non venit tota octava, sed tantum dies aliqui, qui dicuntur Nativitatis et Paschatis dies. Ita Glossa in Cap. *Alma Mater* verbo Assumptionis, et alii communiter.

CAPUT VI.

De Interdicto ab ingressu Ecclesiae

Istud interdictum aliud non est, nisi privatio exercitii Ordinis Sacri in Ecclesia, et sepulturae in ipsa, ejusque Coemeterio, et Divinorum Officiorum auditionis. Ita communiter.

Q. Num interdictus ab ingressu Ecclesiae possit celebrare in alio loco sacro.

R. Potest in aliquo Oratorio privato, quia non est interdictus ab ingressu cujuslibet loci sacri. Bonac. Layman.

Q. Num peccat, si ingrediatur Ecclesiam ad alium finem, et incidenter audiat Divina Officia?

R. Minime, quia per hoc interdictum privatur quis assistentia formali ad Divina Officia. Potest etiam recipere Sacramenta in Ecclesia, dum in ea non fiunt divina Officia, quia interdictum non privat usu Sacramentorum.

Q. Num violatores istius interdicti incidant in irregularitatem?

Digitized by Google

R. Vel violant per sacri Ordinis exercitium, et incidunt in irregularitatem, Cap. 45. *Cui* de sent. excomm. in VI., vel violant per auditionem Divinorum Officiorum, et in nullam poenam incidunt, licet graviter peccent, quia non violant censuram per actum ordinis sacri.

CAPUT VII.

De cessatione a Divinis

Q. Quid est cessatio a Divinis?

R. Est prohibitio ecclesiastica Clericis imposita, ut se abstineant a Divinis Officiis in aliquo loco propter gravissimam injuriam illi illatam, ut hac ratione injuriosus desistat, et Ecclesiae laesae satisfacere cogatur, ut colligitur ex Clement. I. de sentent. excomm.

Q. Quaenam differentia intercedit inter Interdictum, et cessationem a Divinis?

R. Haec est, nam primum semper afficit aliquam determinatam personam, seu illam, ob cujus culpam latum fuit, secunda nullam determinatam personam afficit, sed aeque omnes arcentur a Divinis in loco, ubi imponitur. Primum est censura, ideoque violatione illius contrahitur irregularitas, secunda non est censura; quare ob sui violationem non contrahitur Irregularitas, licet graviter peccetur.

Q. Quinam sunt effectus cessationis a Divinis?

R. Duo sunt, scilicet, privatio divinorum officiorum, et certorum Sacramentorum. Caussa, propter quam cessatio a divinis ferri potest juxta Layman, debet esse delictum gravissimum, et contumaciter perseverans adversus commune bonum Ecclesiae. Tempore cessationis a Divinis potest semel in hebdomada celebrari ad renovandam Eucharistiam pro infirmis, uti tenet Bonacina.

Q. Num Clerici possunt assistere tali celebrationi?

R. Minime, excepto Ministro. Nam sive sint laici, sive Clerici, non possunt assistere tali celebrationi, Cap. *Quod in te* de poenit. et remiss.

Q. Quibus Sacramentis privat cessatio a divinis?

R. Omnibus, excepto Baptismo, Poenitentia morientibus, et Eucharistia per modum Viatici. In quo est advertendum, quod Bonacina, Layman, et alii tenent, posse administrari omnia Sacramenta, quae possunt tempore Interdicti generalis ex benignitate Ecclesiae, et consuetudine, et auctoritate tantorum vivorum.

Q. An possit cessatio a Divinis suspendi, uti Interdictum, illis diebus Nativitatis, Paschae, etc.

R. Potest ratione consuetudinis, uti tenent Layman., Bonacin., aliique.

Not. Si aliquis violet cessationem a Divinis, licet graviter peccet, tamen irregularitatem non incurrit, quia ista non est poena medicinalis, sed mera prohibitio ad ostentationem doloris imposita, Ita communiter.

Q. Cessatio a divinis privatne etiam sepultura Ecclesiastica?

R. Minime, ideoque possunt sepeliri tam clerici, quam laici in loco sacro sine funebri officio, ita Layman cum aliis contra nonnullos, verum si cessatio supponat interdictum, tunc privat.

Digitized by Google

TRACTATUS XIII.

DE IRREGULARITATE

Q. Quid est Irregularitas?

R. Est impedimentum Canonicum impediens per se, et primario susceptionem Ordinum Ecclesiasticorum; et secundario administrationem, et usum eorumdem. Ita communiter.

Haec est differentia, quae intercedit inter irregularitatem, et suspensionem; nam prima tam in laicos, quam in Clericos cadit, imo magis in laicos, nam in iis primarium suum effectum exserit, atque exercet, reddendo eos inhabiles ad Ecclesiasticos Ordines. Secunda vero per se, et directe non impedit susceptionem Ordinis, sed potius usum Ordinis suscepti, ideoque cadit solum supra Clericos. Differt etiam Irregularitas a Degradatione, et Depositione, quia per primum non admittitur quis ad statum ecclesiasticum, per secundam ejicitur a statu Ecclesiastico.

Q. An Irregularitas imponi possit ab homine?

R. Minime, nam irregularitas a solo Jure universali Pontificio potest imponi. Ita Layman cum aliis, et sumitur ex Cap. cit. *Is qui*, et ratio est, quia sicut ministerium unum, et idem est in omni Ecclesia, ita et impedimentum removens a tali ministerio idem esse debet, quemadmodum, et eadem est, et ubique reverentia Sacro Ministerio debita.

Q. Irregularis, qui recipit tantum primam Tonsuram, peccetne graviter?

R. Graviter peccat, quia est res graviter prohibita, nam homo per eam vere constituitur in statu Clericali, ac beneficii, Ordinisque redditur capax, Cap. ult. de temporib. ordinat. in VI.

Q. Num irregularis possit exercere ea munera ecclesiastica, quae a laicis possint fieri?

R. Maxime, quia hoc non est prohibitum. Hinc potest in Ecclesia canere, ministrare Celebranti, Sacramenta recipere, excepta tamen Ordinatione. Layman, Bonac.

Q. Num peccet irregularis, qui exercet actum suae jurisdictionis sine actu Ordinis?

R. Minime, quia jurisdictione non est privatus. Hinc Parochus irregularis potest administrationem Sacramentorum delegare alteri, quamvis ipse non possit. Si vero exerceat jurisdictionem conjunctam cum actu Ordinis, valide sed illicite exercet, ut est absolvere a peccatis etc. Idem dicas de suspenso ab Ordine, et de eo, qui interdicto personaliter est ligatus, nam hi valide, licet illicite absolvunt a peccatis bona fide confitentes, verum irregularitatis nota illicite absolvunt a peccatis bona fide confitentes, verum irregularitatis nota innodantur, uti antea dictum est.

Q. Num irregularis Clericus ipso jure privatur fructibus, et administratione beneficii?

R. Minime, dummodo officium suum per Vicarium adimplere possit. De-

Digitized by Google

bet tamen privari beneficio a Judice, Cap. *Ex litteris* de excess. Praelat. Quin ipse sponte sua in conscientia tenetur beneficium resignare, quando dispensatio brevi tempore obtineri non possit, quia beneficium requirit officium suum. Layman.

Q. Num collatio beneficii facta irregulari sit valida?

R. Minime, ita ut provisus teneatur illud resignari, uti ex Tridentino sess. 24. cap. 3. de reformat. communiter colligunt Theologi. Inquit enim: *Nec illi aliqua Ecclesiastica beneficia conferri possunt*, quia beneficium datur propter officium. Sicut ergo irregularis est inhabilis ad officium, ita et ad beneficium, Cap. ult. de Rescript. in VI. Non desunt tamen, qui tenent talem collationem non esse ipso jure irritam, sed irritandam, quam sententiam tuetur Layman, sed improbabiliter.

Q. Quotuplicis generis sunt irregularitates?

R. Duplicis, scilicet *ex delicto*, *et ex defectu*. Prima non contrahitur, nisi ex culpa mortali, secunda contrahitur absque culpa. Tamen advertendum, quod ut irregularitas ex delicto contrahatur requiritur actus externus consumatus, Cap. *Si quis non iratus* 15. qu. 1., quia irregularitas nunquam incurritur, nisi sit in jure expressa, Cap. *Is qui* de Sent. excomm. in VI. Species irregularitatis ex delicto sunt quinque. Prima ex homicidio illicite patrato contrahitur: adde, atque etiam ex mutilatione. Secunda ex iteratione Baptismi. Tertia ex indebita susceptione, aut usu Ordinis. Quarta ex actu infidelitatis, aut haeresis. Ultima ex infamia. Quibus etiam est adjicienda irregularitas ex violatione censurae.

Species irregularitatis ex defectu sunt septem. Prima contrahitur ex defectu Sacramenti, scilicet bigamiae. Secunda ex defectu perfectae lenitatis. Tertia ex defectu corporis. Quarta ex defectu Animae. Quinta ex defectu libertatis. Sexta ex defectu natalium. Ultima ex defectu aetatis.

Q. An ignorantia invincibilis solius irregularitatis ab eo excuset?

R. Minime, etiamsi sit ex delicto, cum non sit poena medicinalis ad emendationem, sed quaedam inhabilitas a Jure ob reverentiam sacris ministeriis debitam. Ita DD. comm. (1).

(1) Quaeritur 1. an ad incurrendam irregularitatem requiratur scientia legis ecclesiasticae prohibentis? Sententia probabilior, et communissima (contra *Suar. Azor. Holzm., et Felin.*) affirmat cum *S. Antonin. Ronc. Castrop. Navar. Silv. Sanch. et Salmant.* cum multis aliis, quia talis irregularitas habet rationem poenae, et cum sit poena requiritur scientia saltem legis prohibentis. Et hoc probatur ex *Cap. Proposuisti Dist. 42.* ubi Innoc. I. decrevit non deponendos fore quosdam Clericos incontinentes, quia ignorabant constitutionem Siricii: unde *Castrop. Viva et Salm.* cum aliis affirmant, quod si quis etiam ignoraret homicidio affixam esse irregularitatem et homicidium committeret, non fieret irregularis, non ratione delicti, quia requiritur scientia: non ratione defectus, hanc enim incurrunt tantum ministri justitiae vel cognitionis, vel executionis. Nihilominus quoad homicidium, sententia satis probabilis, et tenenda est, quod incurrit, quia haec irregularitas non tantum respicit delictum, aut defectum, sed etiam indecentiam quae postulat ne admittatur ad sacrificandum in Altari Dei Agnum mansuetissimum per manus ministri saevi et crudelis, ideoque Trid. *sess. 14.* antequam reservet irregularitatem ex homicidio adducit rationem quod repellendus est ab Altari homicida: *Cum etiam* (sunt verba Trid. mutuata a *Cap. 21. Exod.*) *qui per industriam occiderit proximum suum, ab Altari evelli debeat.* Quis non videt Concilium ostendere ipsiusmet naturae legem

Digitized by Google

CAPUT I.

De irregularitate ex homicidio illicite patrato contracta

Q. Ex quo homicidio contrahitur irregularitas?

R. Ex homicidio directe voluntario, ex homicidio indirecte voluntario, sive mixte casuali, et etiam ex homicidio dubio. Ita ex cit. tit. de homicidio, et ex Trid. sess. 24. Cap. 6. de reform.

Q. Ut homicidium dicatur directe voluntarium quid requiritur?

R. Requiritur, vel ut homicidium committatur cum expressa, directa, et spontanea voluntate occidendi, vel cum directa oppositione causae homicidii cum morte inseparabiliter conjuncta, ita ut impossibile sit velle causam, et non mortem, uti est porrectio veneni.

Q. Num requiratur, ut sequatur mors ad contrahendam hanc irregularitatem?

R. Maxime, quia in Jure non assignatur irregularitas propter conatum, aut attentionem occidendi, sed propter homicidium. Bonacina, Layman, Suarez, Salmanticenses.

Q. An tantum occisores incurrant hanc irregularitatem?

R. Non tantum occisores incurrunt, sed etiam mandantes, consulentes, auxilium praestantes, et cooperantes, Cap. *Si quis viduam* dist. 50. De mandante, consentiente, et consulente, constat praeterea ex cap. *Sicut dignum* de homicid., atque ex Cap. ult. de homicid. in IV. Quia sunt causa directa moralis mortis, et consentientes, et cooperantes efficaciter influunt in homicidium ex Cap. *Sicut dignum* de homicidio. Unde si plures de communi consensu conspiraverint in mortem alicujus, et si ab uno tantum sit occisus; nec sciatur a quo sit ictus inflictus, sunt omnes irregulares, Cap. *Significasti* §. *Quod si* de homicid. Tamen advertendum, quod per ratihabitionem non incurritur irregularitas, quia ratihabitio non influit in homicidium jam commissum. Layman, Bonac., et alii, nec hoc expressum est in jure.

Q. An furiosus, vel infans, vel dormiens, qui hominem occidit, incurrat hanc irregularitatem?

expostulare hujusmodi ministros etiam per vim expellendos esse ab Altari? Hoc non obstante non audeo reprobare sententiam oppositam, dum hic casus non est expressus in jure.

Quaeritur 2. an ultra scientiam prohibitionis ecclesiasticae requiratur scientia irregularitatis? Duplex est sententia: prima est *Saur. Laym. Croix. Tournel. Ponc. Sot. Vasq. etc.* quae negat quia irregularitas non est poena medicinalis sed inhabilitas sive poena mere punitiva quare sufficit ut talis poena sit imposita a lege illi actui, et ut reus scienter et culpabiliter illum patraverit. Secunda sententia etiam probabilis affirmat, nam irregularitas ex delicto cum sit vera poena, et extraordinaria, ideoque cum praevideri non possit ac praecognosci solet saltem in confuso poena ordinaria non censetur Ecclesia tanto rigore velle ignorantiam punire; et sic tenent *Silvest. Sanch. Ronc. Boss. Coninch Sayrus, Cornejus, Rodriquez et Salmant.*; putant probabilem hanc sententiam aeque ac primam; et P. *Suarez* etiam probabilem vocat. *S. Ligorius Tract. XIX. de Irreg. Punct. III. §. 81, et seq.*

Digitized by Google

R. Minime, quia non habetur delictum, uti patet ex Trid. de homicid. volunt., vel casuali, atque certo certius constat ex Clement. *Si furiosus* de homicid. et ex Cap. unic. de homicidio voluntario, vel casuali.

Q. Num incidat in hanc irregularitatem qui dedit mandatum ad verberandum, expresse prohibendo Executori mortem, vel mutilationem, secuta morte, vel mutilatione ex tali verberatione?

R. Maxime, quia debebat praevidere fore secuturum homicidium, ac proinde homicidium est ei indirecte voluntarium, Cap. *Is qui* de homicid. in VI. Porro fit irregularis ille, qui tenetur ex officio impedire homicidium, et non impedit. arg. Cap. *Sicut*, § *Illi etiam* de homic., quia censetur causa moralis homicidii, ita etiam fit irregularis, qui procurat abortum foetus animati, et sequitur effectus, Cap. *Sicut ex litterarum* de homic.

Q. Quinam potest dispensare in irregularitate contracta ob homicidium voluntarium?

R. Solus Summus Pontifex, non autem Episcopus, etiamsi sit occultum homicidium, sicuti constat ex Trident. sess. 24. Cap. 6. de reform., ubi a facultate dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, excipitur homicidium voluntarium.

Q. An per Baptismum tollatur haec irregularitas?

R. Maxime, quia sicut per Baptismum omnis culpa tollitur, ita et omnis poena propter culpam contracta, cit Cap. *Si qui viduam*. Salmanticenses, et alii communiter. Tamen advertendum, quod irregularitas ex defectu non tollitur per Baptismum, cum sit mera inhabilitas, excepta irregularitate ex defectu perfectae lenitatis.

Q. An ob homicidium casuale contrahatur irregularitas?

Ante resp. nota. Homicidium casuale est illud, quod praeter voluntatem et intentionem occisoris contingit, quod dupliciter haberi potest I. Si nec directe, nec indirecte ad occisionem Occisor concurrat, quod est pure casuale. II. Si occisor operam daret actioni, ex qua timebat secuturum esse homicidium, vel mutilationem, vel poterat praevidere, quod est mixte casuale, hoc notato:

R. Ob homicidium primo modo habitum non contrahitur irregularitas, quia non habetur culpa. Ob homicidium vero secundo modo habitum irregularitas contrahitur, quia licet expresse Occisor noluerit homicidium, tamen in causa, et implicite videtur illud voluisse, ideoque juste evadit irregularis.

Q. An fit irregularis, qui dat operam rei licitae, si ex illa homicidium sequatur?

R. Vel adhibet sufficientem diligentiam, et dico non fieri irregularem, quia in tali casu nulla habetur culpa, Cap. *Dilectus*. et Cap. *Exhibita* de homic. Et ex Cap. *Ex litteris* 15. de homicidio. Vel non adhibet sufficientem diligentiam, et dico fieri irregularem, quia, negligenter se habet in praecavendo homicidium, indirecte vult illud in causa, ideoque illud homicidium, indirecte dicitur voluntarium, Cap. *Hi, qui arborem* dist. 50. *Si vero aliqua culpa eorum, vel neglectu morientis hominis interitus cognoscitur advenisse, abjiciendi sunt e gradu, et in sacro Ordine nullatenus suscipiendi:* et ex Cap. *Presbyterum* 7. de homicid. habetur, quod Magister, qui intuitu disciplinae puerum verberavit in capite, licet rei licitae operam vacaret, irre-

Digitized by Google

gularis fiat, si puer ex illa percussione interiisset; quia fuerat graviter negligens (1).

R. *An fit irregularis ille qui dat operam rei illicitae, ex qua sequitur homicidium?*

R. Vel dat operam rei illicitae, quae per se est periculosa, et inducens ad mortem, uti Clericus pugnans in bello et fit irregularis, etiamsi adhibeat diligentiam, quia censetur moraliter voluisse homicidium, Cap. *Suscepimus*, et Cap. *De cetero* de homic., atque expressius, atque apertius hoc ipsum decernitur in Cap. *Tua nos* de homic., et in Cap. *Sicut litterarum* tit. eod., nec non in Cap. ult. de homic. in VI. Vel dat operam rei illicitae, quae nullum continet periculum mortis uti pulsare campanas tempore interdicti, et tunc si adhibuit diligentiam ad praecavendum homicidium, non fit irregularis, quia accidit homicidium sine sua culpa, si vero non adhibuit diligentiam, fit irregularis, quia homicidium fuit culpabile, et directe voluntarium. Bonac., aliique.

Q. Quinam potest dispensare in irregularitate proveniente ex homicidio casuali mixto?

R. Solum Summus Pontifex, si delictum sit pubblicum, nam si sit occultum ex Trid. loc. cit. potest Episcopus dispensare. Et etiam ex Palao cum aliis, pro receptione Ordinum minorum, et pro beneficiis simplicibus, quamvis homicidium sit notorium.

(1) Illud heic advertendum quod negligentia debet esse culpabilis moraliter, ut comm. DD. et probatur ex Cap. *Quaesitum de Poenit. et Rem.* et ex Cap. fin. *de Homicid.* Vide dicta n. 81. Hinc infertur non esse irregularem 1. Magistrum qui moderate verberat discipulum, et patrem qui verberat filium, si casu accidat mors; secus vero si excederet graviter, Cap. *Presbyterum*, et Cap. fin. *de Homicid.* 2. Qui equitando equum ferocem, casu puerum occidit, Cap. *Dilectus et Homic.* 3. Qui animal ferox caute custoditum tenet si illud casu fugit, et aliquem necat; secus si illud in via teneret, aut sua negligentia fugeret, *Salm.* cum aliis. 4. Qui tectum reficiens postquam viam praetergredientes admonuerit tabulas aut lapides projiceret: *Salm. etc.* 5. Qui bona fide infirmo aliquid cibi vel potus praeberet, aut si ab uno ad alium lectum eum transferret, aut eum volveret etc. et infirmus decederet; ita communiter omnes. 6. Si Sacerdos jubet incisionem alicujus membri jam a Medico praescriptam modo illam non faciat per se ipsum, *Cabass. Imo, Conc.* excusat Clericum qui Chirurgum coadjuvat ad membri incisionem. Et *Navar. et Covar.* (*et Salm.* putat probabile) dicunt non esse hunc irregularem, licet in animo habeat, ut infirmus cito deficiat; quia licet peccatum mortale adsit, deest tamen actio externa graviter injusta. Ego autem subjungo modo adhibeatur diligentia ad vitandam mortem. Medicus, si casu e vivis decedit infirmus ob farmacum ei praestitum. Cap. *Ad aures de Ætat. et quod Ord.* Et hoc procedit etiamsi esset Clericus vel Monachus: modo 1. sit peritus aut bona fide id faciat praebendo aliquid infirmo in remedium, aut levamen. 2. Si est Clericus, modo medeatur sine incisione vel adustione Cap. *Sententiam de Cler. vel Monac.* et si non obstante incisione, aut adustione infirmus vi mali aut ob aliam causam obiret eum ab irregularitate excusant *Castr. et Salm.* cum aliis. Immo communiter dicunt. *Castrop. Tourn. et Salm.* cum multis aliis, quod si nullus alius peritus adesset, poterit tunc Clericus, vel Monachus sine peccato et ab irregularitate immunis incisionem facere et ignem adplicare. Et etiamsi Clericus esset Beneficiatus si incisionem aut adustionem sine necessitate adhiberet, non censetur irregularis juxta sententiam veriorem *Tourn. cum Pontas Giball. Bonac. et Mol.* (contra *Nav. et Panorum*) quia in Cap. *Sententiam* fit mentio de solis Clericis in Sacris. *S. Ligorius loc. cit. Punet. IV. §. 103.*

Digitized by Google

Q. An fit irregularis ille, qui alterius membrum mutilat?

R. Maxime, modo sit injusta, et voluntaria mutilatio, cit. Clement. unic. *Si furiosus* de homic. Tamen advertendum, quod mandantes, consulentes, auxilium praestantes ad mutilationem, secuta mutilatione, etiam irregulares fiunt, quia Jura can. cit. loquuntur pariter de mutilatore, non secus ac de Occisore, et mutilatio, et occisio in jure aequiparantur.

Nota. Mutilatio est abscissio membri. Membrum autem proprie est illa pars corporis, quae proprium habet officium distinctum ab aliis partibus, uti est manus, pes, oculus etc., Cap. *In Archiepiscopatu de Raptor.* et Cap. final. dist. 55. Hinc abscissio digiti, cartilaginis, aurium, modo maneat auditus organum, excussio dentis etc., non est sufficiens mutilatio ad inducendam irregularitatem, Glossa in cit. Clement. *Si furiosus*. Tamen irregulares evadunt mutilantes seipsos, aut mutilationem sine justa causa procurantes in quacumque parte sui corporis, licet non videatur sufficere ad mutilationem proprie dictam; quia in hac re non mutilationem, sed saevitiam in semetipsum exercitam punire intendunt, cap. *Si quis abscidit*, et Cap. *Hi, qui se* dist. 55. At non fiunt irregulares, qui mutilationem patiuntur ignoranter, vel invite, vel ad gravius malum evitandum corporis de consilio Medicorum; quia non habetur perversa voluntas, et saevitia in seipsum, Cap. *Si quis a Medicis* dist. 55., et Cap. 3. et 5. de corp. vitiat.

Q. Quinam potest dispensare in hac irregularitate?

R. Summus Pontifex, si sit publica, si vero sit occulta Episcopus. Trid. loc. cit.

CAPUT II.

De irregularitate ex iteratione Baptismi

Q. Quinam fiunt irregulares per iterationem Baptismi?

R. Rebaptizatus scienter, Cap. *Confirmatum* qu. 5o. Minister, seu Acolythus, Cap. *Ex litterarum* de Apostatis, et reit. bapt., et rebaptizans; et licet Minister non sit in jure expressus, omnes tamen Doctores, nemine dempto, testantur, etiam istum incurrere in irregularitatem, et colligunt ex cit. Cap. *Ex litterarum*, nam si Acolytho assistenti ministerio rebaptizationis, irregularitas imponitur, multo magis ipsi Ministro eam exercenti.

Q. Quinam est effectus hujusce irregularitatis?

R. Quoad Ministrum, et Acolythum ascensum impedire ad alios superiores ordines; ita ut in susceptis possint isti tales ministrare; quia in dictis juribus solum ascensus ad alios ordines assignatur pro effectu praedictae irregularitatis, unde haec irregularitas, quantum ad praedictas personas non totalis sed partialis est. Secus vero se res habet in rebaptizato scienter, quia in ipso irregularitas est totalis.

Q. Utrum rebaptizatus, vel rebaptizans in occulto contrahat irregularitatem?

R. Adest dissidium inter Theologos, et Canonistas, nam aliqui affirmant, quia jura non distinguunt inter eum, qui in occulto vel publice rebaptizat, aut rebaptizatur, sed absolute loquuntur; alii vero uti Salmantic., aliique negant, quia in cit. Cap. *Ex litterarum*, ubi de Acolytho rebaptizanti ministrante haec habentur: *Ad superiores Ordines promoveri, si publicum*

Digitized by Google

est, quod proponitur, non valebit, nisi ad religionem transire voluerit, si vero occultum fuerit promoveri poterit, quod ad rebaptizantem quoque extendunt.

Q. An qui ex gravi metu rebaptizat, vel rebaptizatur fiat irregularis?

R. Quum rebaptizans servat materiam, et formam essentialem sacramenti, et ritum externum serio non joco, vero non repraesentative, modo sacro non profano, ratione religiosa non indifferenti, ex sententia gravium Theologorum vere baptizat. Proinde quamvis in efficaci voluntate aliud intendat, validus et Baptismus, et minister est irregularis.

Q. Quinam potest dispensare in hac irregularitate?

R. Summus Pontifex si sit publica, Episcopus si sit occulta ut patet ex Trid. sess. 24. de Reform. Cap. 6. Tamen advertendum, quod ut dicatur publica, non sufficit, ut secundus Baptismus publice fiat, sed ut primus etiam sit publicus, ideoque requiritur, ut rebaptizatio cadat super Baptismum publicum jam habitum. Palaus, ceterique communiter.

Q. An ex aliqua indigna susceptione Baptismi contrahatur irregularitas?

R. Maxime, et quidem in duplici casu, I. Quando ab haeretico sic declarato libere, et absque ulla necessitate Baptismus recipitur, Cap. *Eos qui* de Consecr. ,et Cap. *Afros* dist. 98. II. Quando quis usque ad infirmitatem et mortis periculum receptionem Baptismi differt, Cap. unic. *Si quis in aegritudine* dist. 57., quia non praesumitur in ea perfecta fides, et voluntaria. In qua irregularitate potest Episcopus dispensare,quando delictum est occultum,etiam quando est publicum,et adest ministrorum necessitas,vel si post Baptismum susceptum, vitam inculpabilem, et exemplarem aliquo tempore se duxisse compertum sit, itaut possit cessare suspicio de infirma fide.

Q. Num Neophytus possit ascendere ad Ecclesiasticos Ordines sine dispensatione?

R. Minime, quia in fide adhuc novitius est, et non est recte instructus, imo nec satis in constantia fidei probatus. Et Suarez ait spectare ad Episcopum declarare, considerata qualitate personae, aut temporis intervallo, esse transactum statum Neophyti, aliter ex Concil. Nicaeno, dispensatio spectat ad Pontificem.

CAPUT III.

De irregularitate ex violatione censurae

Ligatus majori excommunicatione, suspensione ab ordine, vel interdicto, etiamsi sit occultus, et toleratus, incurrit irregularitatem, exercendo solemniter, vel ex officio actus majoris Ordinis, Cap. *Si quis Episcopus* II. qu. 3.,Cap. *is qui*, et Cap. *Is cui* de sentent. excomm. in VI., dummodo non excusetur ratione necessitatis, scandali vitandi, ignorantiae invincibilis, inadvertentiae. Ita ex cit. Cap. *Is, cui etc.*

Q. Ad hanc contrahendam irregularitatem, quid requiritur?

R. Requiritur, ut censuratus exerceat actus majoris Ordinis, nam si exercet actus Ordinis minoris, non incurrit hanc irregularitatem, quia in citato Cap. *Si quis Episcopus* sermo habetur solum de Ordinibus majoribus.

Praeterea requiritur culpa mortalis itaut ignorantia si non sit crassa, ab hac irregularitate liberat, Cap. *Apostolicae* de Cleric. excomm. ministr.

Digitized by Google

Q. Quid si sit censuratus toleratus, et est petitus a fidelibus ad Ordinem majorem exercendum?

R. Non incurrit irregularitatem, dummodo se disponat per poenitentiam. Layman, aliique.

Q. Num incurrat hanc irregularitatem, qui praestat ea quae solius jurisdictionis sunt?

R. Minime, cum hoc non sit expressum in Jure. Hinc Episcopus potest, licet illicite, ab excommunicatione absolvere, omissa tamen solemnitate stolae ac precum. Layman.

Q. Inciditne in irregularitatem, qui ligatus censura canit lectiones, vel responsoria?

R. Minime, dummodo omittat *Dominus vobiscum* aliter incidit, cum sit actus Ordinis Presbyteratus, et Diaconatus adnexus.

Q. Num incidat in irregularitatem, qui celebrat in loco interdicto generali, et non observat ea, quae statuuntur in Cap. Alma Mater?

R. Maxime, quia jure antiquo simpliciter erat prohibitum Clericis celebrare in loco interdicto sub poena irregularitatis, quod fuit mutatum a Cap. *Alma mater*, non simpliciter, sed cum moderationibus. Quare, qui praescriptas moderationes non servat, praeter alias poenas, fit etiam irregularis.

Q. Num irregularis qui exercet actum Ordinis majoris, in aliam irregularitatem incidat?

R. Minime, licet graviter peccat, quatenus, facit contra praeceptum Ecclesiae in re gravi, nam haec poena non assignatur in Jure, Bonacina (1).

Q. Quinam potest dispensare in hac irregularitate?

R. Summus Pontifex, si sit publica, Episcopus, si sit occulta.

CAPUT IV.

De irregularitate ex illicita Ordinum susceptione

Q. Num qui furtive ordinatur, hanc irregularitatem incurrat?

R. Maxime, ideoque non potest ascendere ad alios Ordines, ut apparet ex tit. *De eo, qui furtive ordines suscipit*, unde partialis est haec irregularitas.

(1) Ex S. Ligorio advertendum quod non fieret irregularis qui sola excommunicatione mincre ligatus esset. Cap. *Si celebrat, de Cler. exc. min.* Nec qui exercet minores Ordines etiam solemniter: *Laym. Navar. Salm. etc.* de hoc non amplius videtur dubitandum post Bullam. *Etsi Pastoralis.* Bened. XIV (in tom. 1.) de Dogm. et Rit. ab Italo-Graecis etc. ubi §. 7. n. 9. dicitur: *Promoti ad primam Tonsuram vel ad alium quemcumque Ordinem sine Dimissoriis etc. suspensi sunt, et si suspensi in sacris ordinibus ministraverint efficiuntur irregulares sicut Latini.* Nec qui concionatur, nec qui exercet actus jurisdictionis nempe excommunicandi. Confessarios approbandi, Beneficia conferendi, assistendi, aut licentiam assistendi matrimonio alteri dandi. Officium cantandi aut vota dispensandi. Nec sit irregularis qui celebrat in Ecclesia polluta, sit autem qui in interdicta celebrat. *C. Is qui de sent. excomm. in VI.* Contra advertendum, quod Episcopus aut alius sacerdos qui cogeret censuratum ad celebrandum fieret irregularis *C. illud de Cler. excomm. min.* Sed ab ipsa possunt dispensare Praelati Regulares, licet esset publica; et etiam cum saecularibus ex privilegio Martini V. Julii II. *loc. cit. Punc. IV. §. 89.*

Digitized by Google

Q. Num ille, qui eodem die recipit duos Ordines sacros, incidat in irregularitatem?

R. Maxime, uti patet ex Cap. *Innotuit* 3, de eo qui furt., et Cap. *Litteras* de tempor. Ordination., quae irregularitas dicitur proprie a Salmanticensibus Suspensio. Ita etiam incurrit irregularitatem, qui post matrimonium contractum nondum consumatum recipit Ordines sacros, contradicente uxore, Extrav. *Antiquae concertationi* de vo. et vot. redempt.

Q. Num Clericus ministrans in Ordine, quem non habet, incurrat irregularitatem?

R. Maxime, uti patet. ex Cap. 1; et 2. de Cleric. non ordin. ministr. Hinc Diaconus nuptias benedicens solemniter, vel aquam, aut etiam si solemniter baptizet absque Sacerdotis commissione fit irregularis, quia exercet officium Sacerdotis, Cap. *Aquam sale* 20. de Consecr. dist. 3.

Notant Doctores communiter quod ad incurrendam hanc irregularitatem, requiratur, ut Clericus scienter, serio. ac solemniter, et tanquam ex officio exerceat actum Ordinis, quem non habet; et illum actum, quem secundum consuetudinem et institutionem Ecclesiae non possit exercere ille, qui tali Ordine caret. Hinc si Clericus non in Sacris constitutus canat Epistolam absque manipulo, irregularitatem non incurrit, cum id non faciat solemniter, atque ex officio.

Q. Num Clericus, qui est suspensus ab Ordine, vel interdictus, incurrat irregularitatem, si ascendat ad Ordines majores?

R. Adest litigium inter DD. Bonacina tamen, aliique tenent non incurrere, quia haec non est expressa in Jure, nec susceptio Ordinis est Ordinis exercitium A qua Doctrina excipitur excommunicatus excommunicatione majori, qui recipit Ordines sacros, eo quia jura tantum de isto loquuntur. Suarez, Bonac., aliique.

Nota. Dantur aliae receptiones Ordinum illegitimae, ac fortuitae, ob quas aliqui putant contrahi irregularitatem; vere tamen juxta Salmanticenses, aliosque suspensionem inducunt, uti est qui ordinatur ante legitimam aetatem, vel extra tempora a jure statuta, cap. *Dilectus* de temp. ordinat., vel per saltum, Cap. *Sollicitudo* dist. 52., furtivo titulo; vel si ordinetur ab Episcopo excommunicato, suspenso, haeretico, etc.: Cap. *Cum Clerici* 2. de ordinat. ab Episcopo qui renuntiavit Episcopatui, et Cap. *Statuimus decretum* 1. qu. 1.

Q. Num laicus actum proprium Ordinis, v. g. solemniter baptismi administrationem exercens, fiat irregularis?

R. Dissidium est inter DD. Alii affirmant cum D. Antonino, nam in Cap. I. de Cleric. non ordin. ministr. dicitur generatim: *Si quis baptizaverit, aut aliquod Divinum officium exercuerit, non ordinatus, propter temeritatem abjiciatur de Ecclesia, et numquam ordinetur.* Item ex majori ratione, nam indecentius est, ordinem exerceri a laico, quam exerceri a Clerico tali ordine destituto. Alii vero negant; nam non videtur in jure expressum, et in poenis stricta facienda est interpretatio. Textus autem depromptus ex laudato Cap. I. licet generaliter loqui videatur, intelligendus tamen erit, atque restringendus juxta rubricam in titulo propositam *de Clerico non ordinato ministrante.* Vid. Ferrar. verb. *Irregularitas.*

Q. Quinam potest dispensare in hac irregularitate?

Digitized by Google

R. In irregularitate contracta ex furtiva Ordinum susceptione potest Episcopus, si delictum sit occultum. Ex Trid. loc. cit. Si vero sit publicum potest etiam dispensare, nisi Episcopus sub poena excommunicationis ante ordinationem praeceperit, ut nemo furtive accederet ad sacros Ordines; nam tunc non potest Episcopus dispensare, sed recurrendum est ad Summum Pontificem. Excipitur tamen casus, in quo sic Ordinatus ingreditur Religionem, et in ea laudabiliter vivit; nam in isto potest dispensare Episcopus, Cap. *Veniens ad nos* de eo, qui furt. etc. Dicitur tamen furtive ordinatus, qui ignorante Episcopo per dolum ordinationi se ingerit.

In irregularitate contracta ob susceptionem Ordinum post matrimonium ratum, contradicente uxore non potest Episcopus, si delictum sit publicum, etiam soluto matrimonio, nisi in Religione approbata profiteatur, cit. Extrav. *Antiq. etc.*

In irregularitate contracta ob usurpationem Ordinum, si delictum sit publicum, non potest Episcopus dispensare, ut ad alios Ordines ascendat, sed solum potest dispensare, ut in susceptis ministret, Cap. *Ex litteris* 2. de Cleric. non ordin. ministrant.

CAPUT V.

De irregularitate contracta ratione infamiae

Q. Quid, et quotuplex est infamia?

R. Est privatio bonae famae. Duplex est, *infamia juris, et infamia facti*. Prima est illa, quae imponitur a Jure sive Canonico, sive Civili. Secunda est publica notitia commissi criminis, per quod fama hominis, spectata personae qualitate, et statu, apud prudentes viros graviter laeditur, licet per leges illud crimen non notetur infamia, uti si Clericus sit ebriosus etc.

Q. Quotuplex est infamia juris?

R. Duplex est, una, quae contrahitur ante Judicis sententiam statim post patratum publice crimen, cui ex Juris constitutione adnexa est infamia. Alia, quae contrahitur post sententiam Judicis declaratoriam infamiae ex aliquo delicto contractae.

Q. Suntne irregulares infames et juris, et facti?

R. Affirmative, ex Cap. *Infames* cit., quaecumque infamia sit ex comm. DD. opinione.

Q. Num ad incurrendam hanc irregularitatem, requiratur ut delictum sit notorium?

R. Maxime, quia si sit occultum non inducit irregularitatem, Cap. *Ex tenore*, excepta irregularitate, quae contrahitur ex homicidio occulto, Cap. ult. de temporibus ordinationum, vel violatione censurae Ecclesiasticae, aut haeresis.

Q. Num collatio beneficii facta infami, sit irrita?

R. Est irrita, si sit infamis infamia juris, quia hic unus est ex effectibus sententiae inflictae sive a Canone, sive ab homine : si vero sit infamis infamia facti, secundum Layman collatio beneficii, non est irrita, sed irritanda, unde potest deliquens illud in conscientia retinere, si per vitae emendationem infamiam abolere velit, quia nec a jure, nec ab homine talis criminosus damnatur ad hoc, scilicet ad beneficium dimittendum.

Digitized by Google

Q. Quomodo tollitur infamia Juris?

R. Tollitur per dispensationem, ut communit. DD. tenent, nam haec inducta est per legem, aut sententiam perpetuam, tamquam poena delicti, Bonac. *Testimonium* de testib.

Q. Quomodo tollitur infamia facti?

R. Tollitur per publicam, et constantem vitae emendationem, quae prioris vitae maculas non solum coram Deo, sed in opinione hominum abstergit, Cap. *Testimonium* de testib.

Q. Num Episcopus possit dispensare in irregularitate contracta ob infamiam?

R. Potest dispensare, ut infamis in susceptis ministret, non vero, ut ascendat ad majores ordines, modo delicta sint minora adulterio post peractam poenitentiam, Cap. *At si clericis* 4. §. *De adulteriis* de judic.

Q. Num dicatur quis infamis, ac per consequens irregularis, ob delictum Parentum?

R. Maxime, et praesertim ob delictum haeresis, ita ut filii, et nepotes haereticorum sint irregulares, ratione haeresis patris, Si vero mater solum sit haeretica, evadunt irregulares solum filii primi gradus, Cap. *Statutum* 15. de heretic. in VI. Idem dicendum de filiis haereticis credentium, de fautoribus, receptatoribus, defensoribus. Tamen requiritur, ut notorium sit Parentes esse haereticos, et quod in tali haeresi decesserint, cit. Cap. *Statutum*, et porro juxta Salmantic., et alios requiritur, ut filii nati sint post delictum haeresis, nam aliter non dicuntur filii haereticorum.

Q. Num Episcopus possit dispensare in irregularitate ex delicto haeresis occulto?

R. Adest dissidium inter Canonistas, et Theologos. Communis tamen sententia tenet, quod non possit Episcopus, quia si non potest ab haeresi absolvere, ejusque excommunicatione, multo minus potest dispensare in irregularitate, inde proveniente; nam in Cap. *Cum illorum* de sentent. excomm. habetur, quod Episcopus non possit dispensare in casibus, in quibus est illi prohibita absolutio cum potestas dispensandi sit major potestate absolvendi.

Q. Num infamia tollatur Baptismate, ac proinde irregularitas ex eo orta?

R. Vel loquimur de infamia juris, et dico non tolli, quia in Baptismo culpa dimitti potest, sed lex aboleri non potest, ut ait D. Ambrosius. Vel loquimur de infamia facti, et dico tolli, quia Baptismate non solum peccata, sed etiam morales maculae tolluntur, adeoque etiam irregularitas inde orta. Layman.

CAPUT VI.

De irregularitate ex defectu Sacramenti, seu bigamiae

Q. Quid, et quotuplex est bigamia?

R. Est multiplicatio matrimonii. Bigamus dicitur ille, qui plures uxores successive habuit. Bigamia triplex est, vera, interpretativa, et similitudinaria. *Vera* habetur, quando successive quis contraxit cum pluribus, et consummavit. *Interpretativa* quando quis duxit viduam, vel corruptam ab a-

Digitized by Google

lio. *Similitudinaria*, quando quis voto solemni ligatus, attentat matrimonium contrahere, et consummare. Tamen advertendum, quod omnis bigamia parturit irregularitatem, ut videre est tot. tit. de bigam. non ordin., et in Trident. sess. 23. Cap. 17. de Reformat.

Q. Quare haec irregularitas dicitur ex defectu Sacramenti?

R. Quia matrimonium consummatum lege nova significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, per carnis assumptionem. Diserte id testatur Apostolus ad Ephes. Cap. 5.: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, et Ecclesia.* Quae significatio plenior, ac perfectior est in matrimonio cum una solum, et virgine; nam etiam Filius Dei copulavit sibi Ecclesiam unam ab alio non assumptam. Quae significatio in bigamis desideratur, qui matrimonium contrahunt cum pluribus, et consumant, aut etiam cum unica non virgine.

Q. Num sit irregularis ob bigamiam interpretativam, qui contraxit matrimonium cum corrupta per vim ab altero, vel per errorem?

R. Maxime, quia haec irregularitas non oritur ex infamia personae, sed ex defectu Sacramenti. D. Thomas, Sanchez, Layman, aliique. Praeterea est irregularis, qui ignoranter contraxit matrimonium cum corrupta, putans contrahere cum virgine, quia haec irregularitas non contrahitur ex culpa, sed ex defectu, ideoque ad illam contrahendam non requiritur delictum. Ita cit. DD.

Q. Quaenam sunt capita, bigamiae interpretativae?

R. Sunt plura, et I. Quando quis contrahit matrimonium cum vidua, vel cum corrupta, Cap. *Maritum* dist. 33., et Cap. *Si cujus* dist. 34. II. Quando quis accedat ad uxorem propriam, postquam ab altero tempore matrimonii cognita fuit, quia tale matrimonium desinit habere perfectam similitudinem Christi cum Ecclesia, cit. dist. 33., et 34. III: quando quis contraxit matrimonium validum cum una, et aliud invalidum cum altera, et utrumque consummat, sive viva, sive mortua propria uxore, Cap. *Nuper* de bigam. non ordin. Quae irregularitas non contrahitur propter Sacramenti defectum, sed propter affectum intentionis cum opere subsecuto, cit. Cap. *Nuper*.

Q. Num sit irregularis vir, qui in matrimonio fornicatus est, vel adulteratus?

R. Minime, quia tale matrimonium non patitur defectum Sacramenti, quippe quod tendit erga mulierem, postulans, ut a pluribus viris non sit cognita, et porro hoc in nullo jure est expressum. Idem dic, quando aliquis contrahit matrimonium cum corrupta a seipso. Ita Doctores communiter ex Cap. *Sane* 1. de Cleric. conjug., quia fictione juris judicatur, quasi virginem duxisse.

Q. Num ille, qui contraxit duo matrimonia, unum ex consensu, alium vero illusorie, sed ad extinguendam copulam, dicatur irregularis?

R. Maxime, secuta copula, quia verificatur effectus ad duo matrimonia requisitus. Salman., Layman contra nonnullos.

Q. Num ille, qui contraxit matrimonium nullum cum vidua, sit irregularis, dato quod secuta est copula?

R. Adest litigium inter DD.: nam Suarez tenet esse irregularem, et asserit hanc opinionem esse communem. Layman vero cum aliis tenet, non

Digitized by Google

esse irregularem; quia non praestat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum.

Q. Num ille, qui contraxit cum vidua a primo viro non cognita dicatur irregularis?

R. Minime, quia hoc matrimonium habetur, uti cum virgine celebratum, et non habetur separatio carnium, Cap. *Debitum pastoralis* 5. de bigam. Nec evadit irregularis Presbyter, qui plures habet concubinas, Cap. *Quia* 6. tit. eod.

Q. Num bigamus post Baptismum possit ascendere ad Sacros Ordines?

R. Minime, quia Baptismus tollit quidem delicta et indecentiam provenientem ex delicto, non tollit tamen bigamiam seu carnis divisionem factam in plures, et ideo statim ac baptizatur, consurgit ex ea irregularitas. Ita communiter DD. ex Cap. *Acutius* dist. 26.

Q. Quinam potest dispensare in hac irregularitate?

R. Solus Summus Pontifex in bigamia vera, et interpretativa; quia haec potestas nullibi Episcopis conceditur in Jure, quia iisdem expresse interdicitur Cap. 2. de bigam. Tamen potest Episcopus dispensare in bigamia similitudinaria non solum, ut qui eam contraxerunt, peracta poenitentia, suis Ordinibus utantur, sed etiam ut ad altiorem gradum promoveri possint, Cap. 4. de Cleric. conjug. « post longam poenitentiam, et vitam laudabilem continentes » et Cap. I. *Qui Clerici etc.* Collet.

CAPUT VII.

De Irregularitate ex defectu perfectae lenitatis

Q. Quinam sunt irregulares defectu perfectae lenitatis?

R. Omnes baptizati qui voluntarie, et proxime, licet juste, concurrent ad hominis necem, aut mutilationem, aut accelerationem mortis, effectu secuto. Censetur proxime concurrere, qui ex lege, officio, vel per actum de se ordinatum ad necem, aut mutilationem concurrit.

Hinc irregulares sunt Judices ferentes sententiam mortis, vel mutilationis; Assessores et omnes Ministri justitiae ad eam auctoritate publica concurrentes: scilicet Notarius, Scriba, Recipiens, Advocatus, Accusator, Testes, Satellites, Executores sententiae, Fabricantes furcam ad aliquem in particulari suspendendum, Cap. *Aliquantos* dist. 51, et Cap. *Si quis viduam* dist. 50.

Q. Num Dominus temporalis possit committere aliis causam sanguinis absque periculo irregularitatis?

R. Potest, etiamsi sit Ecclesiasticus, sive committat causam sanguinis alteri in communi, ita ut invigilet contra malefactores, eos juxta leges puniendo, sive in particulari, scilicet, ut de causa hujus vel illius cognoscat secundum leges; nam alias inutilis esset jurisdictio, nec Ecclesia talem jurisdictionem temporalem in Ecclesiasticis permittere, Cap. *Episcopus* ult. Cap. Episcopus, seu quicumque alius Praelatus etc. in VI. verbis: « Nam » etsi Clericis causas sanguinis agitare non liceat, eas tamen, (cum jurisdi- » ctionem obtineat temporalem) debent, et possunt metu irregularitatis ces- » sante, aliis delegare. »

Digitized by Google

Q. Num Clericus, qui alium accusat de injuria sibi illata, fiat irregularis, si ob illam reus occidatur, vel mutiletur?

R. Minime, si faciat cum protestatione expressa, se nullam capitis, vel mutilationis poenam intendere, Cap. *Praelatis* de homic. in VI. Debet tamen solum actionem civilem instituere, scilicet, ut damnum sibi compensetur, vel suis, aut etiam suae Ecclesiae, vel injuria per poenam pecuniariam; quia si hoc ipsis non liceret, daretur plerisque materia Clericos trucidandi, atque illorum libere depredandi, ut inquit Bonifac. VIII. laud. Cap. *Praelatis*. Quod si actionem criminalem instituat, certe fit irregularis, etiam cum protestatione. Laym., Bonac., aliique.

Q. Num Judex Ecclesiasticus, qui tradit Clericum a se degradatum brachio saeculari, sit irregularis, si ille damnetur ad mortem?

R. Minime, si misericorditer intercedat pro eo, ut Judex saecularis benigne se habeat, atque, ut citra mortem aut mutilationem puniat atque in reum animadvertat, ut patet ex Cap. *Novimus* de verb. sign. Ex speciali privilegio Pauli VI. a S. Pio V. confirmato possunt inquisitores S. Congregationis in locis, in quibus viget, nec non Ministri sine tali protestatione tradere reum comburendum brachio saeculari, cum ipsis sola executio mortis, non vero sententia prohibeatur.

Q. An Chirurgus, et ceteri, qui eum adjuvant ad secandum infirmi membrum, sint irregulares?

R. Minime, tum quia hoc non est expressa in Jure, tum quia non faciunt ad vindictam, sed ad pietatem. Ita Bonac. cum aliis.

Q. Quare sunt irregulares omnes isti?

R. Quia repraesentare amplius non possunt lenitatem, et mansuetudinem Christi, qui nullius sanguinem fudit, communiter.

Q. Quinam potest dispensare in hac irregularitate?

R. Solummodo Summus Pontifex, cum sit irregularitas, ex defectu, et non ex delicto.

CAPUT VIII.

De Irregularitate ex defectu corporis

Multiplex est defectus corporalis, ratione cujus irregularitas contrahitur, et I. Est defectus membrorum. II. Defectus deformitatis. III. Defectus sexus. IV. Defectus sanitatis, et ultimus defectus aetatis.

Defectu membrorum sunt irregulares illi, quibus deest brachium, aut manus, qui carent pollice, aut indice, qui lingua, vel loquela, ita ut valde difficulter possint verba proferre. Sunt etiam irregulares caeci sive oculos non habeant, sive tantum careant visu. In quo est advertendum, quod irregularis non est, qui habeat duos oculos, et dextero non videt, Cap. *Si Evangelica* 13. dist. 55; et quod etiam juxta multos irregularis non sit, qui sinistro oculo non videt, modo canonem Missae sine indecenti faciei conversione legere possit. Layman. lib. 1. tract. 5. par. 5. cap. 7, Barbos. de offic., et potest. Episcopor. part. 1. allegat. 42. num. 31. aliique. Vide Pontas. Tom. 2. verb. *Irregularitas* Cap. 12. Surdi ex utroque aure sunt irregulares, possunt tamen celebrare, si ordini superveniat surditas, cum ad sacrificium parum conducat Ministri auditio. Ita Salmanticenses post alios.

Digitized by Google

Q. Num inducat irregularitatem defectus membri occulti, uti v. g. qui caret genitalibus ?

R. Maxime, quando absque justa causa amputavit sibi membrum illud. Can. *Maritum* dist. 33. Hinc Eunuchus propria culpa factus, est irregularis: Secus tamen si a natura, vel sine sua culpa, Cap. *Ex parte* de corpor. vitiat. Idem quoque dicendum de Hermaphroditis, iis nempe, qui utriusque sexus sunt participes, quia sunt monstruosi, et ex Canone 1. *Priscis* distinct. 55. omnes vitiati corpore ab ordinibus expelluntur, ita Bonac., et alii. Praeter hos duos casus cetera corporis vitia, aut defectus occulti, si nullum in celebrationis Ministerio periculum afferant, nullam inducunt irregularitatem.

Q. Num ille, qui habet defectum corporis impedientem susceptionem Sacerdotii sit irregularis ad reliquos Ordines inferiores, et sacros ?

R. Maxime, quia hi ad illud ordinantur: ubi est advertendum, quod si hoc accidat post susceptionem Sacerdotii, est tantum irregularis quoad functiones ad quas est inhabilis, non vero ad alios, Cap. 2. Presbyt. de Cleric. aegrot. Hinc Sacerdos, qui amisit pollicem, vel indicem, vel oculos, est irregularis quoad celebrationem Missae, non vero quoad auditionem Confessionis.

Defectu deformitatis sunt irregulares, qui carent manu, oculo, aut habiis, qui carent casu, qui duo capita habent, tres manus etc., claudi, qui sine baculo, aut ligneo pede non possunt accedere ad Altare, Cap. *Nullus Episcopus*, de consecrat dist. 1. Est etiam irregularis, qui sibi virilia amputavit ad cantum addiscendum, vel ad castitatem servandam, Cap. 5. Hi, qui se etc. dist. 55.

Q. Num gibbosus sit irregularis ?

R. Minime, nisi gibbositas sit conjuncta nimia deformitate, vel debilitate, ut accidit, quando gibbosus nequit se erigere, et stare recto capite. Bonac., aliique communiter.

Defectu sexus sunt irregulares hermaphroditi etiam occulti, qui sunt monstruosi, quando nempe magis viget foemineus sexus, uti colligitur ex Cap. *Priscis*. dist. 55. in quo generaliter omnes vitiati corpore ab ordinibus expelluntur. Bonacina.

Defectu sanitatis sunt irregulares, qui laborant morbo corporali, qui notabilem debilitatem virium aut deformitatem perpetuam, et incurabilem affert. Vide tit. de corpor. vitiat, et tit. de Cleric. aegrotant. Uti laborantes paralysia, morbo gallico, lepra, abstemii, qui nullo modo sumere, aut retinere vinum non possunt. Tamen advertendum, quod si talis morbus Ordines antecedat, absolute inducit irregularitatem; si vero post Ordines adveniat, ad alios ascendere impedit, licet in receptis possit administrare, si licite potest, et cum defectu sint compossibiles.

Defectu aetatis sunt irregulares, qui non habent aetatem requisitam ad Ordines, quae non est perpetua, sed per adimpletionem aetatis requisitae tollitur, argum. Cap. *vel non est compos sui* 14. de temporib. ordinat. Quod tamen est intelligendum de illis, qui bona fide arbitrantes se habere aetatem legitimam Ordinibus initiantur; ii enim, qui mala fide, h.e. probe scientes se non habere aetatem legitimam Ordines susceperint, saltem ex Pontificiis constitutionibus incurrunt suspensionem perpetuam, donec ab illa absolvantur.

Digitized by Google

Q. Quinam potest dispensare in hac irregularitate ?

R. Potest solus Summus Pontifex, cum sit irregularitas ex defectu, modo tamen non sit conjuncta cum impedimento Juris Naturae. Ad Episcopum vero pertinet judicare, utrum defectus, vel deformitas inducat irregularitatem, Cap. *Cum de tua* de corporib. vitiat.

CAPUT IX.

De irregularitate ex defectu Animae.

Q. Quinam sunt irregulares ex defectu Animae ?

R. Omnes, vel qui non habent usum rationis, vel qui non habent scientiam debitam cuique ordini, Cap. *Illitteratos* dist. 36.

Q. Num ignorantia scientiae quae pro singulis Ordinibus a Tridentino requiritur, constituat aliquem irregularem ?

R. Minime, nam tantum illa inducit irregularitatem, quae requiritur ad congrue, et debite ministrandum in ordine recepto, vel ad illum recipiendum, circa quod ferre judicium, munus est Episcopi, uti tenent Salmantic., aliique. At probabilior habenda est sententia opposita, quae docet defectum scientiae a Tridentino requisitae pro singulis Ordinibus irregularitatem inducere, cum reddat ineptum ad Ordinum officia exercenda.

Q. Num haec irregularitas sit perpetua ?

R. Minime, nam acquisita scientia tollitur, quia praecise ob talem defectum imponitur, et in ea fundatur, adeoque ablato ejus fundamento, destruitur, ita DD. communiter.

Irregulares defectu usus rationis sunt furiosi, amentes, stolidi, uti patet ex Can. *Maritum* dist. 33. Haec irregularitas durat etiam cessante defectu, si proveniant ex laesione organi ob relapsus timorem ex cit. Cap. *Maritum*, sive vero ex infirmitate, uti febri cessante, defectu ablato, ita ut non impediat et ascensum ad Ordines, et ministrationem in susceptis ordinibus Episcopi judicio Can. *In tuis litteris* causa 7. quaest. 2. cap. I.

Q. Quinam potest dispensare in hac Irregularitate ?

R. Nullus potest dispensare durante Animae defectu, quia reddit inhabiles Jure Divino ad exercitium Ordinis.

CAPUT X.

De irregularitate ex libertatis defectu.

Servi, seu mancipia, quamdiu durat in eis defectus libertatis, irregulares sunt, Cap. *De servorum* 2., et Cap. *Nullus* 4., atque ex tot. tit. de Serv. non ordinand.; quia servus Domini obsequiis mancipatus, Divinis ministeriis attendere expeditius non potest. Hinc non possunt servi ordinari, nisi ex consensu expresso, vel tacito Domini. Confer tit. de serv. non ordin. In hoc casu etiam per primam tonsuram censetur manumissus, et ex justitia a servitute liberatus can. 20. *Si servus* dist. 54, aliter servus ordinatus, quamvis in minoribus adhuc remanet servus, et privatur omni privilegio.

Q. Ad quid tenetur Episcopus, qui nesciente Domino, aut contradicente, promovet servum ad Ordines sacros ?

R. Vel scienter promovet, et tenetur ad satisfaciendum Domino in du-

Digitized by Google

plum, hoc est vel duplicatum servum, vel duplicatum pretium, quo servus aestimatur. Vel ignoranter promovet, et tenentur ad duplum illi, qui conscii talis servitutis, servum ad ordines suscipiendos induxerunt. Canon. *Si servus* dist. 54. Layman.

Q. Quid si servus a nemine inductus ad Ordines suscipiendos se intromiserit?

R. Hic graviter peccat, etiamsi sit in minoribus ex toto tit. citato, et adhuc remanet servus, et omni privilegio clericali privatur, Can. 10. *Frequens*, et Can. 9. *ex antiquis*, et Can. 8. Distinct. 54. Tenetur tali modo ordinatus se ipsum redimere oblato vel pretio, vel simili servo ex cit. Can. Ex antiquis, et si ad hoc impos sit, potest dominus intra spatium unius anni vindicare, Can. 20. *Si servus sciente, et contradicente domino*, distinct. laud. Verum ex cit. Can. *Frequens* si Sacerdotio sit initiatus domino exigente, et desiderante in spiritualibus officiis ministrare tenetur.

Sunt etiam irregulares obligati ad ratiocinia, nempe illi, qui generalem aliquam rerum secularium administrationem habent, et obstricti sunt ad reddendas rationes, uti sunt procuratores, Tutores, Syndaci, Fiscales etc. hujusmodi quidem ordinari non possunt, nisi deposito onere, seu relicto officio, necnon reddita ratione, Cap. *curiales* dist. 53, Cap. unic. de obligatis ad ratioc., ubi habetur: *Si enim ante libertatem negotiorum, vel officiorum fuerint ordinati, Ecclesia infamabitur?* Etiam defectu libertatis sunt irregulares servi adscriptitii, sive agro colendo perpetuo obligati Can. 12. Generalis cit. dist.: uxorati sine licentia uxoris emittentes continentiae votum, et si suspicione non careat... in loco religioso... perpetuo commoretur, ita ex Cap. 8. Uxoratus de conversione conjugatorum.

CAPUT XI.

De irregularitate ex defectu natalium.

Q. Quinam sunt irregulares ex defectu natalium?

R. Omnes illi, qui ex illegitimo toro nati sunt, et illegitimi dicuntur. Hinc sunt irregulares filii naturales, nempe nati ex soluto, et concubina; inter quos matrimonium constare poterat, manzeres idest nati ex meretrice, adulterini, idest nati ex conjugato, et soluta; et omnes spurii, idest nati ex copula a Jure civili damnata, nempe ex incestu, stupro, raptu, et sagrilegio, inter quos non poterat intercedere matrimonium ob aliquod impedimentum dirimens, Cap. *Per venerabilem* qui fil. sint legit., et Cap. I., et final. de filiis Presbyter. Hi omnes, quamvis occulti sunt irregulares, etiamsi legitimi judicentur, cum a jure indistincte ab ordinibus excludantur illegitimi, ita DD. post Bonac.

Illegitimi sunt irregulares tum in honorem status, tum in odium paternae incontinentiae, tum quia saepe malos mores parentum sequuntur, ita ex Cap. *Finali* de filiis Presbyterorum.

Tamen advertendum, quod illegitimi, qui vocantur naturales, quique per subsequens Matrimonium legitimantur non sunt irregulares, argum. Cap. *Conquestus*, et Cap. *Tanta*, qui fil. sint legit., ibi *Tanta enim est vis Sacramenti, ut qui antea sunt geniti, post contractum Matrimonium legitimi habeantur* etiam ad beneficia, non vero ad Cardinalatum ex Bulla Xy-

Digitized by Google

sti V. Hinc regula: *Jure Canonico per subsequens Matrimonium legitimari omnes, inter quorum Parentes Matrimonium consistere poterat tempore conceptionis, aut saltem nativitatis.* Licet tempore intermedio aliud fortasse matrimonium contractum fuisset. Vid. Consalez in Cap. *Meminimus* qui fil. sint legitimi, vide etiam Benedictum XIV. constist. 113. Bullar. Tom. I.

Q. Quid dicendum de illo, qui non est certus de sua illegitimatione?

R. Aliqui censent non esse irregularem, quia non est expressum in jure quod in dubio illegitimationis quis irregularis reputetur. Hinc expositi, dum non probantur illegitimi, pro legitimis sunt habendi, et ideo habetur ex Bulla Gregor. XVI. ann. 1591. edita in gratiam Confraternitatis pro expositis, habendos esse pro legitimis, et puri sanguinis in ordine ad Ordines, beneficia, et ceteras dignitates. Palaus cum aliis. Alii tamen communius reputant expositos irregulares, quia vehemens suspicio adest, quod sint ex illegitimo toro nati, quia in jure reputantur illegitimi, qui nequeunt Parentes suos ostendere, Cap. I. de infant. expos. Reponunt in Cap. *Significasti de homicidio,* hoc ab Innocentio III. implicite expressum fuisse, cum exceperit homicidium in dubio facti non taxative, sed exempli gratia, quod patet, et quia de homicidio tantum fuit requisitus, et quia ratio, quam affert, est omnibus dubiis communis, nempe « pro eo, quod... magnum periculum timeatur. » Insuper privilegium Gregorii XIV. in gratiam Confraternitatis supponit expositos esse illegitimos in dubio facti. Hoc S. Congreg. Concilii in Salmonensi die 23. Februarii 1710. declaravit, nempe censuit in dubio legitimationis requiri ad cautelam dispensationem, et talis est praxis Curiae Romanae.

Q. An filius natus ex invalido matrimonio, bona fide inito, sit irregularis?

R. Minime, si bona fide saltem ex parte unius matrimonium fuerit contractum, et celebratum in faciem Ecclesiae et praemissis denunciationibus: quia tunc est habendus uti legitimus, Cap. *Ex tenore* qui fil. sunt legit.. Secus si fuerit initum clandestine ejusmodi matrimonium, uti constat ex cit. Cap. *Ex tenore*, argumento ducto per sensum contrarium, atque apertius hoc idem decernitur in Cap. *Cum inhibitio 3.* de clandest. desponsat.

Q. Quibus modis tollitur haec irregularitas?

R. Pluribus modis, et I. per subsequens matrimonium, uti supra dictum est, et hoc *praesumpserint*, quia mala fides, et dolus ex utraque parte praesumitur.

Nota. Filius natus ex matrimonio bona fide celebrato ab utroque, quamvis minor triennio expensis utriusque est alendus, cum nulla ratio appareat, cur uni potius, quam alteri debeat esse oneri: natus vero ex matrimonio celebrato mala fide ab una parte, haec utpote in culpa ad alimenta praestanda tenetur, nisi paupertas excuset, cum altera pars sit locuples, ita Sanchez L. X. de Matrimonio Disput. XX.

Si tempore conceptionis, aut saltem nativitatis poterant parentes valide contrahere, quia ex benignitate Juris Canonici retrotrahitur matrimonium, et proles suscepta legitima redditur. Hinc non possunt legitimari manzeres, sive spurii nati ex incerto patre, nec Sacrilegi, ita etiam incestuosi, adulterini, si inter parentes tempore statuto matrimonium constare non poterat.

II. Per professionem in Religione approbata, Cap. 1, de fil. Presbyter:

Digitized by Google

Tamen advertendum, quod habilitatur profitendo ad Ordines recipiendos, non vero ad dignitates, alia quaelibet beneficia, cit. Cap. 1., ibi: *Filii Presbyterorum, et ceteri ex fornicatione nati, ad Sacros Ordines non promoveantur, nisi aut Monachi fiant, vel in Congregatione Canonica regulariter viventes, Praelationem vero nullatenus habeant.*

III. Per legitimationem absolutam S. Pontificis.

IV. Per ejusdem dispensationem.

Q. An Episcopus possit in hac irregularitate dispensare?

R. Potest, ut illegitimus minores Ordines recipiat, et beneficium simplex. Haec tamen irregularitas si pro sacris Ordinibus suscipiendis dispensanda est, recurrendum est ad Summum Pontificem, sic etiam pro beneficiis duplicibus, Cap. *Is qui* 1. de filiis Presbyteror. in VI. Leg. etiam Concina, et Collet.

Q. Quid si aliquis illegitimus bona fide ordinatus fuit, et postea cognoscit suorum natalium defectum qui adhuc occultus est?

R. Potest recurrere ad Episcopum pro dispensatione, ut in susceptis ministret, Laym., Bonacin., aliique.

Hactenus de censuris, atque Irregularitatibus pro nostri ingenii modulo dixisse, atque disputasse satis sit. Ad alia itaque, quae supersunt, ut integra Theologica tractatio absolvatur, ut properemur protinus nos oportet.

TRACTATUS ULTIMUS

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

CAPUT I.

De notione, et natura Sacramentorum novae Legis

Sacramenti nomen deducitur vel a *Sacrando*, quia ad res sacras initiat, seu consecrat, vel a *Secreto*, quia rem arcanam continet. Hoc Sacramenti vocabulum e rebus profanis in Sacras inductum est. Nam apud profanos Scriptores significat depositam pecuniam a litigantibus in loco Sacro, ea lege, ut victor pecuniam suam auferret, contra victus in poenam injustae litis intentatae Ærario publico suam pecuniam applicandam, uti ex Varrone lib. 4. de L. L. et Cicer. lib. 1. de Orat. Significat porro juramentum, quod per rem Sacram Supremo scilicet invocato numine fieri solet: ideoque, qui, per jusjurandum rei militari nomen dabant, Sacramentarii dicebantur, uti patet ex Vegetio lib. 2. de re Militar. cap. 5., et Polybio lib. 11. Idem significat apud Ictos, eo quod per illud, Sacrum Dei nomen invocetur, Authent. *Sacramenta Puberum* C. si advers. vendition.

Apud Scriptores vero sacros, et ecclesiasticos Sacramenti nomen accipitur pro re arcana, et latente sive sacra sit, sive non. Hinc Tobiae cap. 12.: *Sacramentum Regis* (h. e. secretum Regis) *abscondere bonum est.* Et Sapient. cap. 6.: *Et non abscondam a vobis Sacramenta Dei.* Item Ephes. cap. 1. *Ut notum faceret nobis Sacramentum voluntatis suae.* Tandem Lactantius, Tertullianus, Cyprianus, Augustinus, aliique PP. nomen Sacramenti accipiunt pro signo rei arcanae et sacrae divinitus ad omnes justificandos institutae, et in hoc sensu sumitur hoc in loco.

Digitized by Google

Q. Quomodo definitur Sacramentum in genere?

R. Signum sensibile rei sacrae institutum a Deo. At Sacramentum novae legis definitur: *Signum sensibile permanenter a Christo institutum ad significandam, et producendam gratiam sanctificantem ex opere operato.*

Dicitur *signum*, quia ducit nos in cognitionem rei alterius, nempe gratiae, et sanctificationis, uti inquit Chrysostomus homil. 7. in 1. ad Corinth. *Sacramentum aliud oculis, aliud mentibus exhibet.* Dicitur *sensibile*, quia ait D. Thomas. 3. part. qu. 60. art. 4. in corp. post antiquos PP. Divinae Providentiae congruum erat, atque conveniens, quae homines juxta eorum naturam instruit, res spirituales atque divinas per corporea et sensibilia signa nobis manifestare: *Est autem homini connaturale, ut per sensibilia perveniat in cognitionem intelligibilem. Signum autem est, per quod aliquis in cognitionem alterius ducitur. Unde cum res sacrae, quae per sacramenta significantur, sint quaedam spiritualia, et intelligibilia bona, quibus homo sanctificatur. consequens est, ut per aliquas res sensibiles significatio sacramenti impleatur*, et Chrysost. homil. 83. in Matth., ait: *Si enim incorporeus esses, nuda ipsa dona, et incorporea tibi tradidisset; sed quia corpori conjuncta est Anima tua, ideo rebus sensibilibus tibi intelligenda traduntur.*

Q. Quid significat Sacramentum justificare ex opere operato?

R. Sacramentum ipsum, seu applicationem signi exterioris non quidem naturaliter, et tanquam causam principalem physice, sed ex instituto, et meritis Christi per se tanquam per causam instrumentalem, vere et proprie habere vim, et efficaciam ad producendam gratiam. Habert.

Q. Jesus Christus quatenus homo, estne Sacramentorum institutor?

R. Ad hanc quaestionem respondit Angelicus 1. part. quaest. 64. art. 3. in corp., cum ait: *Dicendum, quod interiorem Sacramentorum effectum operatur Christus, et secundum quod est Deus, et secundum quod est homo, aliter tamen, et aliter. Nam secundum quod est Deus operatur in Sacramentis per auctoritatem: secundum autem quod est homo, operatur ad interiores effectus Sacramentorum meritorie, et efficienter, sed instrumentaliter: dictum est enim, quod passio Christi, quae competit ei secundum humanam naturam, causa est nostrae justificationis, et meritorie, et effective, non quidem per modum principalis agentis, sive per auctoritatem, sed per modum instrumenti, in quantum humanitas est instrumentum Divinitatis ejus.*

Q. Quare solus Deus instituit Sacramenta?

R. Quia ille dicitur aliquid instituere, qui tribuit ei robur, et virtutem ut patet in instituentibus leges. Cum igitur virtus Sacramenti sit a solo Deo, juxta illud Apostoli ad Roman.: *Deus est qui justificat* ideoque dicendum, quod solus Deus sit Sacramentorum institutor, D. Thom. 3. part. q. 64. art. 2.

Q. Quot sunt novae Legis Sacramenta?

R. Nec plura, nec pauciora, quam septem: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia, Extrema unctio, Ordo, et Matrimonium. Trid. sess. 7. Can. 1.

Q. Cur Christus septem tantum in nova Lege Sacramenta instituit?

R. Quia septem requiruntur, et sufficiunt, ut homo ad spiritualem perfectionem perducatur. Nam homo per Baptismum nascitur Deo: per Confir-

Digitized by Google

mationem crescit ejus spiritualis virtus, ac robur: nutritur per Eucharistiam, lethales illius morbi per Poenitentiam depelluntur: Extrema unctio morbi reliquias aufert, atque abstergit: Sacramentum Ordinis constituit Ministros Ecclesiae, per quos homo pascitur, et gubernatur: tandem per matrimonium Vir, et mulier legitime conjuncti carnales filios generant, qui aliquando in Ecclesia regenerandi sunt.

Q. Quaenam sunt partes necessariae ad constituendum Sacramentum?

R. Sacramenta tribus perficiuntur, scilicet, rebus, verbis, et ministro cum intentione: rebus, ut materia, verbis autem, ut forma, liquet id ex Concil. Florent. Sess. ultim. in Decret. Eug. § *Quinto Ecclesiasticorum*, ibi: *Haec omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet, rebus, tanquam materia, verbis, tanquam forma, et persona Ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi. quod facit Ecclesia, quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum.*

Hinc ex hoc aperte constat, quod ad essentiam cujuslibet Sacramenti tria necessario requiruntur, scilicet, materia, forma, et intentio, ita communiter. Quare Augustinus apposite in hunc modum loquitur, cujus verba relata reperies in Cap. *Detrahe* caus. 1. q. 1.: *Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum.*

Q. In quo consistit materia, et forma Sacramentorum?

R. Materia consistit in re aliqua sensibili applicata suscipienti per actionem externam Ministri. Forma in verbis certis cum applicatione materiae proferendis a Ministro D. Thom. 3 part. q. 60. art. 4. 5. 6.

Q. Quotuplex est materia?

R. Duplex, remota scilicet, et proxima. *Remota* est res sensibilis, quae per actionem Ministri applicatur suscipienti, uti aqua in Baptismo. *Proxima* est ipsamet debita applicatio dictae materiae remotae, ut ablutio etc.

Q. Num mutatio materiae, vel formae irritat Sacramentum?

R. Mutatio materiae, vel formae substantialis semper irritat Sacramentum; quia forma, aut materia substantiabiliter mutata, non est forma, aut materia, quam Christus Dominus instituit, ac determinavit. Mutatio vero accidentalis non irritat, quia cum tali mutatione reperiuntur materia, et forma a Christo institutae, Habert.

Q. Quot peccata committit qui mutat materiam, vel formam substantialem?

R. Peccat mortaliter, quia substantialiter mutat alterutram, et I. Contra Religionem, quia gravis irriverentia irrogatur Christo Domino Sacramentorum Auctori, atque institutori, non ponendo omnia, quae voluit poni ad gratiam efficiendam. II. Contra caritatem; quia voluntarie privat Proximum magno bono spirituali. III. Contra justitiam, praesertim si sit Parochus, aut quivis alius ad Sacramenta ministranda titulo justitiae sit adstrictus, nam qui vult administrare, tacite se obligat ad administrandum sicuti res exigit, et Proximi necessitas requirit. Antoine.

Si vero mutat alterutram accidentaliter, etiam peccat mortaliter, si mutatio erit notabilis, et absque necessitate; est enim et contra Sacramenti reverentiam, et Ecclesiae prohibitionem in re gravi ad Religionem pertinente. Secus vero dicendum si mutatio non sit notabilis, Trident. Sess. 7. cap. 13. Item peccatur graviter, etiamsi mutatio sit levis, quoties fiet ex contem-

Digitized by Google

ptu, aut ex animo inducendi novum ritum, aut simili intentione, quia tunc contemnitur Ecclesia, et Spiritus S., quo regitur, et cujus instinctu ritus illos instituit.

Q. Quaenam sit mutatio sive substantialis, sive accidentalis, tum in materia, tum in forma?

R. Materia mutari substantialiter dicitur, quando scilicet ex communi usu, atque existimatione non est eadem re, et nomine cum illa, quam Christus instituit, atque designavit pro materia Sacramenti: uti si quis pro materia Baptismatis non aquam adhibuerit, sed vinum: in materia Eucharistiae opposuerit pro vino acetum. Accidentaliter autem mutari dicitur materia, quando scilicet adhibetur in Sacramento materia a Christo Domino instituta, sed non qualis ab Ecclesia praecipitur. Uti si quis baptisma conferret in aqua quidem naturali, sed non benedicta ab Ecclesia.

Forma etiam in Sacramentis mutari poterit tam substantialiter, tam accidentaliter. Mutatur forma substantialiter, quando ob verborum immutationem destruitur, ac non permanet idem verborum sensus, quia a Christo Domino institutus fuit: accidentalis autem erit mutatio in forma, quando verba sic immutentur, ut non destruatur, sed remaneat idem sensus a Christo institutus, atque intentus.

Q. Quibus, et quot modis potest contingere mutatio sive accidentalis, sive substantialis in forma?

R. Sex modis id quidem posse contingere communi consensu docent Theologi: hi autem sunt I. Per additionem. II. Per detractionem alicujus vocis. III. Positione unius vocis loco alterius. IV. Corruptione alicujus vocis, detrahendo, vel mutando aliquam syllabam. V. Transpositione. VI. Interruptione.

Primo itaque mutatur forma per additionem aut unius extranei verbi, aut etiam multiplicis, quae mutatio erit substantialis, si per additionem destruatur sensus verborum a Christo intentus, uti si quis in baptizando dicat: *Baptizo te in nomine Patris Majoris, et filii Minoris etc.* Si vero servatur idem sensus a Christo intentus, ac institutus, mutatio erit accidentalis, ac proinde validum Sacramentum, uti si quis dicat: *Baptizo et in nomine Patris Omnipotentis, Filii Unigeniti, et Spiritus Sancti Paracliti.*

Secundo mutatur forma detractione alicujus vocis, quae detractio efficiet mutationem substantialem, ac proinde nullum reddit Sacramentum, si destruat sensum verborum, uti si quis ex forma Baptismatis detraheret vocem *Baptizo*, aut vocalem: *Te.* Si vero sensus verborum non periret per hujusmodi detractionem, mutatio erit tantummodo accidentalis, uti si quis in forma Baptismatis omitteret pronomen *Ego*, aut in forma consecrationis particulam *Enim.*

Tertio mutatur forma variatione vocum, aut positione unius vocis loco alterius, quae mutatio non erit substantialis, nec proinde destruet veritatem Sacramenti, si voces mutentur tantum quantum ad idioma, aut pro voce adhiberi solita usurpetur vox synonima, uti si quis pro *Absolvo te* diceret: *remitto tibi peccata tua*, aut pro voce *Baptizo* usurparet vocem *Abluo.* Quod si per hujusmodi variationem vocum destruatur sensus verborum, mutatio erit substantialis, et peribit Sacramenti veritas, uti si quis in forma Poenitentiae diceret: *Abluo te a peccatis*, mutatio erit substantialis, ac proin-

Digitized by Google

de invalidum Sacramentum, quia modus iste loquendi non exprimit sententiam judicialem.

Quarto mutatur forma transpositione, quae si sensum verborum auferret, mutatio erit substantialis, ac nullum efficitur Sacramentum, uti si quis in consecratione uteretur hac forma: *Meum est hoc corpus*, quia non exprimit quod efficitur, h. e. materiae transubstantiationem, sed tantum Corpus Christi pertinere ad Christum. Si autem verborum transpositio non destrueret sensum, mutatio erit tantum accidentalis, quae non nocebit Sacramenti veritati, quemadmodum valeret Baptisma, si quis in baptizando diceret: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti baptizo te.*

Quinto mutatur forma corruptione, quae si tanta erit, ut destruat sensum verborum, mutatio erit substantialis, ac nullum proinde Sacramentum, uti si quis in baptizando diceret: *Ego baptizo te in nomine Matris.* Quod si corruptio tanta non erit, ut destruat sensum verborum, mutatio erit tantum accidentalis, ideoque ratum ac validum Sacramentum, uti si corruptio tantum ex parte finis verborum incideret in formam, quemadmodum si quis in baptizando diceret. *Ego te baptizo in nomine Patrias, Filias, etc.* Recte Sanctus Thomas 3. Parte art. 7. ad 3. docet validum esse sacramentum *si non totaliter auferatur sensus locutionis.*

Sexto mutatur denique forma interruptione, nempe pronuntiando partem formae, ac deinde quiescendo per aliquod tempus, aut loquendo aliquid aliud, ac demum perficiendo formae prolationem; quae quidem si tollat moralem continuationem actionis, atque intercipit, ac impedit Ministri intentionem, destruet etiam sensum, et Sacramentum inde efficietur invalidum; uti si quis post prolationem horum verborum: *Ego te baptizo* recitet Psalmum *Miserere*, ac deinde eo recitato, redeat ad formae prolationem, addendo: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Si autem interruptio non tollat unitatem moralem formae, non destruet sensum formae, nec proinde Sacramentum, uti si quis baptizando postquam dixit: *Ego te baptizo*, tussitat, sternutet.

Q. Quid si minister erret circa termini sacramentalis significationem, puta si falso existimet vocalum Hic *in consecratione esse adverbium locale?*

R. Censet De Lugo nihil inde deperiri validitati Sacramenti neque veritati Consecrationis. Etenim Minister, qui supponitur habere intentionem faciendi, quod Christus instituit, vult significare, quod Christus significari voluit, etiamsi illud male conciperet, ac proinde nihil officiet Sacramenti veritati, cum habeatur illud omne, quod necessario requiritur ad ejus validitatem.

Q. Num error Ministri fidei contrarius officere possit veritati Sacramenti, uti si quis cum Arianis crederet Patrem Majorem?

R. Si hujusmodi error sit prorsus interior, tunc Sacramentum legitimo ritu collatum non inde efficietur invalidum. Quare rectissime pro sua more pronuntiavit Augustinus lib. 4. de Baptism. Cap. 15. *Ad Baptismum, qui verbis Evangelicis consecratur, non pertinere cujusquam vel dantis, vel recipientis errorem.* Secus vero dicendum, si Minister hunc errorem vellet inducere, atque idcirco in forma exprimeret, tunc stare non poterit Sacramentum.

Q. Quaenam mutatio accidentalis dicenda sit notabilis, ac proinde grave peccatum?

R. Illa, quae omnibus spectatis gravem importet deordinationem, uti

Digitized by Google

si quis in Ecclesia Latina uteretur pane fermentato in consecratione, aut uteretur forma Graecorum in Baptismi ministratione, qui in consecratione Calicis omitteret illa verbi *Novi, et Æterni* etc., qui formam recitaret in vulgari idiomate, aut qui parum aquae non admisceret vino consecrando.

Q. Num quandoque accidentalis mutatio nullum, ne leve quidem inducat peccatum?

R. Maxime, quod sane accidit, quando accidentalis mutatio non est contra praeceptum Ecclesiae, sed solum praeter ritum communiorem ipsius Ecclesiae, ut e. g. si quis tempore hyemali rigente tenellum puerum baptizaret quidem aqua benedicta, sed tepefacta tantum manu sua, ne forte infantis sanitati frigidior aqua noceret.

Q. Num mortale peccatum sit uti aqua non benedicta in administratione Baptismatis?

R. Si loquamur de solemni Baptismatis administratione, mortale peccatum erit illud conferre in aqua non benedicta, sive consecrata, uti communiter docent Theologi, teste Ligorio de caeremon. Baptism. num. 141. Etenim praeceptum Ecclesiae, reverentia Sacramento debita, communisque Ecclesiae praxis gravem indicat, atque inducunt obligationem. Hinc S. Carolus in Instruct. praecepit, ut Minister non solum utatur aqua vera, ac naturali, *sed etiam eo ipso anno benedicta in Sabbato Sancto, aut in Sabbato Pentecostes.* Ita quoque dicendum mortale peccatum esse baptizare sine unctione Chrismatis, aut baptizare in Chrismate alterius anni, quod etiam communiter docent Theologi, teste eodem Ligorio loc. cit.. Et confirmatur apertissime ex Can. *Si quis* 112. dist. 4. de Consecrat., ubi qui extra mortis periculum id pertentare ausus fuerit, *pro temeritatis ausu ipse in se suae damnationis sententiam protulisse dicitur.*

Secus vero dicendum de Baptismate non solemni sed privato, quando non potest haberi aqua benedicta.

Q. Num licet uti materia dubia in Sacramentorum administrationem?

R. Si administrandum est Sacramentum de necessitate medii in extrema necessitate ad salutem valde necessarium, potest tunc licite Minister adhibere materiam dubiam, quia Christus Dominus Sacramenta instituit tanquam remedia in Animarum salutem. Si vero in hac extrema necessitate possit habere materia certa, et ipse utitur materia dubia, graviter peccat, ut ait Augustinus lib. 1. de Baptism. Cap. 3.: *Graviter peccaret in rebus ad salutem Animae pertinentibus; quod certis incerta proponeret.* Habert, Antoine.

Q. Num licet supra eamdem materiam repetere formam?

R. Minime, quia gravem irreverentiam irrogaret, satis per se patet, Sacramento. Excipe si habeatur dubium rationabile de validitate formae jam prolatae, quia tunc Minister potest formam iterare sub conditione, ne Sacramentum maneat irritum, cum damno Proximi.

CAPUT II.

De Sacramentorum Ministro.

Q. Quinam est Minister Sacramentorum novae legis?

R. Solus homo viator, nam Christus Dominus hanc dedit potestatem ministrandi Sacramenta solis hominibus. Sic Matth. 28. 19. *Docete omnes*

Digitized by Google

Gentes baptizantes etc., et Luc. 22. 19. *Hoc facite in meam commemorationem*. Ad rem Chrysost. lib. 3. de Sacerdot.: *Iis datum est* (nempe hominibus) *ut potestatem habent, quam Deus O. M. neque Archangelis datam esse voluit, sed ad illos, quibus dictum est*: Quaecumque ligaveritis etc.

Q. Num quilibet homo Christianus habeat potestatem ministrandi Sacramenta?

R. Minime, excepto baptismo in casu necessitatis, uti suo loco dicetur. Patet diserte ex Tridentino sess. 7. Cap. 10.: *Si quis dixerit Christianos omnes in verbo, et omnibus Sacramentis administrandis potestatem habere, anathema sit.* Idem constat ex perpetua traditione Ecclesiae, ex Conciliis, et ex unanimi Sanctorum PP., et DD. consensu.

Q. Quae requiruntur ex parte Ministri, ut valide simul, et licitum Sacramentum perficiat?

R. Tria, nempe intentio, fides, et probitas.

Q. Quid venit per intentionem, quae requiritur ad Sacramentorum validitatem?

R. Venit actus voluntatis in aliquem finem se moventis, unde differt ab attentione, nam attentio est actus intellectus, per quem homo considerat ea, quae facit. Intentio faciendi Sacramentum, seu quod facit Ecclesia, aut quod Christus instituit, semper est necessaria ad Sacramenti validitatem, uti patet ex Trident. sess. 7 can. 11.: *Si quis dixerit in Ministris, dum Sacramenta conficiunt, et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia; anathema sit.*

Q. Quotuplex est intentio?

R. Triplex, actualis, virtualis, et habitualis: *Actualis* est illa, qua quis actu et mente attendit ad verba, sensum, et Deum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. *Virtualis* est actio, quae fit virtute praecedentis actualis intentionis, quae quamvis praeterierit, censetur tamen moraliter manere, quatenus virtute illius agens, seu Minister operatur, v. g. ut ait D. Thomas 3. part. qu. 64. art. 8, ad 3.: *Cum Sacerdos accedens ad baptizandum intendit facere circa baptizandum, quod facit Ecclesia. Unde si postea in ipso exercitio actus, cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primae intentionis perficitur Sacramentum.* *Habitualis* est inclinatio, seu propensio et facilitas quaedam ex habitu acquisito proveniens, quam nulla praecessit intentio, vel si praecesserit jam est moraliter interrupta, ideoque nec per se, nec per virtutem a se relictam in actionem influere censetur, quod quidem accidere potest homini etiam dormienti, v. g. cum quis solitus administrare Sacramentum Baptismi, illud administrat sine alia intentione, aut reflexione ad id, quod agit.

Q. Qualis intentio est necessaria in Ministro ad perficiendum Sacramentum?

R. Habitualis non sufficit, quia actum non reddit humanum, seu voluntarium; nam potest etiam in dormiente reperiri, ac proinde talis intentio se habet ad Sacramentum perinde ac si non esset, ideoque deest intentio faciendi quod facit Ecclesia. Actualis optima est, sed non necessaria. S. Thomas 3. part. q. 64 art. 8 ad 3. ubi sic scribit: *Quamvis studiose curare debeat Sacramenti minister, ut etiam actualem intentionem adhibeat. Sed hoc non est totaliter positum in hominis potestate: quia praeter in-*

Digitized by Google

tentionem, cum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare; secundum illud Psalm. 9. *Cor meum dereliquit me*. Virtualis sufficit, quia sufficienter reddit liberam, et voluntariam actionem, per quam Sacramentum conficitur, aut dispensatur: *si postea* (ait idem Doctor loc. cit.) *in ipso exercitio, actus, cogitatio Ministri ad alia rapiatur, ex virtute primae intentionis perficitur Sacramentum.*

Q. Quodnam debet esse objectum intentionis Ministri, ut Sacramentum valeat?

R. Minister debet velle facere, quod facit Ecclesia; uti liquet ex Trident. sess. 7. Can. 11.: Et Ecclesia nihil aliud facit, quam externum ritum, ac religiosum a Christo Sacramentorum Institutore praescriptum.

Q. An fides, et probitas in Ministro requirantur ad sacramenti veritatem?

R. Minime, et est de fide, uti patet ex Trident. sess. 7. Can. 4., ubi anathemate damnantur Novatores asserentes baptismum ab haereticis rite collatum invalidum esse, ac proinde repetendum. Et Can. 12. idem docet de probitate Ministri, his verbis: *Si quis dixerit Ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia, essentialia, quae ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum, anathema sit.* Idem docet Concilium Constantiense Can. *Si inter* de Consecrat. dist. 4., et omnes SS. PP. Ratio est, quia impietas, seu status peccati mortalis non efficit, ut Minister sua excidat potestate, aut jurisdictione, aut ut non agat nomine Christi in Sacramentis conferendis, ac proinde tale est Sacramentum, qualis est ille, in cujus potestate datur, non qualis est ille, per cujus ministerium datur. August.

Q. Num administrare Sacramentum in statu peccati mortalis sit peccatum mortale?

R. Maxime, nisi adsit casus extremae necessitatis, quia est ex se gravis irreverentia Sacramentum a Christo Servatore institutum ad nostram sanctificationem confici a Ministro ad id consecrato in statu peccati mortalis. Quare Levitic. cap. 21. v. 6. *Sacerdotes Domini incensum, et panes offerent Deo suo, et ideo Sancti erunt.* Et Isai. 51. *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Hinc Augustin. contra Donatistas ait: *Obsunt indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus.* Atque hoc de eo etiam intelligendum, qui non ex officio Sacramenta ministrat, et laicus baptizans in necessitate. Debet tamen elicere actum contritionis; aliter peccaret, administrando Sacramenta.

Q. An peccet mortaliter Minister conferendo Sacramentalia in peccato mortali?

R. Episcopus peccat mortaliter conficiendo in tali statu Chrisma, et Oleum infirmorum, quia istae consecrationes, sive benedictiones, fiunt a ministro ad id muneris consecrato, et sunt gravis momenti, cum per illas fiat materia Confirmationis, atque Extremae Unctionis, in quibus confertur gratia.

Conficientes in statu peccati mortalis Ministri reliqua Sacramentalia, uti sunt consecratio Templi, benedictio Abbatis, vestium Sacerdotalium, atque aquae lustralis etc. peccabunt saltem venialiter, uti aliqui asserunt, quia negari non potest esse aliquam indecentiam, atque irreverentiam, cum absque interna, ac debita sanctitate obeantur ea munia, quae specialiter re-

Digitized by Google

quirunt Ordinem Sacrum. At juxta multos erit id mortale peccatum, si fiant cum animo obfirmato permanendi in peccato, neque eliciatur actus doloris, quia istae actiones licet non conferunt immediate, atque ex opere operato, sanctitatem Animae, nec sunt moraliter actiones Christi, uti sunt Sacramenta, tamen requirunt, ut dictum est, actum Ordinis.

Q. Quid sunt Sacramentalia ?

R. Sacramentalium nomine vel intelliguntur ritus, seu religiosae actiones ab Ecclesia statutae ad decentem, atque devotam Sacramentorum administrationem vel intelliguntur actus externi Religionis ab eadem Ecclesia instituti, atque ad Deum colendum accomodati cum precibus ab Ecclesia institutis.

Q. Num Minister in solemni Sacramentorum administratione teneatur servare ritus accidentales ab Ecclesia institutos ?

R. Maxime, quare si absque necessitate omittantur, erit mortale in re gravi, veniale vero in re levi. Quod quidem aperte patet ex Trid. Sess. 7. Can. 13., ubi anathematis poena indicitur illis, qui dixerint *receptos et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni aut sine peccato a Ministris prohibito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse.*

Q. Num obligatio isthaec servandi hujusmodi ritus accidentales sit gravis ex genere suo ?

R. Maxime, quia est de re pertinente ad virtutem Religionis. Quare per se loquendo erit mortale illos omittere, aut contemnere, nisi levitas materiae excuset a reatu peccati mortalis. Hinc peccabit graviter qui sine sacris vestibus celebraret, aut aliquid notabile omitteret in solemni Sacramentorum administratione, leviter vero si ex negligentia aliquid leve omitteret, ut e. g. unum Sanctum in Canone Missae, aut aliquam genuflexionem, secluso scandalo, et contemptu. Qua quidem in re advertendum etiam, quod gravis incuria, sive negligentia, vel in addiscendis, vel exercendis caeremoniis aequivalet contemptui.

Q. Num Sacramentalia differunt a Sacramentis ?

R. Maxime, nam sacramenta conferunt effectus suos ex opere operato, Sacramentalia vero nullum effectum producunt ex opere operato, sed tantum ex opere operantis. Etenim sunt Sacramentalia instituta ab Ecclesia; Ecclesia autem non habet potestatem dandi alicui actioni vim infallibilem, ut unde aliquis effectus sequatur.

Q. Quaenam, et quot sint Sacramentalia ?

R. Sex communiter enumerantur, quae in hoc versiculo continentur.

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.

Orans, oratio scilicet dominica, seu *Pater noster*, preces in Ecclesia consecrata.

Tinctus, aspersio aquae lustralis, sive benedictae.

Edens, comestio panis benedicti, qui et *Eulogia* dictus fuit ab Antiquis.

Confessus, confessio generalis, sive *Confiteor* ?

Dans, eleemosyna.

Demum *Benedicens* benedictio scilicet collata ab Episcopo, sive ab Abbate consecrato, quae quidem omnia ex antiqua Ecclesiae traditione dicuntur remittere venialia.

Digitized by Google

Q. Quomodo culpae veniales remittuntur per Sacramentalia?

R. Juxta communiorem, ac probabiliorem sententiam, quam docet etiam D. Thomas, per Sacramentalia non remitti venialia ex opere operato, sed tantum, quia per illa pius motus doloris, aut caritatis in nobis excitatur, quo venialia remittuntur. Hinc. D. Thomas 3. part. q. 87. art. 3. loquens de aqua benedicta et ceteris hujusmodi ad 3. ait: *per haec in quantum sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum* remittere venialia, et ad 3. ait in corpore: *reatus poenae remittitur per praedicta secundum modum fervoris in Deum, qui per praedicta excitatur quandoque magis, quandoque autem minus.*

Q. Num Sacerdos teneatur suam examinare conscientiam, priusquam administrat Sacramentum?

R. Maxime tenetur, ne exponatur periculo peccati lethalis. Unde S. Carol. act. part. 4. de Sacrament. administrat. ait: *Parochus, omnisque Sacerdos, cujus est Sacramenta administrare. primum sollicite, et intime cogitare debet, an reus sit alicujus peccati mortalis, quod sanctissima cautione Sacerdos evitare debet . . . quod si reum se esse novit, prius Sacramentali confessione se expiare studebit.* Idem quoque dicendum de conficientibus Sacramenta, si in statu peccati mortalis reperiantur: hoc tamen intelligitur de illis Ministris qui solent labi in ejusmodi peccata, non vero de illis, qui semper probe vitam degunt, et uti vere homines Dei interius, et exterius se gerunt.

Q. An sufficit elicere actum contritionis ante Sacramenti administrationem, si aliquis novit se reum peccati mortalis?

R. Minime, si adsit confitendi facultas sine praejudicio Reipublicae, aut privatae personae in urgente necessitate. Id expresse definitum in Concilio Trid. quoad Sacrificium Missae, sess. 13., cap. 7. At si urgens adsit necessitas, potest Sacerdos ante confessionem Missam celebrare, praemisso actu contrictionis sed peracto Sacrificio tenetur quamprimum confiteri. Quare merito hanc propositionem damnavit Alex. VII. 18. Martii 1666.: *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimum, est consilium, non praeceptum.*

Q. Utrum liceat Sacramenta petere, et accipere ab improbis Ministris?

R. Si non adsint alii, a quibus commode recipi possint, licitum est, si habeatur sufficiens necessitas petendi. D. Thomas in IV. dist. 24. q. 1. artic. 3. quaestiuncula 5. ad 3.: secus illicitum est, et contra legem naturalem communicare peccatis alienis, et sine causa ponere fratri nostro scandalum, h.e. praebere illi occasionem ruinae. Diserte Apostolus ad Roman. 14. v. 13. *Ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum.* Porro, qui petit. Sacramenta Baptismi, ac Poenitentiae, urgente extrema necessitate etiam a Ministris malis non toleratis, unitur jure suo providendi suae necessitati, vel utilitati spirituali, nec ullo modo cooperatur peccato alterius. Ita communiter. Vide August. in lib. 1. de Baptism. contra Donat. cap. 2.

Q. Num possit Minister administrare Sacramenta haeretico petenti?

R. Sacramenta haeretico publice, sive publice, sive privatim petat, administranda non sunt, quia non sunt margaritae mittendae ante porcos, tum quia Sacerdoti incumbit onus non admittendi ad Sacramenta indignos, quia fidelis debet esse Mysteriorum Dei Minister.

Digitized by Google

Haeretico occulto indigne petenti Sacramenta, si occulte petat, non sunt administranda; modo non sit cognitus haereticus ex ejus Sacramentali Confessione, quia nunquam licet Sacerdoti uti notitia ex Sacramentali Confessione habita, cum gravamine Poenitentis, ne reddatur hoc Sacramentum odiosum, uti suo loco disputabitur. Si autem publice petat Sacramenta, non sunt deneganda, et ratio est, quia Christus non denegavit Sacramentum Eucharistiae Judae publice petenti, tum etiam, quia alioquin magna posset oriri perturbatio Ministro Sacramenti, qui probare cogeretur occultam suscipientis iniquitatem, tum etiam oriretur scandalum, et infamia.

CAPUT III.

De Sacramentorum effectibus

Q. Quinam sunt Sacramentorum effectus?

R. Sacramentorum effectus novae Legis duo praecipui sunt, unus generalis effectus omnium, et alter particularis aliquorum. Generalis effectus omnium Sacramentorum est gratia sanctificans, nam omnia Sacramenta sine obice suscepta conferunt gratiam ex opere operato digne sumentibus. Id patet ex Concilio Florent. sess. ult. in decreto Eugen. IV. §. 5. et ex Tridentini sess. 7. Can. 6., ibi: *Si quis dixerit Sacramenta novae legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre . . . . anathema sit.* Effectus vero particularis aliquorum Sacramentorum est character. Praeterea praeter gratiam sanctificantem conferunt Sacramenta gratiam specialem quam *Sacramentalem* vocant Theologi, quae propria, ac peculiaris est uniuscujusque Sacramenti, quaeque in ea sita est, ut jus tribuat ad nova, ac specialia auxilia obtinenda, quae necessaria sunt ad consequendum finem proprium cujusque Sacramenti. Qua de re consule, si lubet, Theologos.

Q. Quid est Character?

R. Character est spirituale quoddam signum Animae indelebiliter impressum.

Q. Quaenam Sacramenta conferunt characterem?

R. Sola tria Sacramenta, scilicet Baptismus, Confirmatio, et Ordo imprimunt characterem, ut definitum est in Concilio.

Q. Qua ratione sola dicta tria Sacramenta, et non alia quatuor imprimunt characterem?

R. Quia haec est voluntas Christi Domini ita statuentis, quae nobis sufficienter constat ex perpetua traditione, et auctoritate Ecclesiae. Attamen ratio congruentiae desumitur ex exemplo, quo utitur Scotus in 4. dist. 3. qu. 19., quia sicut in statu civili tres tantum sunt gradus determinati, et speciales. Primus scilicet est, dum admittitur quis in familiam Principis, secundus, dum constituitur miles ad defendendam Rempublicam, tertius, dum constituitur Officialis Principis. Ita tres solum gradus determinati, et speciales, adeoque dignitatem, aut characterem imprimentes reperiuntur in Ecclesia. Primus est dum quis recipitur in familiam Christi, quod fit in Baptismo. Secundus, dum fit Christi miles ad defensionem fidei Christianae, quod fit in confirmatione. Tertius, dum constituitur Dux, aut unus ex Magistratu familiae Christi, et dispensator mysteriorum Dei, quod fit in Or-

Digitized by Google

dine. Vide D. Thom. 3. par. q. 63. art. 1. in corpore, et ad 1. et art. 3. in corpore, et art. 6.

Q Quot sunt effectus characteris ?

R. Duo, I. Distinguit v. g. baptizatum a non baptizato, Confirmatum, a non Confirmato, Sacerdotem a laicis. II. Consecrat, et deputat ad nonnulla Religionis officia.

Q Quomodo Sacramenta novae Legis conferunt gratiam ?

R. Sacramenta conferunt gratiam, ut ajunt Theologi *ex opere operato*, hoc est illam conferunt immediate ex seipsis per virtutem receptam a Passione Christi, qui nostram operatus est salutem. Dicitur *ex opere operato*, quia ob infallibilem promissionem Divinam ea gratia confertur ex meritis Christi, ac virtute Passionis suae, quae jam sunt opus operatum, Habert, Juvenin., Genet., aliique.

ADDITAMENTA EX S. LIGORIO

DE SACRAMENTIS IN GENERE (1).

Notandum 1. non esse denegandum Sacramentum occulto peccatori publice illud petenti, ut docet S. *Thomas*, et ut exprimitur *in Cap. Si Sacerdos de off. Jud. Ord.* Excipitur ordo quem etiam pro occultis potest Episcopus denegare, *ut Tom. III. de Exam. n. 20:* contra debet denegari peccatori publico, etiam publice petenti. In dubio autem peccati et poenitentiae: si peccatum est certum, et poenitentia dubia, etiam denegandum est; secus autem, si delictum est dubium. Si peccatum non est simpliciter publicum, sed est notum majori parti praesentium, et tantum unus, vel alter probus nescit, probabiliter etiam potest denegari Sacramentum, ut dicunt *Croix*, *et Diana*, sed probabilius non debet denegari, ut tenent *Suar.* et *Bonac*: vide dicta *Tom. I. Tr. XI. n. 11.* Sed si peccator petat Sacramentum in loco, ubi delictum est occultum, licet alibi esset publicum, dicimus cum *Cabass. Soto, Vasq. etc.* adversus alios non posse denegari, quia in eo casu eadem evenirent inconvenientia, ac si denegaretur Sacramentum peccatori, cujus delictum nullibi est publicum.

Notandum 2: quod ut praescribit Rit. Rom. (*de Sacr. Euch.*) debet denegari communio publicis peccatoribus, quoties non constat etiam publice de eorum poenitentia, et non prius, quam scandalo aliis praestito consuluerint. Cui tamen dicunt *Possevinus*, *Sancius*, *Busemb.*, et *Croix* sufficere Confessionem coram multis factam, ita ut brevi sit manifestanda aliis, modo non adsit occasio proxima auferenda, nam si talis occasio adest publice jam nota, non debet dari publico peccatori Communio, nisi remota occasione. An autem Sacerdos possit timore mortis praebere peccatori publico Communionem; admittunt *Bonac. Croix etc. Sed nos cum Ledesma Conc. et* aliis nega-

(1) *Homo apost. Tract. XIV. de Sacr. in gen. Cap. 1. §. 4. et seq.*

Digitized by Google

mus, quia debet evitari potius Sacramenti injuria, quam proprium damnum. Nec obstat dicere, quod cum jam possit Minister (ut supra dictum est) Communionem praebere peccatori occulto ad vitandam ejus infamiam, tanto magis ad vitandam mortem propriam. Respondetur quod in tantum potest praeberi peccatori occulto Communio, ut vitetur illius infamia, in quantum ejus infamia redundaret in damnum commune aliorum proborum, qui perspicientes peccatorem illum publice propter peccatum occultum esse diffamatum, possent facilius terreri a Communione timore, ne ab aliquo imprudenti Sacerdote expellerentur. Sed haec ratio evitandi publicum damnum non procedit in casu nostro. Vide etiam Tractat. XV. numer. 15.

Notandum 3, quod Parochus non potest licite assistere matrimonio sponsorum, qui sunt publici peccatores, ut recte dicit Bened. XIV. contra *Layman Lug. Croix etc.*, qui dicunt quod Parochus tenetur ex sui officii munere assistere, et quod assistentia talis sit pure materialis. Nos vero dicimus sponsos in tali statu non habere jus ad Parochi assistentiam exquirendam, ideoque cum ille licite suam assistentiam possit, tenetur denegare, ne illorum sacrilegii particeps fiat. Et eadem ratio currit de testibus, sed amplius Parocho obstat, quod ille tenetur ex justitia impedire peccata suarum ovium. Et hic advertendum quod juxta Decretum Clementis XI. confirmatum a Bened. XIV. Parochus non debet ad publicationes procedere, nisi prius examinet sponsos, et sufficienter eos in rebus fidei instructos reperiat. An vero licite possit sponsa nuptias contrahere, et consequenter Sacramentum ministrare (ex vera sententia, quod sponsi sint matrimonii ministri, ut probavimus Tract. XVII. n. 28.) Sponso publico peccatori, admittunt *Sanch. Lugo, et Croix*, dicentes sponsos in hoc se haberi, ut privati contrahentes; in matrimonio enim directe initur contractus, indirecte Sacramentum fit, sed haec ratio non suadet, cum hujusmodi contractui adnexa est etiam Sacramenti administratio. Unde puto tantum dici posse, quod praefata administratio, ut a Ministris ad id non consecratis, non esset grave peccatum pro ipsis, ut probabiliter tenent *Gonet, Suar. Tour. Habert Juven. Natal. Alex. Con. Salm. etc.*, licet opinio opposita quod sit grave *Pontii Lug. Navar. Vasquez. Contin. Tourn. Croix etc.*: mihi videtur probabilior, ut dicetur Tom. III. Append. III. n. 17. Notandum est autem Matrimonia cum Haereticis esse ab Ecclesia vetita.

DE BAPTISMI, ET CONFIRMATIONIS SACRAMENTIS

CAPUT I.

De definitione institutione, et necessitate Baptismi.

Q. Quid est Baptismus?

R. A D. Thoma 3. part. qu. 66. art. 1. in corpore definitur: *Ablutio exterior corporis, facta sub praescripta forma verborum.* A Theologis vero definitur: *Sacramentum novae legis ad spiritualem hominis regenerationem a Christo Domino institutum.*

Digitized by Google

Q. Quotuplex est Baptismus?

R. Baptismus triplex est, scilicet *Fluminis*, *Flaminis*, *et Sanguinis*: Baptismus fluminis est ablutio corporis exterior facta sub praescripta forma verborum, et de hoc Baptismo fluminis dicitur Joann. 3. 22. *Venit Jesus, et Discipuli ejus in terram Judaeam, et illic demorabatur cum eis, et baptizabat.* Baptismus flaminis est votum, seu desiderium recipiendi Baptismi Sacramentum, et de isto Baptismo accipienda sunt, atque intelligenda omnia Sacrarum litterarum loca, quibus credentibus, atque sperantibus in Deum, eumque sincera, atque ardenti caritate diligentibus salus aeterna promittitur, et quod dictum est pio Latroni in Cruce: *Hodie mecum eris in Paradiso*, Luc. 23. 43. id docet D. Augustinus lib. 4. de Baptismo. Quare rectissime docuit Tridentina Synodus post promulgatum Evangelium, justificationis gratiam nemini posse impertiri sine lavacro regenerationis, aut ejus voto. Baptismus sanguinis est martyrium, seu perpessio mortis, vel cruciatus lethalis pro Christi fide supplens defectum Baptismi fluminis, et de hoc Baptismo dicitur Marc. 10.: *Potestis bibere calicem, quem ego bibo, aut Baptismo, quo ego baptizor baptizari?*, de quibus lege, si lubet, Cap. *Baptismi vicem* 34. distinct. 4. de Consecrat.

Q. Quandonam Christus Dominus instituit Sacramentum Baptismi, an ante, an post Passionem?

R. Communiter Patres asserunt, Baptismum institutum fuisse a Christo Domino ante suam Passionem, id patet ex citato loco Joann. 3. 22.

Q. Estne necessarius Baptismus ad salutem?

R. Est necessarius non solum necessitate medii, sed etiam necessitate praecepti, ita tamen, quod adultis est necessarium necessitate medii *in re*, vel *in voto*, parvulis *in re*. Quare si quis non sit baptizatus, nunquam poterit in regnum Dei introire. Aperte Joann. 3. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu S., non potest introire in regnum Dei.* Idem de fide tenendum decernitur in Concilio Tridentino sess. 7. de Baptismo Canone 5. sic definiente: *Si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem, anathema sit.*

Q. Num omnibus hominibus sit necessarius Baptismus?

R. Sacramentum Baptismi est omnibus hominibus, etiam parvulis a Christianis parentibus prognatis, necessarium, uti constat ex Joannis 3.5. et universalis Ecclesiae doctrina, quam explicat Tridentinum sess. 7. Canone 5. *Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem, anathema sit.* Patet etiam ex Patribus. S. Ambrosius explicans citatum locum Joannis 3. 5. Vide Cyprianum ad finem *Epist. 59. lib. 2. de Abraham cap. ult.: Nullum excipit*, inquit, *non infantem, non aliqua necessitate praeventum.*

CAPUT II.

De materia, et forma Baptismi

Q. Quotuplex est Baptismi materia?

R. Duplex est remota nimirum, et proxima. *Remota* est aqua naturalis, et elementaris, est de fide definitum in Concilio Tridentino cap. *Firmiter*

Digitized by Google

de summ. Trinit., et in Concil. Trident. sess. 7. Can. 2. Constat etiam ex variis Scripturae locis, ut ex illo Joann. 3., et ex Act. 8. 36. *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari?* *Proxima* est ablutio corporis, quae debet esse sensibilis, ut aqua corpus physice tangat. Ita omnes.

Q. Quotuplici modo potest fieri ablutio?

R. Triplici, I. Trina immersione, vel unica. II. Infusione. III. Aspersione.

Q. Quae ex recensitis ablutionibus requiritur ad Baptismi veritatem?

R. Certum est, immersionem sive trinam, sive unicam, neque necessitate Sacramenti, neque necessitate praecepti divini esse necessariam, sed posse sufficere infusionem vel aspersionem, uti communiter sentiunt Patres et Theologi. Nam licet Christus materiam proximam Baptismi, nimirum ablutionem, praescripserit, modum tamen abluendi non praescripsit. Quare in Ecclesia modo unus, modo alter baptizandi ritus pro temporum diversitate aliisque circumstantiis fuit observatus. Verum licite haec ita se habeant, peccaret tamen, et quidem graviter Sacerdos, qui nulla exigente necessitate ritum suae Ecclesiae in baptizando violaret: vide S. Thom. 3. part. qu. 60 art. 8.

Q Quaenam aqua debet censeri naturalis?

R. Omnis ea, quae opponitur artificiali. Hinc colligitur valere Baptismum datum aqua maris, fluminis, putei, fontis, balnei. Item aqua resoluta ex nive, gelu, grandine etc. Contra non valet Baptismus datus aqua, quae ex rosis, pomis, arboribus, pyris, cerasis, radicibus etc. fuerit expressa. Ita communiter.

Q. Num licitum sit in casu necessitatis baptizare puerum adhuc existentem in utero Matris?

R. Non licet, uti ait S. Isidorus relatus in Canone: *Qui in maternis* dist. I. de Consecr., ibi: *Qui in maternis uteris sunt ideo cum Matre baptizari, non possunt, quia, qui natus adhuc secundum Adam non est, renasci secundum Christum non potest; neque enim dici regeneratio in ea poterit, quem generatio non praecessit.* Vide S. Thomam 3. part. q. 68. art. 11.

Q Quaenam est forma Sacramenti Baptismi?

R. Vera et legitima forma Sacramenti Baptismi est: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Constat ex Matth. 24. 19. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Quae verba proferri debent distincte, nihil omittendo, vel immutando, attente, et devote, statim ac infunditur aqua in caput baptizandi.

Q. Requiriturne ad Baptismi validitatem, ut exprimatur actus baptizantis per verbum baptizo?

R. Maxime, uti statuit Alex. III. in cap. 1. de Baptis., *Si quis puerum ter in aqua immersit in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et non dixerit: Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti non est puer baptizatus.* Ita etiam declaravit Alex. VIII., a quo, die 7. Decemb. 1690. proscripta fuit haec propositio: *Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus:* In nomine Patris etc., *praetermissis illis, Ego te baptizo.* Concin. Juvenin., Berti, aliique.

Digitized by Google

Q. An requiratur expressa, et distincta invocatio trium Personarum, ut valeat Baptismus

R. Maxime, quia Christus distinctam invocationem Personarum Trinitatis injunxit Baptismatis Ministro. Insuper Sancti Patres dicunt Baptismum irritum esse, si quis absque verbis a Christo praescriptis illum conferre praesumat. Quare August. lib. 6. de Baptism. contra Donat. cap. 25., ait *Non esse Baptismum Christi, si verba Evangelica, quibus Symbolum constat, illic defuerint?*

Q An baptismus potest iterari?

R. Minime, et est de fide. Diserte Apostolus ad Ephes. 55 *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma.* Id patet ex Tridentino. Hinc Concilium Lateran. in cap. *Licet.* de Baptism. ait: *Si quis baptizatos rebaptizare ausu temerario praesumpserit, excommunicationis mucrone percussus ab omni officio, et beneficio ecclesiastico deponatur.*

At si dubitetur de Baptismi validitate, et post diligentem inquisitionem adhuc dubium perseveret, tunc poterit Baptismus reiterari sub conditione. Id constat ex S. Leone in cap. 112., et 113. De Consecrat. dist. 4., et ex cap. 2. tit. eod., ubi Alexander III. rescripsit: *De quibus dubium an baptizati fuerint, baptizentur his verbis praemissis: Si baptizatus es, non te baptizo: sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo etc.* quia secus homo probabili periculo damnationis exponeretur ob Baptismi carentiam. Ita communiter.

CAPUT III.

De Baptismi Ministro

Q. Quinam est Minister Baptismi?

R. Minister ordinarius Baptismi est solus Sacerdos, sive Episcopus sit, Praesbyter. Extraordinarius vero est Diaconus, Cap. *Constat* de Consecr. dist. 4. Hinc si Diaconus extra necessitatis casum, nec jussus ab Episcopo, vel Parocho solemniter baptizat, alienum munus usurpat, et fit irregularis. Habert, Juven., Ligorius, aliique ex cap. *Si baptizaverit* 1. de Cleric. non ordin. ministr.

Q. Num Laici possint conferre Baptismum?

R. Maxime in casu necessitatis etiam laicus, sive foemina, sive paganus modo habeat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia. Quare in cap. *Firmiter* de Summ. Trinit. §. *Sacramentum* decernitur fide credendum: *Baptismum tam parvulis, quam adultis a quocumque rite collatum proficere ad salutem.* Tamen, *etiamsi extra necessitatis articulum* (inquit S. Thomas 3. part. qu. 67. art. 3. 1.) *laicus baptizet, peccat quidem, tamen Sacramentum baptismi confert.*

Digitized by Google

CAPUT IV.

De Baptismi effectibus

Q. Quinam sunt effectus Baptismi?

R. Ex Doctrina Theologorum sunt tres, I. Gratiae infusio. II. Characteris impressio. III. Remissio reatus omnis tum culpae, tum poenae, sive aeternae sive temporalis in altera vita solvendae. Idem ex D. Bonaventura in 4. sent. dist. 4.

Q. Gratia, quae per Baptismum producitur, remittitne peccata omnia, quorum Cathecumenus reus est?

R. Maxime, nam per gratiam deletur non solum peccatum originale, sed etiam omnia peccata personalia ante Baptismum commissa. Expresse definitum fuit in Concilio Florentino in decreto unionis, apertissimis his verbis: *Hujus Sacramenti effectus est remissio omnis culpae originalis, et actualis*, et in Concil. Trident. Sess. 14. cap. 2., ibi: *Per Baptismum enim Christum induentes, nova prorsus in illo efficimur Creatura plenam, et integram peccatorum omnium remissionem consequentes.* Praeterea Apostolus ad Titum 35. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus Sancti*: et ad Romanos 8. *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu,* scilicet per Baptismum.

Q. Quosnam fructus affert gratia Baptismalis?

R. Plures, I. est delere omnia peccata tam originale, quam actualia, uti supra diximus. II. Est, quod nos haeredes efficiat aeternae salutis. Marc. 16. *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* III. Est incorporatio cum Christo capite, cujus membra efficimur per Baptismum. Hinc Apostolus ad Fideles gratia Baptismi donatos: *vos estis Corpus Christi.* Et S. Thom. 3. par. q. 69. art. 5. in corpore ait: *Per Baptismum aliquis regeneratur in spiritualem vitam, quae est propria Fidelium Christi.* IV. est consecutio, seu infusio omnium virtutum, et donorum. Ultimus est aperire nobis aditum ad Coelorum regnum.

Q. Quaenam sunt bona, quae nobis affert tertius Baptismi effectus, qui restitutio innocentiae est?

R. I. est remissio totius poenae debitae peccatis. Hinc Eugenius instructione Armenorum ait: *Effectus Baptismi est remissio omnis poenae, quae pro culpa debetur. Praeterea baptizatis nulla pro peccatis praeteritis injungenda est satisfactio, sed morientes, antequam culpam aliquam committunt, statim ad regnum Coelorum, et Dei visionem perveniunt.* II. Est quod nobis praebet vires contra concupiscentiam. Notandum est hoc loco ita restitui per baptismum innocentiam, ut restituatur gratia sanctificans, quae erat praecipua dos status innocentiae, et auferatur reatus cum culpae, tum poenae in altera vita solvendae, non vero quod trasferamur ad perfectum illum vitae gradum in quo Adam erat in statu innocentiae. Vide Catechismum Romanum Part. II. de Sacramento baptismi. Id autem fit. I. ut Christo patienti conformemur. II. ut materiam virtutis habeamus. Illud etiam est observandum, per Baptismum produci etiam gratiam peculiarem, nempe jus ad auxilia, quibus *in novitate vitae ambulemus.* His ver-

Digitized by Google

bis Apostolus vitam Christiano dignam describit ad Romanos 6. 4. Et ad Galatas 3. 27. effectus Baptismi, et obligationes per baptismum contractas, docet his verbis : *quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.*

ADDITAMENTA EX S. LIGORIO

DE SACRAMENTO BAPTISMI (1).

Notandum 1. quod juxta regulam generalem, ut conferatur Baptismus sub conditione jam baptizato, requiritur rationale, et prudens dubium de valore prioris Baptismi, dubium sive negativum sit, sive positivum, sicut explicatum est *Tom. I. Tr. I. n. 12.* Advertendum tamen, quod cum saltem unus testis ocularis de Baptismo collato testatur, non potest repeti, nisi cum adsint testes contrarii, qui positive oppositum deponunt, ita communiter *Suar. Laym. Castrop. Bonac. Holzam. Salm.* etc. cum *Lambertino.* Advertendum item non esse baptizandos (ne sub conditione quidem) adultos a parentibus christianis natos, et inter fideles educatos, licet nullus adsit, qui de illorum baptismo testetur, ut exprimitur in *Cap. Venientes 3. de Presbyt. non bapt.*, ubi dicitur : *Et certe de illo, qui natus est de christianis parentibus, et inter christianos est fideliter conversatus, tam violenter praesumitur, quod fuerit baptizatus, ut praesumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis forsitan argumentis contrarium probetur.* Recte tamen dicunt *Laym.*, *et Busemb.*, baptismum sub conditione esse conferendum adultis, etiam inter fideles nutritos, cum eae adsint conjecturae, ut praesumere faciant verisimiliter eos non fuisse baptizatos. Imo S. C. ut refert *Zachar.* pluries decrevit esse baptizandos sub conditione eos, pro quibus nullum baptismi recepti signum haberi potest, nec parentum Matrimonii.

Notandum 2. Circa infantes (si sint expositi, et scriptum sive habent, sive non baptismi recepti) debent baptizari sub conditione, quoties non constat de baptismo eorum, quia prudenter semper potest dubitari: ita *Nat. ab Alexandro, Petrocor. Conc. Ronc. Holzam. Tourn. Henno*, et alii *cum Lambert.*, qui ad hujus confirmationem producit *Conc. Mediolanen.*; et declarationes S. C., et etiam Rit. Rom. ubi dicitur : *Infantes expositi si de eorum baptismo non constat, sub conditione baptizentur.*

Notandum 3. Quod infantes ab ostetricibus baptizati, aut a laicis, tunc solum rebaptizandi sunt, cum probabilis de errore habetur suspicio, ut communiter *Suar. Laym. Bonac. Conc. Holz. Salm. Croix* etc., quidquid alii dicant: et ita declaravit. S. C. Secus vero, cum Parochus explorato laico, reperit illum sufficienter instructum, ut dicitur in Catechis. Rom., in eo casu tamen in Ecclesia suppleri debent caeremoniae, ut praecipitur in *Rit. Rom.* In casu autem, quo repetendus erit baptismus in adultis, non praemittenda confessio, sed tantum contritio.

(1) *Homo apost. Tract. XIV. Cap. II. de Baptismo Punct. 11. §. 25. et seq.*

Digitized by Google

Notandum 4. Baptizatos ab Haereticis non esse rebaptizandos, nisi eum certum est, aut saltem prudenter dubitari potest in aliqua parte non servari requisita ab Ecclesia Catholica ad valorem Sacramenti, ut declaravit S. C. Quod praecipue accidit in baptizatis a Praedicantibus Lutheranis, et Calvinistis, ut advertunt *Tournely*, *Gobat. Dicast.*, quoniam aliqui ex illis utuntur aquis distillatis, alii solent in baptizando hunc morem servare, ut unus proferat formam, et alius applicet materiam, nonnulli infundunt aquam super vestes tantum, aliique communius deficiunt in intentione.

Notandum 5. Peccare Ministrum, si cum rationabile dubium de baptismi collatione habetur, non baptizat (intellige sub conditione). Contra cum testis unicus oculatus habetur de baptismi collatione, non potest repeti. Sat est conditionem mente apponere, modo non adsit scandalum in ea occultanda; sed semper tutius est eam exprimere: *Si non est baptizatus* etc. Et cum baptizatur sub conditione, non requiritur patrinus.

CAPUT V.

De Confirmationis definitione, institutione, et necessitate.

Q. Quid est Confirmatio?

R. Est Sacramentum, quo homo viator baptizatus per impositionem manuum, et orationem Episcopi, et per Chrismatis unctionem cum praescripta verborum forma Spiritum Sanctum recipit, ad firmam, et constantem Fidei confessionem.

Q. Num Confirmatio sit unum ex septem Sacramentis?

R. Maxime, est de fide, uti aperte patet ex Eugenio IV. in decreto de unione Armenor. §. *Secundum*, et ex Tridentino sess. 7. Canone 1. *Si quis dixerit Confirmationem baptizatorum otiosam caeremoniam esse, et non potius verum, et proprium Sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse, quam Catechesim quandam, qua adolescentiae proximi fidei suae rationem coram Ecclesia exponebant, anathema sit.*

Q. Quandonam Christus instituit Sacramentum Confirmationis?

R. Quod omnia Sacramenta sunt aliqualiter necessaria ad salutem, sed quaedam sunt, sine quibus non est salus: quaedam vero sunt quae cooperantur ad perfectionem salutis. Et hoc modo Confirmatio est de necessitate salutis, quamvis sine ea possit esse salus, dum tamen non praetermittatur ex contemptu sacramenti. Hoc Sacramentum fuit institutum a Christo in nocte Coenae Domini. Unde promanavit Consuetudo Sacrum Chrisma conficiendi in die Coenae Domini, quae semper observata fuit, et observatur in Ecclesia. Est communior, et probabilior sententia, et hanc sententiam expresse tradidit Fabianus Pontifex Epistola 2. Cap. 1. ad Orient,, ibi: *In illa die Dominus Jesus, postquam coenavit cum Discipulis suis, lavit eorum pedes, sicut Sancti Apostoli praedecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt, Chrisma conficere docuit.*

Q. Num sit necessarium ad salutem suscipere Sacramenta Confirmationis?

R. Respondit S. Thomas 3. part. q. 72. art. 1. ad 3. Tempus, quo confirmatio instituta fuit non est fide definitum. Dicimus tamen *Sine confir-*

Digitized by Google

matione potest esse salus, dum tamen non praetermittatur ex contemptu Sacramenti, et ex culpabili negligentia (1).

CAPUT VI.

De materia, forma, et Ministro Confirmationis

Q. Quaenam est materia Sacramenti Confirmationis?

R. Duplex est Confirmationis perfecta, et adaequata materia. Prima est impositio manuum, secunda est unctio Chrismatis in fronte. Et quidem impositio manuum ex Scripturis probatur. Sic legimus Act. 8. 17. *tunc* imponebant *manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum.* Et 19. 6., *Cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos, et loquebantur linguis, et prophetabant.* Accedit Ecclesiae antiquissima, et perpetua Consuetudo, doctrina Patrum, qui manuum impositionem agnoscunt ut confirmationis materiam. Sic Cyprianus Epist. 73. Explicans citatum locum, art. 8. 17. sic scribit: *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia Baptizantur per praepositos Ecclesiae offerantur ut per nostram orationem, ac manus impositionem Spiritum Sanctum accipiant.*

Q. Quaenam conditiones requiruntur in Chrismate confirmatorio?

R. Duae requiruntur, I. Ut balsamum fuerit admixtum oleo ex olivis expresso. II. Ut Chrisma sanctificatum fuerit Episcopali benedictione.

Q. Quisnam est Minister Sacramenti Confirmationis?

R. Minister ordinarius hujusce Sacramenti est solus Episcopus, et est de fide definitum in Concil. Trid. sess. 7. Can. 3. de confirmatione ibi: *Si quis dixerit sanctae Confirmationis ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.*

Q. Num Episcopus degradatus, excommunicatus etc. possit conferre Sacramentum Confirmationis?

(1) Circa necessitatem hujus Sacramenti alii dicunt, quod quilibet, ut confirmetur sub gravi curare tenetur, quia secus sibi magni damni causa esset, se privando robore ad tentationibus resistendum, quod hoc Sacramentum confert; ita *S. Bonaventura, Merbes, Tourn. Conc, Habert.* Sed hoc grave onus negant multo communius; *Sot. Navar. Suar. Layman. Fras. Wigandt. Castrop. Bonac. Ansch. Salm. Croix* etc., quia de hoc gravi praecepto, sive naturali, sive positivo non constat. Idem sentit *Scotus*, qui loquendo de Extrema Unctione, et Confirmatione, dicit: *Neutrum est simpliciter necessarium, nec est praeceptum de isto vel illo recipiendo.* Idem sentit *S. Thomas*, qui dicit Confirmationem esse necessariam, non jam ad salutem, sed ad salutis perfectionem; alibi postea expresse affirmat sine hoc Sacramento ex vita discedere periculum esse, *non quia damnaretur* (nisi forte propter contemptum) *sed quia detrimentum salutis pateretur.* Et idem denique sentire videtur *Catech. Rom. §. 17.* dicendo ibi quod Ecclesia *optat*, ut omnes baptizati hoc muniantur Sacramento: desiderium Ecclesiae utique non est praeceptum. Sed prima Sententia omnino est tenenda, utpote decisa a Benedicto XIV in Bulla *Etsi Pastoralis de Ritibus, et Dogmatibus Graecorum 1742.*, ubi (*§. III. num. IV.*) haec habentur: *Monendi sunt* (qui non sunt confirmati) *ab Ordinariis locorum eos gravis peccati reatu teneri si cum possunt ad Confirmationem accedere, illam renuunt, ac negligunt. S. Ligorius homo Apost. loc. cit. cap. III. de Confirmatione §. 47.*

Digitized by Google

R. Maxime, valide scilicet, quia per degradationem, haeresim, excommunicationem etc. non amittit characterem Episcopalem, in quo datur potestas confirmandi. Ita communiter. Vide se lubet, Barbosa de offic., et potest. Episcopor. part. 2. Allegat. 30. num. 2. Tamen illicite confert, et peccat graviter, et incidit in poenas canonicas. Nam in praedicta hypothesi inhibetur ei, ut Sacramentum possit administrare.

Q. Num Sacerdos simplex possit administrare Sacramentum Confirmationis.

R. Maxime ex expressa, et speciali commissione Summi Pontificis, Cap. *Pervenit* I. dist. 95., ubi refertur S. Gregorium Papam hanc facultatem concessisse Presbyteris propter defectum Episcoporum. Praeterea alii Pontifices istam facultatem concesserunt variis Religiosis. Vide S. Greg. P. Ep. XXVI. ib. IV. ad Jan. et Benedictum XIV. Constit. incipiens. *Cum ad infrascriptum*, et Constit. incipiens *Demandatam* §. 14.

Q. Quot sunt effectus hujusce Sacramenti?

R. Tres sunt I. producit augumentum gratiae in suscipiente, modo ipse debitis dispositionibus illud suscipiat, Cap. *Spiritus Sanctus* de Consecr. dist. 5. Hinc S. Thomas 3. part., qu. 72. art. 7. in corpore ait: *quod in hoc Sacramento datur baptizato Spiritus Sanctus ad robur*. II. perficit gratiam Baptismalem, et corroborat, seu confirmat, addendo vires spirituales et gratiam propriam hujus Sacramenti, seu jus ad auxilia divina pro tuenda interius fide adversus omnes tentationes, et exterius adversus inimicos fidei. III. imprimit characterem spiritualem, et indelebilem in suscipientis Anima. Trid. sess. 7. de Sacramentis Canone 9. Confer D. Thom. 3. part. q. 72. art. 5. in corp.

Pro complemento Sacramenti Confirmationis adnotare juvat duplicem illam materiam, et formam, quam supra explicavimus in praxi religiose servandam esse. Nam sunt quidam Theologi qui solum manuum impositionem habent, ut essentialem materiam: alii solam Chrismatis unctionem; sunt etiam, qui solam orationem conjunctam impositioni manuum habent ut formam essentialem: alii docent verba *signo te*, *etc.* esse formam essentialem. Sed multi, et quidem graves Theologi (quos nos secuti sumus) utramque docent esse essentialem. Certum esse autem in collatione Sacramentorum tutiorem partem nos sequi debere, ideo diximus in praxi religiose utramque materiam, et formam servandam esse.

Adnotare juvat secundo Confirmationem non esse necessariam necessitate medii sed ex praecepto divino, et ecclesiastico tenentur fideles Confirmationem recipere. Vide S. Thomam 3. parte qu. 72. art. 3. Ibi in corpore docet: *per hoc sacramentum promovetur homo spiritualiter in aetatem perfectam. Multo autem magis de intentione Dei est, omnia ad perfectionem produeere. Et ideo hoc Sacramentum debet omnibus exhiberi*. Certe Catechismus Romanus fideles in prima aetate ad Confirmationem excitat. Sic enim ait de Sacramento Confirmationis numero 18. *Minus tamen expedire hoc fieri antequam pueri rationis usum habuerint*. Quare si duodecimus annus expectandus non videatur; usque ad septimum certo hoc sacramentum differre maxime convenit (1).

(1) Dicunt multi Auctores, ut *Bonac. Escobar. Holzm. Salmant.* etc. omni cul-

Digitized by Google

DE EUCHARISTIA

IN DUAS PARTES DIVIDIMUS TRACTATIONEM HUJUS SACRAMENTI. IN PRIMA LOQUIMUR DE EUCHARISTIA, UT SACRAMENTUM EST. IN SECUNDA DE EADEM, UT EST SACRIFICIUM.

PARS I.

De Eucharistiae Sacramento

CAPUT I.

De variis Eucharistiae nominibus, ejusque definitione.

Q. Quid denotat verbum Eucharistia?

R. Eucharistia dicitur a verbo graeco, quod apud Latinos significat *bona gratia*, *sive gratiarum actio*, nam Christus gratias egit in ejus institutione, uti Paulus I. ad Corinth. 11. 24. *Et gratias agens fregit, et dixit etc.* Est etiam Eucharistia fons omnium gratiarum, et beneficiorum, quia praesignificat vitam aeternam, de qua scribit Apost. ad Romanos 6. 23. *Gratia autem Dei vita aeterna.*

Praeterea Eucharistia vocatur *Synaxis*, hoc est *collectio*, *congregatio*, *adunatio*, nam solemus convenire, et congregari in unum locum, ut participes simus mensae Coelestis. Quare Apostolus 1. ad Corinth. 11. 20 ait; *Convenientibus ergo vobis in unum, jam non est Dominicam Coenam manducare.* Appellatur etiam *Viaticum*, nam hoc augustissimum Sacramentum in hac mortali vita nos reficit, sustentat, et corroborat, et cum morte properamus, viam nobis sternit, ac mutat ad aeternam gloriam.

pa vacare conferre Confirmationem infantibus ante septennium, dum jam hic erat mos antiquus, et ita etiam hodie a Graecis practicatur, et ut ait *Vivaldus* in Hispania confirmari solent biennes, et triennes. At hoc nunc dici nequit dum Benedictus XIV. in Constit. 129. *Eo quamvis* §. 6. edita an. 1754. (vide in *Bullar. ejusdem tom. 1.*) declarat nunc temporis non licere aliquem Confirmationis Sacramento munire, nisi usum rationis attingerit his verbis: *Nihilominus abrogato prorsus a Romana Ecclesia hujusmodi more consultissimis Pontificum Decretis cautum est, ut renatis fonte Baptismatis conferretur Sacramentum Confirmationis in ea solum aetate in qua Fideles intelligant tantum inter se differre Baptismum, et confirmationem, quantum distat Generatio ab Incremento.* Nihilominus idem Benedictus multis post annis cum esset Pontifex in suo Opere de *Synodo* dicit, quod etsi Catechismus asserat non expedire ut conferatur ante septennium, non tamen vetat, quin in aliquo casu conferatur pueris non natis septem annos. Et subjungit Auctor quod hoc perpendentes *Sylvius*, *Suar. Silv. Ronc. Juvenin. Gotti*, *et alii* affirmant licite posse etiam juxta praesentem Disciplinam Confirmationem conferre pueris ante septennium ex aliqua causa, ut puta si Episcopus per multum temporis manendum esset extra Dioecesim, aut si puer esset in periculo mortis, aut, alia de causa. Et de perpetuo amentibus sermonem habens, ait absolute posse illos Confirmationis Sacramento muniri S. *Ligorius homo Apost. loc. cit.* §. 49.

Digitized by Google

Q. Quid est Sacramentum Eucharistiae ?

R. Est Sacramentum, in quo sub speciebus panis, et vini verum Christi corpus, et Sanguis continetur, ad spirituale Fidelium alimentum. Concil. Later. IV. Cap. *Firmiter* de Summa Trinitate, et Fide Catholica Vide Tridentinum sess. 13. Cap. 1. 2. 3. 4.

Q. In qua re ponenda est essentia Sacramenti Eucharistiae ?

R. Respondeo proponendo doctrinam Concilii Tridentini sess. 13. Can. 4. *Si quis dixerit peracta consecratione in admirabili Eucharistiae Sacramento non esse corpus, et Sanguinem D. N. J. C., sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante, vel post, et in hostiis, seu particulis consecratis, quae post Communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum Corpus Domini, anathema sit.* Hinc nemo non videt discrimen, quod intercedit inter hoc augustissimum Sacramentum, et alia Sacramenta, nam illud consistit in re permanente, ista in actione transeunte ; hoc est in applicatione formae ad materiam, ita ut non existant, nisi dum conferuntur, aut suscipiuntur, Berti, Juven., Gennett. Catechismus romanus de sacramento Eucharistiae num 9. Sic scribit: Sed quantum hoc Sacramentum a reliquis omnibus differat, facile colligitur. Nam cetera Sacramenta materiae usu perficiuntur, dum scilicet alicui administrari ea contigit. Baptismus enim sacramenti naturam tunc adipiscitur cum reipsa homo aqua abluitur. At vero ad Eucharistiae perfectionem satis est ipsius materiae Consecratio, verum enim Sacramentum esse non desinit, quamvis in pyxide asservetur. Deinde in conficiendis aliis Sacramentis nulla fit materiae, atque elementi in aliam naturam mutatio ; etenim Baptismi aqua, aut Chrismatis oleum cum illa Sacramenta administrantur, priorem aquae et olei naturam non amittunt ; in Eucharistia vero quod panis et vinum ante Consecrationem, erat, confecta consecratione vere est corporis, et sanguinis Domini substantia.

CAPUT II.

De materia, et forma Eucharistiae Sacramenti

Q. Quaenam est materia Sacramenti Eucharistiae ?

R. Materia hujusce Sacramenti est solus panis triticeus, et vinum de vite. Nam haec fuit designata, et adhibita a Christo in institutione hujus Sacramenti, ut habetur Matth. 26. 26.: *Accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, et ait: Accipite, et comedite, hoc est corpus meum: Et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis, dicens : Bibite ex hoc omnes: et v. 29. Dico autem vobis : non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illam cum illud bibam novum vobiscum in regno Patris mei.* Proxima est conversio panis, et vini in Corpus, et Sanguinem Christi.

Q. Quinam panis est necessaria Eucharistiae materia, ut valide consecretur ?

R. Panis triticeus, et non alius: nam hic solus vocatur panis *simpliciter.* Confer. S. Thomam 3. part. quaest. 74. art. 1. 3. et 5.

Q. Num quilibet panis sive sit azymus, sive fermentatus, sit materia hujus Sacramenti ?

Digitized by Google

R. Maxime est materia sufficiens ad ejus validitatem. Unde merito haec ait Eugenius IV. in decreto unionis: *Definimus in azymo, sive in fermentato pane triticeo, Christi Corpus veraciter confici.*

Q. Aqua debetne admisceri vino consecrando?

R. Maxime ex lege Ecclesiastica, ut patet ex Concilio Tridentino sess, 22. doctrina de Sacrificio Missae Cap. 7. *Monet deinde sancta Synodus, praeceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent:* tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam quia de latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur, et cum aquae in Apocalypsi Beati Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unice repraesentatur ibi. Et id quidem obligat sub gravi ratione finis et sacrae significationis.

Q. Quaenam est forma Consecrationis panis?

R. Sunt verba Christi: *HOC EST CORPUS MEUM*, Tertullianus lib. 4. contr. Marcion., et Joan. Damascen. in lib. 4. de Fide Orthodoxa Cap. 15. Nam patres docent Eucharistiam confici verbis Christi. Vide Chrysostomum Hom. 2. in Ep. ad Timotheum, Ambrosium, libro 4. de sacramentis capite 4, S. Thomam 3. part. qu. 78. art. I. Eugenium IV. in decreto unionis.

Q. Quae est forma verborum, per quam vinum valide consecratur?

R. Sunt verba: *HIC EST CALIX SANGUINIS MEI etc.* Hic tamen advertendum, quod forma consecrationis Panis (ex sententia plurium Theologorum) essentialia sunt solum illa verba: *hoc est corpus meum*, et verba essentialia consecrationis vini sunt verba illa: *hic est calix sanguinis mei*; tamen quisque sub gravis peccati reatu tenetur recitare integram formam, quae in Canone legitur.

CAPUT III.

De Ministro Eucharistiae Sacramenti

Q. Quis est Minister Eucharistiae?

R. Soli Sacerdotes sunt Ministri conficiendae Eucharistiae, et est de fide: ita enim definivit Concil. Later. VI. Cap. *Firmiter* his verbis: *Hoc itaque Sacramentum nemo potest conficere, nisi Sacerdos, qui rite fuerit ordinatus:* patet etiam ex Tridentino sess. 22. Cap. 1., can. 2. » *Si quis dixerit illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi, aliique Sacerdotes offerent Corpus, et Sanguinem suum, anathema sit. Hinc S. Isidorus relatus in Can. Perlectis dist.* 25. *inquit; Ad Presbyterum pertinet, Sacramentum Corporis, et Sanguinis Domini in altari Dei conficere Vide S. Thomam 3. part. q. 82. art. 1. in corpore.*

Q. An Diaconus sit minister dispensator Eucharistiae?

R. Cum S. Thoma 3. parte qu. 72. art. 8.: ad primum *quod diaconus quasi propinquus ordini sacerdotali, aliquid participat de ejus officio, ut scilicet dispenset sanguinem non autem corpus, nisi in necessitate, jubente Episcopo vel presbytero.* Diaconi tamen sunt Ministri extraordi-

Digitized by Google

narii Eucharistiae, hoc est, possunt illam distribuere urgente necessitate *jussu Episcopi vel presbyteri*. Hinc Concilium IV. Carthaginiense can. 38., ait: *Diaconus, praesente presbytero Eucharistiam Corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget. Praeterea sic loquitur Concilium Aquisgranense cap. 7. Sicut in Sacerdote consecratio, ita in Ministro dispensatio Sacramenti est: ille oblata sanctificat, hic sanctificata dispensat.* Si tamen Diaconi absque delegatione id facere auderent, praeter peccatum, incurrerent irregularitatem, Cap. *Si quis* 1. *de Clerico non ordinato ministrante.*

Excipe casum gravis necessitatis, in quo absente Episcopo, vel Presbytero, diaconus licite Eucharistiam ministrat sine delegatione,

Q. Num sit necessarius status gratiae in administranda Eucharistia?

R. Maxime, ita ut qui dispensat Eucharistiam in statu peccati mortalis, peccat graviter. Hinc ait Angelicus in 4. sent. dist. 23. art. 3. qu. 1. ad 2. *Ad reverentiam ipsius in dispensante hoc Sacramentum, non solum exigitur sanctificatio morum, sed etiam Sacramentalis sanctificatio. Unde et manus Sacerdotis unctione sanctificatur.*

ADDITAMENTA EX S. LIGORIO

DE SACRAMENTO EUCHARISTIAE (1).

Quoad *Eucharistiae administrationem* notandum: denegandam esse Communionem publicis peccatoribus, nisi constet de eorum publica poenitentia, ut dictum est *Tract. XIV. num. 5.* Hic tamen juvat adnotare quae deliberavimus ex Const. *incipit* Benedicti XIV. ad Episcopos Galliae; quae Epist. *Ex omnibus edita 16. Octobris* 1758., ubi praebet normam quando denegandum sit Viaticum Refractariis Constitutioni *Unigenitus*. Ibi enim deciditur ut Communio deneganda sit peccatoribus publicis, et notoriis; at ut talis habeantur requiritur (si crimen in sola externa actione consistit, cujusmodi est notorietas usurarii, aut concubinarii), ut vel per sententiam Judicis rei declarati sint, vel in Judicio crimen sint confessi, vel aliquod facinus evidenter commisisse noscantur, et in eo facto moraliter perseverent; et quod vulgo cognitum est, non adhuc cessavit. Ratio enim horum est, quia haec moralem faciunt certitudinem de illorum notorietate criminis. Quod si crimen ab interna animi dispositione pendet (prout esset haeresis etc,) aliter procedendum; nam tunc tales non habendi sunt, si crimen innititur conjecturis, praesumptionibus, incertisque vocibus; statuit, ut si hi in extremo fuerint vitae constituti, non erit eis denegandum Viaticum, quoties in Paschate non fuerit eis denegata Communio, ubi vero ita validae adversus aegrotos praesumptiones, et indicia gravia, et urgentia militant,

(1) *Homo apost. Tract. XV. de Euch. Cap. 2. §. 15. Cap. 3. §. 20. 21. 46. et 57.*

Digitized by Google

vult, ut aegrotus semotim eum lenitate admoneatur, atque obsecretur, ut resipiscat, demonstreturque ei quod quamvis detur ei Viaticum, hoc fiat solummodo ut obtemperetur Ecclesiae, quae ad avertenda scandala publica, et ad ipsius aegroti praecavendam infamiam, cum a Sacra mensa non repellit, licet peccatorem coram Deo eum reputet non tamen in proprio Tribunali, ut publicum atque notorium peccatorem agnoscit.

Quoad *perceptionem Eucharistiae*, advertendum quod quando infirmus jugi vomitu laboraret, non potest communicare, si saltem sex horas ab illo liber non sit, ut ait *Busemb.*, et in dubio melius dicit *Croix* adversus alios non esse praebendam Communionem; nam potius Sacramenti reverentiae quam infirmi utilitati prospiciendum est. Quoad praxim autem, si vomitus provenit ex cibo cum infirmus illum sumit debet experiri dando ei non consecratam particulam, et si eam retinet tunc potest dari consecrata. Et idem faciendum (ut dicunt Salm.) in casu delirii ut observetur utrum infirmus possit cum decentia suscipere Sacramentum.

Si autem infirmus vexetur a jugi tussi, qua cogatur saepe flemmas e pectore expuere, hic bene potest communicare, quia hoc non inducit periculum projiciendi particulam, nam alius est vehiculus (nempe guttur) quo trajicitur cibus, alius est canalis (nempe aspera arteria) unde ejiciuntur flemmae et suspiria. Secus autem, si tussis ne permitteret quidem particulam trajicere.

Quoad *corporis dispositionem* videamus nunc in quibus casibus possit suscipi Eucharistia a non jejuno I. Cum Communio datur per Viaticum in periculo mortis. Dictum est *periculo*, quia ad recipiendum Viaticum non est necesse nec laudabile est expectare tempus quando nulla amplius spes vitae subest, sed sufficit, ut adsit periculum probabile mortis. Et tunc non dubitatur a DD. quin possit plories accipi Viaticum, etiam durante eadem infirmitate, dum hoc Sacramentum non solum sumi debet ob praecepti satisfactionem, sed etiam ad robur adversus tentationes, quae in morte sunt validiores, et periculosiores. Et hoc non tantum si novum superveniat periculum, sed etiam si idem perdurat ita communiter *Sot. Suar. Tolet. Laym. Silvest*, etc. cum *Benedicto XIV.* qui Episcopos hortatur, ut Parochis insinuent, quod ipsi Viaticum in eodem morbo ministrare debent usque ad duas aut tres vices.

Quod dubitatur, est 1. quantum intercedere debeat temporis inter unam et aliam Communionem; communius *Silvest. Concina, Tourn., Busemb., Salmant.*, dicunt octo dies. Alii sex ut *Armil. Filliuc. Diana Possev.* etc. et non improbabiliter *Laym. Escob. Roncag et Hurtadus* fidenter dicunt Viaticum posse etiam sequenti die replicari cum infirmus solitus erat saepe communicare, et cum imminet morale mortis periculum; imo *Castropal. Armil. Tambur. et Dicast.* admittunt universe posse replicari quolibet die.

Quaeritur 2. An qui paucis ante diebus ex devotione communicaverit superveniente mortis periculo teneatur sumere Viaticum? Alii cum sententia communiori id negant, etiamsi ante octo dies communicaverit, ita *Layman, Suar. Concina, Roncag. Bon.*, etc. quia ut dicunt, jam ille per eam Communionem se ad mortem praeparavit, quare jam satisfecit fini praecepti. Haec sententia est satis probabilis, saltem ut dicunt *Suar. et Lugo* si pericu-

Digitized by Google

lum mortis naturaliter accidat quia tunc tempore Communionis sumptae jam coepit moraliter imminere periculum. Sed probabilius affirmant *Vasq. Castrop. Conc. Tourn. Habert. Diana Salm.* etc. quia hoc praeceptum quod divinum est precise obligat cum actu urget mortis periculum, et sicut non potest debito satisfieri antequam illud contrahatur, ita nec adimpleri praeceptum, antequam obligare coeperit. Nec valet dicere, quod per illam Communionem jam praecepti fini satisfactum sit, quia si hoc sufficeret etiam ad implendum praeceptum Paschale, ut quis communicaret die praecedente Dominicam palmarum, sed hoc nequit dici.

Quaeritur 3, an copula conjugalis a Communione impediat? Quidquid aliqui dicant, communiter DD. tradunt non excusari a veniali propter indecentiam, qui ad Eucharistiam accedit eadem die, qua copulam habuit causa voluptatis, ita *S. Thomas 3. q. 8. a. 7* ex D. Gregorio *in c. Vir 7. caus. 3. q 4.*, qui ait: *Cum vero non amor ob procrandas soboles, seb voluptas dominatur in opere tunc prohiberi debet, ne accedat ad hoc Sacramentum.* Recte vero dicunt *Sanch., Antoine., Salmant.* cum aliis, quod a praedicta culpa excusat quaevis causa honesta, puta solemnitas, sive indulgentia eadem die occurrens, evitatio scandali aut notae, specialis devotio q. Si autem copula fuerit absque culpa, v. g. ad prolem gignendam, tunc quamvis sit congruum ad aliam diem Communionem differre, nulla tamen est obligatio ab illa abstinere, quia procreatio sobolis cum sit actus omnino honestus, satis reparat indecentiam, ut communiter dicunt S. *Thomas loco cit., Lugo, Sanch., Conc. Petrocor, Salm* etc. ex D. Gregorio supra relato. Nec obstat textus *in c. Sciatis, 33. q. 4.*, ubi D. Hieronymus docet abstinendum, nam respondet Angelicus *in 4. dist. 32. q. 1. a. 1. ad 2.* ibi sermonem fieri tantum de Altaris Ministris conjugatis, quales sunt Graeci. Item communiter docetur de conjuge reddente debitum, nempe quod iste tantum causa consilii abstinere potest a Communione, sed non tenetur: ita *S. Thom. S. Bon., S. Anton., Albert. M. Dian., Charthus, Sotus, Palud., Suar.* etc. Et sic pariter docuit S. Franciscus Salesius (*Introd. ad vitam dev. p. 2. c. 20.* sic. dicens: *Deo displicebat in veteri lege, ut creditores quod sibi debebatur diebus festivis exigerent, sed nunquam prohibuit quominus debitores debitum suum redderent. Indecens est debiti matrimonialis solutionem die Communionis adurgere, sed inconveniens non est, immo meritorium est reddere. Hinc est quod ut reddat hoc debitum, non debet quis Communione privari, si eam exposcit. Certum est quod in primitiva Ecclesia fideles qualibet die communicabant, licet essent matrimonio ligati, et benedictione filiorum generationis donati essent.*

Digitized by Google

PARS II.

De Eucharistia uti Sacrificio.

CAPUT I.

De nomine, et definitione Sacrificii Missae.

Q. Quid significat Sacrificium ?

R. Sacrificium dupliciter considerari potest, late, et stricte. *Late*, seu improprie sumptum, est quodlibet opus bonum, in Dei honorem, et cultum puta eleemosyna, jejunium, preces, actus fidei, spei, et caritatis, et omnia, quae referri possunt in honorem Dei. Hinc Psalm. 49. 23. *Sacrificium laudis honorificabit me, Psalm.* 50. 19. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum, et humiliatum Deus non despicies. Stricte* sumptum, est peculiaris actus virtutis religionis, quo speciali quodam modo protestamur summam Dei excellentiam, supremumque ejus dominium, et nostram subjectionem, et definitur : *oblatio externa rei sensibilis a legitimo ministro facta Deo, ad agnoscendam supremam ipsius majestatem, et nostram infirmitatem ritu mystico peracta*, et de sacrificio posteriori modo accepto hic est sermo.

Q. Quotuplex est Sacrificium Missae ?

R. Sacrificium Eucharistiae simul est *Latreuticum, Eucharisticum, Impetratorium, et Propitiatorium, Latreuticum* sic nuncupatum, quatenus per se offertur in Dei cultum et honorem, tanquam supremum Dominum, et finem ultimum omnium rerum creatarum. *Eucharisticum*, quatenus offertur Deo in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis. *Impetratorium*, quatenus offertur Deo pro beneficiis impetrandis, seu obtinendis. *Propitiatorium* quatenus reddit nobis placatum Deum, et propitium. Omnes enim Sacrificiorum Veteris Legis differentias unica Corporis Christi oblatio tum in Crucis, tum in Missae Sacrificio continet, ac perfectissime implet.

Q. Missa estne verum Sacrificium ?

Ante responsionem nota. Missa dicitur a verbo *Mitto*, quia in illa preces, supplicationes, vota Ecclesiae diriguntur cum oblatione corporis et sanguinis Christi ad Deum, tum quia peracto Sacrificio mittebatur, sive dimittebatur populus solemni missione. Ad rem S. Gregor. lib. 4. Dialogor. cap. 58., ait: » *Dicitur Missa quasi transmissio, eo quod populus fidelis per ministerium Sacerdotis, qui fungitur vice mediatoris inter Deum, et homines, preces, et supplicationes, et vota transmittat Altissimo, ipsum vero Sacrificium, idest hostia, Missa vocatur, quasi transmissa.* Hoc notato:

R. Missa est verum Sacrificium, est de fide definitum in Concilio Tridentino sess. 22. de Sacrificio Missae Can. 1.: *Si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum, et proprium Sacrificium, aut quod offerri non sit aliud quam nobis Christum ad manducandun dari, anathema sit.* Et in hoc Sacrificio continetur Christus ipse, et incruente immolatur, cit. sess. can. 2.

Digitized by Google

Q. Num sit necessaria ad essentiam Eucharistiae consecratio utriusque speciei?

R. Requiri utramque. Nam Tridentinum sess. 22. doctrina de Sacrificio Missae Cap. I. sic docet: *Idem igitur Deus, et Dominus noster, etsi semel se ipsum in ara Crucis, morte intercedente Deo Patri oblaturus erat, ut aeternam illic redemptionem operaretur, quia tamen per mortem Sacerdotium ejus extinguendum non erat in coena novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectae sponsae suae Ecclesiae visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud, semel in Cruce peragendum repraesentaretur ejusdem memoria in finem usque saeculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quae a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur, Sacerdotum secundum ordinem Melchisedech se in aeternum constitutum declarans, corpus, et sanguinem suum sub speciebus panis, et vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, et eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerent praecepit, per haec verba: Hoc facite in meam commemorationem, uti semper Catholica Ecclesia intellexit, et docuit.* Legatur Benedictus XIV. in sect. 11. de Sacrificio Missae Cap. 3.

CAPUT II.

De Ministro Sacrificii Missae, et de dispositionibus ad illud requisitis

Q. Quinam est Minister Sacrificii Missae?

R. Catholica veritas est, solos Sacerdotes esse Ministros Eucharistiae consecrandae, ut definivit Concil. Trid. sess. 7. can. 10. his verbis: *Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo, et omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit: de Sacrif. Missae Can. 2. Si quis dixerit, illis verbis hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos, Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent Corpus, et Sanguinem suum, anathema sit,* idem docent Concilium Nicoenum I., Concil. Lateranen. IV., et omnes Patres.

Q. An scelesti Sacerdotes, degradati excommunicati valide consecrent?

R. Maxime, quia potestas consecrandi pertinet ad characterem Ordinis Sacerdotalis, et character indelebilis est, ideoque potestas consecrandi non amittitur per culpam, vide S. Thomam 3. parte qu. 82. art. 8.

Q. Liceine Communionem petere ab haereticis, excommunicatis, schismaticis?

R. Respondet S. Thomas. ibi art. 9. in corpore: *Sacerdotes si sint haeretici, vel schismatici, vel excommunicati, vel etiam peccatores, quamvis habeant potestatem consecrandi Eucharistiam, non tamen ea recte utuntur, sed peccant utentes. Quicunque autem communicat alicui in peccato, ipse particeps peccati efficitur. Unde et in secunda Canon. Joann. dicitur, quod qui dixerit ei ave (scilicet haeretico) communicat operibus illius malignis. Et ideo non licet a praedictis Communionem accipere, aut eorum Missam audire. Differt tamen inter praedictas sectas. Nam*

Digitized by Google

haeretici, et schismatici, et excommunicati, sunt per sententiam Ecclesiae, executione eo nsecrandi privati: et ideo peccat quicumque eorum missam audit, vel ab eis accipit Sacramenta. Sed non omnes peccatores sunt per sententiam Ecclesiae executione hujus potestatis privati, et sic quamvis sint suspensi quantum ad se, ex sententia Ecclesiae, et ideo usque ad sententiam Ecclesiae licet ab eis communionem accipere, et eorum missam audire.

Q. Quomodo se praeparare debent Sacerdotes ad celebrandum sacrum Missae Sacrificium?

R. Audiatur S. Chrysostomus lib. 6. Cap. 3. de Sacerdotio. *Quantam vero ab eo integritatem exigemus? Quantam Religionem? Considera, quales manus haec administrantes esse oporteat, qualem linguam, quae verba illa effundat. Petrus Blesensis de vita,* et morbus Clericor. ait: *Verum Prophetae est:* mundamini qui fertis vasa Domini: *Quanto mundiores esse oportet, qui in manibus, et in corpore portant Christum.* Lege auctorem Ecclesiasticae Hierarchiae Cap. 5., S. Anton. part. tit. 13. §. 98.

Q. Sacrificium Eucharisticum remittitne immediate sicut Baptismus, et Poenitentia, peccata mortalia?

R. *Immediate* non remittit, sed tantum *mediate*, hoc est in quantum impetrat media quibus peccatum remittitur, contritionem nimirum, et Sacramenti Poenitentiae receptionem. Nam sensus Tridentini hic est, cum haec docet, sess. 22. cap. 2. sic ait *Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam, et donum poenitentiae concedens, crimina, et peccata etiam ingentia, dimittit, una enim eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. Cujus quidem oblationis cruentae, in quam fructus per hanc uberrime percipiuntur, tantum obest, ut illi per hanc quovis modo derogetur. Quam non solum pro fidelium vivorum peccatis, poenis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus, sed et pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, rite juxta Apostolorum traditionem offeretur.*

Q. Qui sunt effectus Eucharistiae, ut est Sacramentum?

R. Tridentinum sess. 13. cap. 2. explicat hujus Sacramenti effectus. *Ergo Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad patrem, Sacramentum hoc instituit, in quo divinitas divini sui erga homines amoris veluti effundit, memoriam faciens mirabilium suorum, et in illius sumptione colere nos sui memoriam praecipit, suamque annuntiare mortem donec ipse ad judicandum mundum veniat. Sumi autem voluit Sacramentum hoc tamquam spiritualem Animarum cibum, quo alantur, confortentur viventes illius vita, qui dixit: Qui manducat me, et ipse vivet propter me, et tamquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservemur. Pignus praeterea id esse voluit futurae nostrae gloriae, et perpetuae felicitatis, adeoque symbolum unius illius corporis, cujus ipse caput existit, cuique nos, tamquam membra arctissima fidei, spei, et charitatis connexione adstrictos esse voluit, ut idipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata.*

Ex hac doctrina Tridentini colligimus, quod per Sacramentum Eucharistiae producitur gratia sanctificans, et quidem secunda gratia, seu aug-

Digitized by Google

mentum gratiae sanctificantis quae inveniri debet in illo, qui Eucharistiam recipit, et producitur gratia propria, et peculiaris hujus Sacramenti, hoc est jus ad auxilia divina, quibus obtineatur finis quem Christus habuit in hujus Sacramenti institutione, et bona consequamur ab ipso Tridentino descripta.

ADDITAMENTA EX S. LIGORIO

DE MISSARUM STIPENDIO (1).

Notandum quod si quis recipit eleemosynam pro Missa, non potest eam dare aliis celebrandam, retenta sibi stipendii parte. Hoc posito cum Decreto S. C. Concilii approbato ab Urbano VIII., et confirmato ab Innoc. XII. (vide n. 88. Decret. III.) deinde damnata fuit ab Alexand. VII. haec prop. 9., quae dicebat: *Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missae celebrandae traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.* Et hoc dicebant hi auctores falso supponentes Decretum Urbani non fuisse acceptatum. Novissime autem Benedictus XIV. 30. Junii 1741. in sua Bulla *Quanta cura* imposuit suspensionem ipso facto reservatam Pontifici in Clericos, et excommunicationem papalem in Laicos qui hoc agerent.

Cuinam autem facienda sit restitutio partis stipendii retenti, *Croix Pasqual*, putant posse fieri tam ipsi offerenti, quam celebranti. Sed probabilius dicunt *Sporer*, *Holzm*, *et Tourn.*, quod fieri debet ipsi celebranti, quia cum transfertur ad ipsum onus celebrandi, transfertur etiam jus ad integrum stipendium juxta voluntatem offerentis.

Igitur cum recipitur eleemosyna pro Missa debet illa integre exhiberi celebranti; sed excipitur primo si illud stipendium majus daretur alicui, non solum ratione Sacrificii, sed etiam intuitu personae, conjunctionis, gratitudinis, aut paupertatis, et hujusmodi. Et non est necesse, ut offerens eleemosynam hoc exprimat, sed sufficit, ut ex circumstantiis hoc moraliter constet, ut communiter dicunt *Passer. Mendo, Ronc. Dicast. Viva,* et alii.

Excipiuntur Capellani, Beneficiati, qui possunt aliis celebrationem Missarum Beneficii committere, tradito eis consueto stipendio. Ita communiter DD., et patet ex approbatione ejusdem Innoc. XII. in cit. Bull. *Nuper ibid.* v. *Excipitur III.* Et hoc idem licet Capellano amovibili, ut dicunt *Lugo*, *Ronc. Holzm.* etc. et ita declaravit S. C. Conc. vide n. 88. *Decret. IV.* Idem dicunt *Viva*, *Croix*, *Gob.* etc. de Sacerdote, cui commissa est celebratio Missae perpetuae. Idem quoque dicunt *Ronc.*, *Passer.*, *Tamb.*, *Ric.*, et alii de Sacerdote, qui celebraturus pro aliquo pingui legato, quod ei relictum est cum onere celebrandi Missas pro tota vita ejus. Ratio est quia omnia Decreta huic adversantia loquuntur tantum de Missis manualibus.

(1) *Homo apost. Tract. XV. Cap. IV. de Sacrificio Missae §. 65. et seq.*

Digitized by Google

Peccat igitur Capellanus, qui non celebrat omnes Missas praescriptas a fundatore, aut si non celebrat in Ecclesia, aut Altari, aut hora destinata, ut communiter, *Lugo*, *Azor.*, *Navarr.*, *Salm.* et peccat lethaliter (ut dicunt), si in hoc saepe, et sine caussa, aut, sine dispensatione delinquit. Dictum est primo *saepe* quia non peccabit graviter, si hoc raro fiet, v. g. semel, aut bis in mense, et tanto minus, si permutabit tantum Altare. Dictum est 2. *sine causa*, quia potest adesse causa, quae omnino excuset, ut si Ecclesia restauretur, aut si altare sit execratum. Dictum est. 3. *sine dispensatione*, quia Episcopus bene potest dispensare, ut alibi celebretur causa studii, infirmitatis, negotii, aut magnae molestiae, ipsam Ecclesiam adeundi, aut causa utilitatis ipsius Ecclesiae, aut simili rationabili causa, ut dicunt communiter *Castrop.*, *Conc.*, *Barbos*; *Ronc.*, *Passer.*, *Henriq.*, *Busemb.*, *Croix*, *Salm.*, *Tamb.*, *Mazzot.* etc. Ratio est quia tali dispensatione omittitur fundatoris voluntas tantum in accidentalibus, et compensatur cum majori bono, cujus causa dispensatio intercedit, tanto magis quod Tridentinum *Sess. 25. c. 4.* concedit Episcopis in certis casibus particularibus ultimas voluntates commutare posse: vide *Tom. III. Tract. XX, n. 60.* Nihilominus recte advertunt *Croix.*, *et Pasqual.* non posse Episcopum dispensare, si testator in designanda Ecclesia, et hora rationem specialem habuisset ad populi commoditatem.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

CAPUT I.

De notione, et natura Sacramenti Poenitentiae

Quantum ad nominis etymologiam, Poenitentia dicta est a *poena*, ita ut sit *idem poenitere ac poenam tenere*, ita S. Isidorus lib. 6. Etymologiar. Cap. ult. Doctrina de sacrificio missae Cap. 2. sic ait:

Poenitentia dupliciter accipi potest, nempe, et ut est *Virtus*, et ut est *Sacramentum*. Primo modo accepta, est virtus moralis, supernaturalis, qua dolemus de peccatis commissis, quatenus sunt offensa Dei, ex supernaturali motivo, cum proposito non peccandi de cetero et voluntatem habemus satisfaciendi: secundo modo, est Sacramentum novae Legis quo homo lapsus post Baptisma vere poenitens confessus et ad satisfaciendum dispositus a Sacerdote legitimo Ministro, certa verborum forma a peccatis absolvitur.

Q. In quo conveniunt Poenitentia, uti Sacramentum, et Poenitentia, uti virtus, et in quo distinguuntur?

R. Quidquid proprium est virtutis, est etiam Sacramenti, distinguitur tamen virtus a Sacramento. 1. virtus tota posita est in actibus poenitentis, Sacramentum praecipue in absolutione Sacerdotis. 2. Virtus baptizandis irretitis peccato personali, et baptizatis est communis, Sacramentum relapsorum post baptismum proprium est. 3. Virtus *fuit universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent quovis tempore ad gratiam, et justitiam assequendam necessaria*, ut docet Tridentinum sess. 14. Cap. I. Sacramentum proprium est Legis Evangelicae, et Christianorum.

Q. Num Sacramentum Poenitentiae sit necessarium necessitate medii?

Digitized by Google

R. Uti virtus necessaria est necessitate medii in re, seu in se, uti fides, gratia sanctificans: uti Sacramentum in re, vel in voto est necessarium necessitate medii, non absolute sicut Baptismus, sed ex hypothesi, quod homo baptizatus in mortalem peccatum lapsus sit. Etenim hoc Sacramentum institutum est per modum medicinae, ac proinde lapsis, sive vulneratis peccati jaculo post Baptismum est tantum necessarium, quod constat tum ex Joan. 20. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*, tum ex Trident. Sess. 14. Cap. 2. *Est autem hoc Sacramentum Poenitentiae lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus.* Vide S. Thom. q. 84. art. 56.

Ex quibus clare colligitur, quod, ut quis post peccatum mortale commissum acquirat salutem, debet vel recipere hoc Sacramentum *in re*, vel si non potest illud in re recipere, saltem illud debet optare, scilicet *in voto* et contritione exornari. Unde Sacramentum Poenitentiae rectissime appellatur a Sanctis Patribus *secunda post naufragium tabula, naufragis praeparata*, sicut habetur in Cap. *Secunda post naufragium tabula* de poenit. dist. 1.

Q. In quibus actibus habetur virtualiter Sacramentum Poenitentiae, ita ut unus ex illis sufficiat, ut quis possit salutem acquirere in casu, quo Poenitentiae Sacramentum suscipere non potest?

R. In tribus, et I. In actu contritionis perfectae, qui proinde justificat extra Sacramentum, ut ex illo *Trident. sess. cit. Cap.* 4. *Etsi contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi conditioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.* Nam hic actus procedit ex amore Dei perfecto, et est votum saltem implicitum servandi omnia praecepta graviter obligantia, inter quae est praeceptum Divinum confitendi mortalia post Baptismum commissa, ideoque in eo includitur, ac continetur Sacramentum Poenitentiae in voto.

II. In actu caritatis perfectae, quo diligitur Deus super omnia; quippe etiam justificat extra Sacramentum. Nam *Caritas operit multitudinem peccatorum*, 1. Pet. 4. 8. Nam caritas etiam per se ipsam est votum, saltem implicitum servandi omnia praecepta, adeoque etiam praeceptum Confessionis, ita S. Thomas, Bellarminus, aliique.

III. In Martyrio, quod remittit omnem culpam et poenam, uti tenent Doctores communiter. Hinc legimus Cap. *Cum Marthae* de celebrat. Missarum, *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.* Putant tamen D. Thomas, S. Bonaventura, aliique, id convenire martyrio ex actu caritatis adjuncto, quod probant ex illo 1. ad Corinth. 13. 3. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

Q. Quandonam Sacramentum Poenitentiae institutum fuit a Christo Domino?

R. Tunc praecipue institutum fuit cum Tridentino Sess. 14. Cap. I. *Dominus etiam dixit: Nisi poenitentiam egeritis omnes simul peribitis. Et princeps Apostolorum Petrus peccatoribus Baptismo initiandis poenitentiam commendans, dicebat: Poenitentiam agite, et baptizetur unusquis-*

Digitized by Google

que vestrum. Porro nec ante adventum Christi Poenitentia erat Sacramentum, nec est post adventum illius cuiquam ante Baptismum. Dominus autem sacramentum Poenitentiae tunc praecipue instituit, cum a mortuis excitatus, insufflavit in discipulos suos, dicens, Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis, et quorum retinueritis retenta sunt. Quo tam insigni facto, et verbis tam perspicuis, potestatem remittendi, et retinendi peccata, ad reconciliandos fideles, post Baptismum lapsos, Apostolis, et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit. Et Novatianos remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Ecclesia Catholica tamquam haereticos explosit, atque condemnavit. Quare verissimum hunc illorum verborum Domini sensum sancta Synodus probans, et recipiens damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestatem praedicandi verbum Dei, et Christi Evangelium annuntiandi, contra hujusmodi Sacramenti institutionem falso detorquent.

CAPUT II.

De Sacramenti Poenitentiae materia

Q. Quotuplex est materia hujusce Sacramenti?

R. Duplex est, scilicet *remota*, et *proxima*. Remota sunt peccata post Baptismum commissa, quae triplex est, *necessaria*, *et sufficiens*, uti sunt peccata mortalia post Baptismum commissa, et nondum rite confessa: *sufficiens et non necessaria*, ut sunt peccata venialia post Baptismum commissa, vel peccata mortalia alias rite confessa. Et *necessaria*, *non sufficiens*, ut sunt peccata mortalia dubio facti seu commissionis, non dubio gravitatis, quia tunc habetur materia saltem sufficiens.

Proxima sunt actus Poenitentis, scilicet *Cordis contritio*, *Oris confessio*, *et Satisfactio* quae materiales partes dicuntur a Tridentino sess. 14. Can. 4.: » *Si quis negaverit, ad integram, et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in poenitente quasi materiam Sacramenti poenitentiae, videlicet Contritionem, Confessionem, et Satisfactionem, quae tres Poenitentiae partes dicuntur, anathema sit.* Quod autem actus dicantur quasi materia, non inde sequitur non esse veram materiam, eamque proximam Sacramenti Poenitentiae, sed dicitur quasi materia, quia non est instar illius materiae, quae extrinsecus adhibetur, ut aquae in Baptismo, oleum in Confirmatione.

CAPUT III.

De materia remota Sacramenti Poenitentiae

Q. An peccatum originale, et peccata actualia ante Baptismum commissa sunt materia apta hujusce Sacramenti?

R. Minime, quia peccatum originale, sicut et peccata actualia ante Baptismum commissa tolluntur per Baptismum, cum sit prima tabula post nau-

Digitized by Google

fragium, peccata vero post Baptismum commissa tolluntur per Poenitentiam, cum sit secunda tabula post naufragium. Utriusque autem rei ea ratio est, quia Poenitentiae Sacramentum administratur ad modum Judicii, quisque autem ante Baptismum non est Ecclesiae subditus, sed tantum post Baptismum.

Q. An peccata, quae in receptione Baptismi committuntur sint materia Poenitentiae?

R. Juxta aliquos DD. est materia Poenitentiae sola fictio, seu indigna Baptismi susceptio, uti habetur ex D. Thoma part. 3. q. 69. art. 10. ad 2. « Dicendum quod fictio non remittitur per Baptismum, sed per Poenitentiam subsequentem, qua remota (*scilicet fictione*) Baptismus, aufert culpam, et reatum omnium peccatorum praecedentium Baptismum, et etiam simul existentiam cum Baptismo. » Alii vero asserunt, non solum fictionem, quae est indigna susceptio Baptismi, sed etiam alia peccata tunc commissa pertinere ad Poenitentiae Sacramentum; nam eadem ratio militat de illis peccatis existentibus in illo instanti terminativo susceptionis Baptismi, ac de fictione, quae est indigna Baptismi susceptio; quia sunt hominis jam existentis intra Ecclesiam. Ita Sotus, Salmantic., aliique.

Q. An peccata venialia sint materia Confessionis?

R. Sunt materia sufficiens, sed non necessaria uti patet ex Trident. sess. cit. cap. 5. « Venialia..... quanquam recte, et utiliter citraque omnem praesumptionem in confessione dicuntur, quod piorum hominum usu demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt. » *Quod etiam patet ex eodem Tridentino Can. 7. cit. sess.*: « Si quis dixerit non licere confiteri peccata venialia, anathema sit. Hinc venialia sunt materia sufficiens, et non necessaria, tamen sine culpa taceri possunt, sed ea licet confiteri ex can. 7. cit. sess.

Q. Num peccata semel dimissa possint esse materiae novae Confessionis.

R. Maxime, quia circa hujusmodi peccata adhuc versari potest materia proxima, scilicet actus poenitentis. Praeterea sicut eadem aqua, quae est materia remota Baptismi potest adhiberi in administratione plurium Baptismatum, ita materia remota Poenitentiae potest adhiberi ad novam confessionem. Cajet. Bonac. aliique.

Q. An sit necessarium, ut poenitens in Confessione exprimat, quod peccata sint alias rite confessa, dato quod velit ea denuo confiteri?

R. Per se loquendo non est necessarium, sed utile, quia peccatum idem est specie, ac numero, prout fuit ab eo commissum, sive quis confessus fuerit, sive non, neque tempus, quo peccatum remissum est, addit circumstantiam specie distinctam. Ita Lugo, aliique.

Dixi *per se loquendo*, quia dantur casus in quibus hoc est manifestandum, et I. Est quando peccato jam absoluto erat adnexa reservatio, censura, vel alia obligatio quod cum rite, et recte fuerit absolutum, si poenitens vellet illud iterum clavibus Ecclesiae subjicere, teneretur manifestare Confessario illud jam fuisse rite absolutum, alioquin Confessarius carens facultate in reservatis, non posset impertiri absolutionem. II. Quando ratione circumstantiarum temporis peccatum specie mutatur, ut si quis est Sacerdos, vel uxoratus, et vult denuo confiteri peccatum venereum rite confes-

Digitized by Google

sum, quod fuit commissum tempore, quo non erat in Sacris constitutus, vel uxoratus quod requiritur, ut Confessarius rectum judicium efformet. Tamen advertendum, quod in praxi tutius est nova peccata ab antiquis jam rite confessis separare, nam major poenitentia debetur peccato mortali nondum confesso, quam semel rite confesso, et hanc praxim sequi debemus.

Q. An peccata dubia sint materia Poenitentiae, ut si quis dubitet, an commiserit peccatum mortale, nec ne?

R. Maxime, et quidem necessaria, sed non sufficiens, quia materia hujusce Sacramenti necessaria, et sufficiens est peccatum, quod vere sit peccatum, sicut materia reliquorum Sacramentorum, quae requiritur, et sufficit ad illorum validitatem, est materia certa. In quo est advertendum, quod qui dubitat, an commiserit mortale, vel veniale peccatum, necessario illud confiteri tenetur; quia Trident. sess. 14. de Poenit. cap. 5. excipit ab obligatione confitendi sola venialia, hinc tenendum mortalia dubia esse necessario confitenda. Dixi *non sufficiens*, quia non sufficit illa solum confiteri, ne exponatur Sacramentum periculo nullitatis propter materiae defectum. Quare in ipsorum confessione adjungi debet aliquod peccatum certum, ut sic habeatur Sacramenti validitas.

Quod tamen est intelligendum, quando Poenitens dubius est de facto, scilicet num commiserit tale peccatum, nec ne, non vero quando dubitet, num peccatum commissum sit grave, vel leve, quia tunc non est alia materia exhibenda, nisi habeat conscientiam alterius peccati mortalis, quia jam exhiberet materiam certam; nam illud peccatum vel erit mortale, vel veniale.

Peccata igitur dubia, sive dubium sit positivum de gravitate, vel levitate, sive negativum de facto, et de Commissione, semper sunt materia Sacramenti Poenitentiae, prima sufficiens, et non necessaria, secunda necessaria, et non sufficiens. Omnia tamen sunt confitenda, cum ex Tridentino Sess. XIV. Cap. 5. et Can. 7. Omnia peccata, quorum conscientiam habemus sint confitenda, qualia sunt dubia quae in conscientia apparent. Verum explicanda sunt certa, uti certa; dubia, uti dubia.

Q. Qui confessus est peccatum, uti dubium, et postea invenit certum, teneturne denuo confiteri?

R. Maxime, quia non ita est clavibus Ecclesiae subjectum. Quod si inveniat dubium peccatum quod ut certum confessus est, non tenetur iterum confiteri, cum talis confessio nullam afferat utilitatem.

Q. Teneturne confiteri in genere mortale, qui in examine recordatur, et in confessione obliviscitur speciei?

R. Maxime, et est materia sufficiens, et necessaria: tenetur vero in specie iterum confiteri, cum illius recordatur, nam peccata confitenda sunt, prout commissa fuerunt.

CAPUT IV.

De materia proxima Sacramenti Poenitentiae, et primo de cordis contritione.

Q. Quid est contritio, et quotuplex?

R. Juxta Tridentinum sess. 14. cap. 4.: *Est dolor animi, ac detestatio*

Digitized by Google

de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero. Duplex est, *perfecta*, seu contritio, et *imperfecta*, seu attritio. Prima est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso propter Deum summe dilectum, hoc est propter infinitam suam amabilitatem, cum proposito non peccandi de cetero. Secunda est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso ob turpitudinem peccati, vel metum inferni, vel poenarum cum proposito non peccandi de cetero. Trident. loc. cit.. Utraque vero debet continere non solum cessationem a peccato, et vitae novae propositum, et inchoationem, sed etiam veteris vitae odium.

Ex dictis colligitur differre contritionem ab attritione, et ratione motivi, et ratione effectus. Ratione motivi, quia contritio fit ex motivo caritatis perfectae erga Deum. Attritio fit ex motivo timoris poenae. Ratione effectus, quia contritio justificat extra Sacramentum, in voto tamen Sacramenti. Attritio vero requirit Sacramentum in re, in quo, et per quod confertur justificationis gratia, modo excludat voluntatem peccandi. Ita ex Trident. loc.cit.

Q. Quaenam sunt conditiones, quae requiruntur ad contritionem generice sumptam?

R. Istae requiruntur I. Ut sit interna, scilicet corde concipiatur, non vero sensibus. Diserte Joel, cap. 2. *scindite corda vestra, et non vestimenta vestra.* II. Ut sit supernaturalis tum ratione principii, quia contritio nonnisi a Deo obtineri debet, tum ratione motivi, quia debet contritio oriri ex motivo supernaturali, scilicet nobis significato per fidem. III. Ut sit universalis scilicet extendatur contritio ad omnia peccata mortalia. IV. Ut sit efficax, hoc est conjuncta cum praeparatione animi, ac proposito ad faciendum omne, quod convenit pro removendis peccatis. V. Ut sit appretiative summa, hoc est, ut concipiat mente, Deum esse summum bonum, ac proinde peccatum Dei offensam esse summum malum, et proinde poenitens detestetur peccatum supra omnia mala, et sit paratus potius carere quocumque bono, et pati quodcumque malum, quam Deum offendere. Tandem conjuncta cum spe veniae, sive cum confidentia Deum propter Christum propitium fore.

Q. An per contritionem remittatur non solum peccatum, verum etiam tota poena temporalis?

R. Quamvis multum poenae temporalis remittatur, non tamen semper tota haec poena, uti patet ex Trid. sess 6. Can. 30.: *Si quis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori poenitenti, ita culpam remitti, et reatum aeternae poenae deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus poenae temporalis exsolvendae vel in hoc saeculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna Coelorum aditus patere possit, anathema sit. Et ex eodem Trid. Sess. 14. Can. 12. habetur: Si quis dixerit totam poenam simul cum culpa remitti semper a Deo satisfactionemque poenitentium non esse aliam, quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse, anathema sit.*

Q. An contritio perfecta semper justificat extra Sacramentum?

R. Maxime, ut patet ex proposit. Baji damnata a Pio V., et Gregor. XIII. (1). Quod patet etiam ex Tridentino, *loc. cit.*, *ibi: Docet etsi contri-*

(1) *Per contritionem etiam cum caritate perfecta, et cum vero voto percipiendi*

Digitized by Google

tionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto quod in illa includitur, non esse adscribendam.

Q. An ille, qui solo actu dilectionis Dei accedit ad Poenitentiae Sacramentum suscipiendum recipiat Sacramentum?

R. Minime, quia non habet dolorem formalem, nec exhibet eam materiam quam Christus instituit, et quam Concilia, et Patres dicunt requiri de necessitate Sacramenti. Ita DD. communiter, ex quo sciendum, quod Suarez vocat oppositum *temerarium*, et Vasquez *erroneum*.

Q. An attritio, quae gehennae, et poenarum metu concipitur sine dilectione benevolentiae Dei propter se, sit bonus motus, et supernaturalis?

R. Maxime, quia Tridentinum sess. cit. cap. 4. docet, attritionem, quae ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae, et poenarum metu concipitur, esse donum Dei, et Spiritus Sancti impulsum, et ad Dei gratiam impetrandam in Sacramento Poenitentiae disponere (1).

Q. An hujusmodi attritio absque ulla dilectione benevolentiae Dei sufficiat in Sacramento Poenitentiae?

R. Adest dissidium inter DD., nam aliqui tenent sufficere, et probant ex verbis Tridentini loc. cit.. *Attritionem ad Dei gratiam in Sacramento Poenitentiae impetrandam disponere.* Alii vero tenent non sufficere, sed requiri aliqualem Dei dilectionem, quae consistit in hoc, quod actus iste eliciatur, ex utroque motivo, scilicet bonitatis Divinae, et gehennae, vel ut in eo sit quaedam dilectio remissa, ac debilis, et ex toto corde, prout ad justificationem requiritur, quod probant ex illo Joan. 7. 3.: *Qui non diligit, manet in morte,* et ex illo Trident. Sess. 6. cap. 7.: *Fides sine spe, et caritate vitam aeternam praestare non potest.* Vide Tournely in praelect. de Sacram. poenit. q. 5. art. 2. Atque haec posterior sententia non solum est tutior, sed etiam probabilior, quare et praeferenda, atque unice in praxi amplectenda, quia in Sacramentis sive conferendis, sive suscipiendis non licet sequi opinionem probabilem de illorum valore, relicta tutiori.

Haec sententia inter alias hisce momentis nititur. 1.° Nemo justificari potest, nisi ad Deum toto ex corde convertatur *Joel. II.* 12. Sed qui nullam habet Dei amoris scintillam, ad Deum toto corde conversus dici non potest, ut patet: *Rationabilis enim animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est, aut mundi,* inquit Leo M. *Serm. VII. de Jejun. 7. Mens.* 2.° Sine vero, ac sincero odio peccati, et quidem super omnia mala, justificari a peccato absurdum est. Sed qui nullam habet justitiae dilectionem, nondum odit peccatum, licet timeat poenam, ideoque peccare nolit. *Tantum enim quisque peccatum odit, quantum justitiam diligit.* August. *Epist. CXLV. al. CXLIV.* 3.° Non minor dispositio requiritur in Poenitentia, ac in Baptismo, in hoc initialis amor in Deum requiritur, uti,

Sacramentum, non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut martyrii sine actualis susceptione Sacramenti.

(1) Id patet etiam ex proposit. 14. et 15. ab Alexand. VIII. proscriptis; verba primae sunt: *Timor gehennae non est supernaturalis. Verba secundae: Attritio, quae gehennae, et poenarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiae Dei propter se non bonus motus, ac supernaturalis.*

Digitized by Google

omnem justitiae fontem. Non sunt censendi rite dispositi Cathecumeni ad justificationem in baptismo recipiendam, nisi incipiant diligere Deum. Ita Trid. sess. 6. de Justificatione, ergo et in Poenitentia, quae est laboriosum baptisma. Vide tamen Theologos Dogmaticos.

Q. An attritio naturalis, scilicet ex timore infamiae ex peccato a se commisso resultantis apud homines sufficiat?

R. Minime, uti patet ex propos. 57. ab Innocent. XI. damnata: *Probabile est sufficere attritionem naturalem modo honestam.* Etenim cum eliciatur ex motivo mere naturali, ut ipsa naturalis sit, necesse est, ideoque hujusmodi attritio non est impulsus Spiritus Sancti, nec donum Dei, cum haec non sit ob poenarum, et gehennae metum, cum exclusione voluntatis peccandi, et cum spe veniae. Trident. loc. cit.

Quare sciendum, quod attritio tunc dicitur supernaturalis, quando elicitur ex motivo supernaturali, scilicet ex metu gehennae, alioqui hujusmodi per fidem apprehenso per auxilium gratiae, non autem si eliciatur ex metu poenarum temporalium, uti patet ex Trident. Sess. 6. Can. 3: *Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare diligere, aut poenitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Hinc peccator humilibus ac crebis precibus contritionis gratiam a Deo per Christi merita debet petere.

Q. An peccet, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, et disconvenientiam cum natura rationali, sine ullo respectu ad Deum offensum?

R. Minime, quod patet *ex propos. proscripta ab Alexand. VIII. ordine* IX. (1).

Q. Quid si dolor concipiatur ad obtinendam coelestem gloriam?

R. Hic dolor est bonus, et rectus, et contrarium fuit a Tridentino proscriptum, et ab Alexandro VIII. propositione X. (2).

Q. An requiratur ut dolor sit universalis de omnibus peccatis?

R. Maxime, quoad mortalia, ut patet ex illo Ezechielis 10.: *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est, et custodierit omnia praecepta mea, vita vivet.* Nam unum mortale non potest remitti sine omnibus aliis, cum per quodlibet evertamur a Deo, et nullum remittitur sine infusione gratiae sanctificantis, quae est incompossibilis cum quodlibet mortali.

Dixi *quoad mortalia*, quia quoad venialia sufficit, ut sit quoad aliquod illorum, quia ad poenitentiam mortalium requiritur, quod homo proponat abstinere ab omnibus, et singulis mortalibus. Ad Poenitentiam autem venialium sufficit, quod proponat abstinere a singulis, non vero ab omnibus; quia infirmitas hujus vitae id non patitur. Porro ad confessionem venialium

(1) *Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, et disconvenientiam cum natura rationali, sine ullo ad Deum offensum respectu.*

(2) Tridentinum Sess. VI. Can. 31. decrevit: *Si quis dixerit justificatum peccare, dum intuitu aeternae mercedis bene operatur, anathema sit.*

Propositio ab Alexandro VIII. proscripta sic loquitur. *Intentio, qua quis detestatur malum, et prosequitur bonum mere, ut coelestem obtineat gloriam non est rectus, nec Deo placens.*

Digitized by Google

requiritur dolor, ac propositum eadem evitandi, licet non sit universalis, neque ad ea omnia sese extendat, quia peccatum veniale hominem a gratia Dei non excludit, et potest unum sine altero remitti, quod non est in mortalibus, Suarez cum aliis communiter.

Q. An est mortale confiteri venialia sola sine dolore formali et efficaci saltem de aliquo?

R. Maxime, quia redditur forma nulla, et Sacramentum nullum, ac sine effectu, defectu materiae essentialis. Ita DD. communiter.

Q. An dolor debeat praecedere absolutionem?

R. Maxime, quamvis tutius sit, ut praecedat ipsam confessionem: ratio primae est, quia in absolutione essentialiter consistit Sacramentum, ac proinde conjunctum esse debet cum sua proxima materia, qualis est dolor de peccatis: nec peccata remitti possunt sine contritione. Hinc necessario necessitate Sacramenti requiritur, ut dolor absolutionem praecedat, quod patet ex Rituali Romano §. 2. et ex praxi Confessariorum, qui audita confessione conantur adducere Poenitentes ad dolorem. Ratio secundae est, quia potest facile contingere, uti quis peracta confessione fiat distractus, vel attendat ad poenitentiam injunctam, vel reflectat, an rite confessus fuerit, et obliviscatur doloris tunc eliciendi. Quare tutius est elicere illum ante confessionem praesertim, quia confessio secundum aliquos debet manare ex contritione, ut sit accusatio dolorosa, alias esset historica narratio, adeoque istos moneant Confessarii, ut eliciant dolorem ante confessionem.

Q. Quanto tempore dolor possit praecedere Confessionem?

R. Quantum sufficit ad faciendum unum quid moraliter cum confessione dolorosa, puta si quis ex vi hujus actus jam eliciti pergat examinare conscientiam, manere ante confessionale, expectare tempus confitendi etc., in eo censetur perdurare dolorem, licet confiteatur post plures horas: ita DD. communiter. In quo est advertendum, quod aliqui tenent sufficere dolorem si duabus, vel tribus horis praecedat confessionem. Per somnium vero interrumpitur dolor, et denuo est repetendus, nam in materia Sacramentorum tutior pars est tenenda. Pro praxi tamen illud est tenendum, atque inculcandum, atque insuper curandum Confessariis, ut Poenitentes absolutionem recepturi renoveat dolorem, atque ad illum iterum se excitent.

Q. Num necessarium sit de singulis mortalibus singillatim dolere?

R. Minime, ita ut sufficiat unus, et simplex contritionis actus, ac dolor de omnibus peccatis generatim, tum quia singulorum expressio requiritur in confessione, non in cordis dolore, tum quia sicuti una absolutionis forma possunt omnia, et singula pecoata deleri, ita et unico actu doloris: D. Bonav., Cajet., Laym., aliique comm. Hinc rectissime docent Theologi dolorem esse debere appretiative summum, non autem extensive, quoad numerum peccatorum, ut scilicet tot eliciantur contritionis actus, quot fuere peccata admissa, quod sane foret impossibile in peccatoribus consummatae malitiae.

Q. Quid si quis statim post absolutionem recordetur alterius peccati mortalis, et confitetur petendo absolutionem, num teneatur denuo elicere doloris actum?

R. Semper ac datur nova absolutio, requiritur nova contritio, quia nova forma exigit novam materiam. Et licet aliqui contrarium sentiant, quia

Digitized by Google

Contritio antea elicita virtualiter perseverat, tamen, quia agitur de parte essentiali Sacramenti, ideo tutior via eligenda est, eo magis, quod haec sententia tutior est etiam probabilior, et opposita sit minus probabilis, ne dicam penitus improbabilis.

Q. Quid si quis unico actu doluit de peccatis mortalibus et venialibus et postea venialiter peccat, num teneatur denuo doloris actum elicere?

R. Minime, quoad mortalia, ita ut non tenetur denuo elicere actum doloris pro delendis mortalibus, quia dolor jam elicitus erat virtualiter multiplex, et ideo remanet voluntas non peccandi graviter. Idem dicas, si quis doleat unico actu de pluribus venialibus, et postea ex fragilitate, et inadvertentia committat aliud veniale alterius generis diversi ab eis, de quibus per contritionem doluit. Communiter.

Q. Contritio elicita sine animo confitendi, et recipiendi absolutionem sufficitne ad sacramentalem confessionem?

R. Minime, quia dolor sic elicitus non est actio sacramentalis, nec pars Sacramenti, cum ad hoc non fuerit ordinatus, uti non esset sacramentalis ablutio facta sine intentione baptizandi, licet postea ad Baptismum referatur, et forma proferatur. At ex Pallavicino si huic dolori adjuntum sit desiderium justificationis, ut ordinarie accidit, tunc adest sufficiens confitendi voluntas.

Q. Num Contritio sit necessaria?

R. Est necessaria necessitate tum medii, tum praecepti Divini, ad remissionem peccati mortalis consequendam, patet ex Act., *Poenitemini, et convertimini, ut deleantur peccata vestra*, et Matth. 4: *Poenitentiam agite*. Quin est etiam necessaria necessitate praecepti naturalis, cum ex lege justitiae homo teneatur reparare injuriam Deo illatam per peccatum modo convenienti, atque a Deo instituto. Modus autem iste alius non potest esse, nisi contritio.

Ubi nota I. Quod contritio sufficiens ad remissionem mortalium, quae necessaria est medii, et praecepti Divini debet reconciliare peccatorem cum Deo, et proinde vel est contritio perfecta cum voto Sacramenti, vel saltem attritio cum amore Dei imperfecta adjuncta Sacramento.

II. Quod aliquando sufficit contritio implicita scilicet actus caritatis perfectae, quae implicite contineat contritionem, et sufficit pro eo, qui peccati sui immemor est, ad reconciliationem obtinendam. Verum si postea memor fiat, debet actum formalem contritionis exercere, vel perfectae, si confiteri non potest, vel imperfectae, si confiteatur; Deus enim non videtur remittere peccatum ob actum dilectionis, nisi cum ordine ad poenitentiam, seu contritionem habita peccati recordatione. Layman, Antoine, aliique communiter.

Q. An requiratur propositum non peccandi de cetero ad Sacramentum Poenitentiae?

R. Propositum est firma, et efficax voluntas evitandi cum Dei gratia mortalia, et occasiones proximas. Hoc in Sacramento Poenitentiae requiritur, quia aliter dolor non esset efficax, et expresse patet ex Tridentino sess. cit. cap. 4., ubi praeter dolorem peccati, expresse requiritur propositum non peccandi de cetero, quod frustra exigeret, si satis esset propositum implicitum in ipsa detestatione peccati inclusum: ita saniores Theologi post Bellarminum lib. 2. de Poenit. cap. 6.

Digitized by Google

Q. Quaenam sunt conditiones requisitae ad propositum Sacramenti Poenitentiae necessariuin?

R. Sunt plures, quarum I. Est, ut sit *efficax effective*, hoc est absolute excludat omnem voluntatem peccandi mortaliter, et poenitens sit dispositus ad omnia mala generatim perferenda, quam iterum ad peccata redire. Unde non solum statuat in corde suo omnia peccata vitare, sed etiam occasiones, et pericula peccandi (1).

II. Ut sit *Universale*, scilicet, ut Poenitens voluntatem habet abstinendi ab omnibus, et singulis peccatis mortalibus: secus vero de peccatis venialibus, uti scite docet D. Thomas 3. part. q. 87. art. 1. ad I. Ubi advertendum, quod habens venialia non solum debet proponere illa minuere, sed etiam debet habere propositum formale evitandi omnia mortalia; nam qui suscipit Poenitentiae Sacramentum suscipit gratiam, quae est forma perpetua de se amicitiae Dei, adeoque debet velle servare omnia ejus praecepta obligantiâ sub mortali, quod idem est ac velle cavere omnia peccata gravia.

III. Ut sit *firmum*, hoc est, ut Poenitens absolute, et simpliciter velit perseverare in posterum in proposito etiam cum periculo mortis. Et hic adverte, quod non obstat firmitati propositi, si quis considerata sua fragilitate, et malis suis habitibus, timeat, se ad vomitum peccatorum rediturum: in casu, quo *vere, et serio* resolvat in posterum non peccare, quia ille timor est ex parte intellectus, et propositum est ex parte voluntatis, adeoque non destruitur ab eo.

IV. Ut sit absolutum, et independenter a quacumque conditione.

Q. An requiratur ut propositum sit formale, et expressum, an sufficiat virtuale?

R. Licet aliqui contrarium sentiant, quando dolor elicitus est ex motivo universali, attamen, ut verum fatear, probabilior est, non solum tutior (ut ipsi concedunt adversarii) sententia illorum, qui docent requiri propositum expressum, et formale. Quod satis abunde patet ex Tridentino requirente praeter dolorem, propositum non peccandi de cetero. Quod superfluum esset, si sufficeret implicitum in dolore. Quemadmodum ergo dolor debet esse formalis, atque explicitus, ita et propositum. Ita post Bellarminum saniores Theologi.

(1) Hic advertendum (quidquid dicat *P. Concina*) relapsus non semper esse signa infirmi propositi, adeo ut semper repentendae sint Confessiones praeteritae, ut invalidae; quia relapsus non est signum certum, quod defuit voluntas, sed saepe est signum mutatae voluntatis, dum saepe solent homines firmiter proponere, et postea iterum cadere; ideoque ad Rit. Rom. *In peccata facile recidentibus utilissimum fuerit consulere, ut saepe confiteantur, et si expediat, communicent.* Non dicit ut facile recidentibus absolutio danda non sit, propter dubium, quod subest de eorum proposito: sed ut consulendum sit potius eis, ut saepe confiteantur, et communicent: intelligitur semper, ac dignoscitur adesse debita dispositio ut dicemus *Tom. III. Tr. ult. Punct. II.* Et quoad repetendas Confessiones praeteritas, recte dicit *P. Segneri* talem obligationem non adesse, nisi habeatur moralis certitudo de invaliditate Confessionum praeteritarum, ut esset cum observatur quod aliquis post Confessiones semper reincidit in eadem peccata statim post biduum, aut triduum, sine ulla resistentia, et quin aliquod medium adhibuerit, et quin occasionem removerit. *S. Ligorius homo apost Tract. XVI. de Poenit. Sacram. Punct. II. de Proposit. §. 26.*

Digitized by Google

Dixi *ex motivo universali*, puta simul ex metu gehennae, spe gloriae, et ex Bonitate Divina, quia si doleat ex speciali turpitudine, puta blasphemiae, non videtur implicite proponere, nisi blasphemias cavere, ideoque non habere propositum universale.

CAPUT V.

De Confessione

Q. Quid est Confessio Sacramentalis?

R. *Est legitima, et sacramentalis accusatio de propriis peccatis facta coram Sacerdote legitimo, ad eorum remissionem obtinendam per absolutionem.* D. Thomas in 4. dist. 17. q. 3. art. 2., aliique communiter.

Quae confessio sacramentalis peccatorum instituta fuit a Christo Domino, nam ipse instituit Poenitentiae Sacramentum per modum judicii, constituendo Confessarium Judicem, qui debet solvere, vel ligare, clare ex Matth. 17. *Tibi dabo claves Regni Coelorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in Coelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in Coelis.* Hoc autem judicium Confessarius non potest rite exercere, nisi ex ore Poenitentis omnia sua peccata cognoscat. Trid. sess. 14. Cap. 5. et Can. VI. In quo anathema etiam pronunciatur contra eos, qui negaverint, necessariam non esse lapsis post Baptismum Sacramentalem Confessionem jure divino.

Q. Quot conditiones requiruntur ad confessionem?

R. Sexdecim, quae in hisce continentur versiculis.

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, et discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis, et accusans, et sit parere parata.

Quae conditiones juxta Anacletum, aliosque Doctores possunt reduci ad tres, scilicet, ut sit *Dolorosa, Vera et Integra?*

Q. Quid importat ly, ut sit vera, dolorosa, et integra?

R. *Vera*, ut fiat sine fuco, mendacio, et artificio verborum, nec facta ad malum, vel supervacaneum finem. *Dolorosa*, ut fiat ex corde detestante peccatum, ita ut peccata confiteatur, quia de illis dolet, adjuncto efficaci proposito non amplius peccandi. *Integra*, ut fiat cum manifestatione omnium peccatorum mortalium juxta numerum, speciem, et circumstantias, speciem mutantes, vel notabiliter aggravantes. Communiter.

Q. Quotuplex est integritas Confessionis?

R. Duplex est: una dicitur *materialis* altera *formalis*. Prima habetur, quando poenitens omnia omnino peccata mortalia, quae admiserit secundum numerum, speciem, et circumstantias speciem mutantes, vel notabiliter aggravantes confitetur, ita ut nullum eorum remaneat aperiendum, scilicet prout sunt commissa. Secunda habetur, quando poenitens omnia peccata mortalia confitetur, quae post diligens examen menti occurrunt, prout hic, et nunc potest, et tenetur.

Digitized by Google

Q. Ad integritatem materialem Confessionis ponenda requiriturne, ut praemittatur examen diligens conscientiae ?

R. Maxime, quia si praecipitur finis, qui est integritas, praecipitur etiam medium ad talem finem, quod est examen conscientiae; nam sine isto difficiliter haberi poterit integritas confessionis, uti patet ex Trident. Sess. 14 Cap. 5. Quale autem debeat esse hoc examen non potest definiri, quia juxta conditionem vitae Poenitentis, et tempus, quod forte effluxit ab ultima peracta confessione, dum tamen non fuerit invalida, debet esse examen diligens conscientiae. Illud tamen praescribit Catechismus Romanus examen hujusmodi ea diligentia instituendum, ac peragendum, quae in rebus gravissimis adhiberi solet.

Q. Num integritas confessionis debeat esse materialis, vel formalis ?

R. Licet ad valorem Sacramenti poenitentiae sufficiat integritas formalis, minime vero requiritur materialis, quae aliquando impossibilis est physice, vel moraliter, tamen regulariter loquendo debet esse materialiter integra, ut omnes Doctores tenent. Quod patet ex Trident. sess. cit. Cap. 5. et Can. 7. *Si quis dixerit in Sacramento Poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse Jure Divino, confiteri omnia, et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, et diligenti praemeditatione habetur, etiam occulta, et quae sunt contra duo ultima Decalogi praecepta, et circumstantias, quae peccatis speciem mutant. . . . . anathema sit.*

Dixi *regulariter*, quia aliquando sufficit integritas formalis, nam praeceptum Divinum de integritate confessionis non obligat quando fieri non potest. Ita DD. communiter. Nam Christus hoc Sacramentum, ut medium instituit ad justificationem necessarium, et in gratiam fidelium, ideoque noluit, illud impossibile illis reddere non solum absolute, sed etiam moraliter.

Q. Quaenam sunt causae, ob quas quis excusatur ab integritate materiali ?

R. Sunt plures, tamen reduci possunt ad impotentiam physicam, vel moralem. Impotentia physica tunc habetur quando quis nullo modo potest omnia peccata confiteri, uti si quis diligenti examine praemisso non potest recordari omnia peccata, quae commisit : vel si inter confitendum amittit loquelam; vel si habeatur multitudo Poenitentium, qui eodem tempore indigent absolutione, uti accidit in tempestate, naufragio, peste, praelio etc., vel si poenitens non possit brevi tempore peccata singula confiteri, et periculum instat decedendi ex hac vita sine absolutione Sacramentali : vel si peccata ex ignorantia invincibili, vel inadvertentia non cognoscat poenitens; in istis enim casibus Poenitens satisfacit declarando ea, quae memoriae occurrunt, atque in praedictis circumstantiis constitutus confiteri potest, et debet. Layman., Suarez, aliique communiter, juncto Trident. cit. ses. Cap. 5. (1)

(1) Aliquando in confessione sufficit integritas formalis, nempe quod poenitens confiteatur juxta quod nunc moraliter potest, remanente ceteroquin sibi obligatione faciendi postea Confessionem moraliter integram, cum impedimentum fuerit remotum, et urgeat praeceptum iterum confitendi. Itaque excusat ab integritate materiali impotentia tam physica, quam moralis, et primo ob impotentiam physicam excusantur 1. Muti, quibus tam in morte, quam in Praecepto Paschali sufficit signis, modo quo possunt explicare unum peccatum dumtaxat. An autem muti scri-

Digitized by Google

Impotentia moralis habetur, quando quis non potest confiteri omnia peccata sua, nisi cum valde gravi incommodo sui, vel alterius, quod tamen sit confessioni extrinsecum, et praeter naturam Sacramenti Poenitentiae: uti si quis timeat prudenter, quod Confessarius frangat sigillum, vel ex sua confessione sumat occasionem peccandi, vel graviter nocendi Proximo, in hoc casu iste talis satisfacit declarando ea peccata, quae possunt sine ullo gravi incommodo declarari, vel si foemina ex jam compertis experientia, vel aliis probabilibus causis, ex peccati carnis confessione rationabiliter timeat fore sollicitandam a Confessario juvene non bonae famae etc., tunc si non habeatur copia alterius Confessarii, potest illud peccatum tantummodo omittere, quod habeat adjunctum tale periculum, et alia confiteri. Communiter.

Quare Theologi docent, quod ut excusetur aliquis ab integritate Confessionis istae requirantur conditiones. I. Ut reapse timeatur malum grave inde probabiliter eventurum. II. Ut desit alius Confessarius, cui secure possit res aperire, vel si adsit, ut non possit adire sine gravi incommodo. III. Ut non possit in aliud tempus differri confessio sine scandalo, aut infamia. IV. Ut illud solum peccatum retineatur quod habeat adjunctum tale periculum (1).

bere scientes teneantur confiteri sua peccata scribendo, negant *Castrop.*, *Cajet.*, *Nav.*, *Valent.*, et alii dicendo quod talis modus est periculo manifestationis obnoxius. Sed communiter, et probabiliter affirmant *Lugo*, *Bonac.*, *Anaclet.*, *Croix*, *Salm.*, *etc.* cum *S. Thoma*, dum qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media. Intelligitur modo haec media non sint notabiliter difficilia; quapropter non tenetur mutus ad scribendam Confessionem cum extraordinario incommodo, aut periculo esset illi, ut peccata sua ab aliis cognoscantur. 2. Surdi, qui confessarii interrogationibus respondere nequeunt, nec uti deberent, peccata sua explicare sciunt: intelligitur hoc de omnino surdis, quia surdastri debent adduci in aliquem remotum locum, ut eorum Confessiones audientur. 3. Illi qui linguam patriam ignorant. Istè tempore Praecepti, aut alterius necessitatis possunt absolvi manifestando tantum signis peccatorum suorum dolorem, nec tenentur per interpretem confiteri, ut dicunt *Suar.*, *Vasquez*, *Lugo*, *etc.* An autem teneantur confiteri sic in morte, alii affirmant, sed alii ut *Sot. Cajet. Castr. Salm. Viva*, *etc.* probabiliter negant, nisi esset quod dubitarent de contritione sua; quia tunc tenentur ad confitendum cum sola attritione, quam haberent, ut per Sacramentum gratiam perciperent, sed tunc sufficiet ipsis, ut Confessario per interpretem aliquod veniale manifestent 4. Moribundi, sed hic secernenda sunt. Si moribundus sui compos est, sed nequit loqui, quoties ipse poenitentiae dat signa, aut ostendit velle absolutionem bene potest absolvi, et quoties repetit signa, quia tunc jam adest confessio in illa expostulatione, quam facit de absolutione, aut in illo signo, quod dat doloris sui, quo jam confitetur se esse peccatorem, unde tunc directe absolutionem recipit super peccatis omnibus sub generica peccati ratione, licet ipse teneatur cum poterit ad ea in particulari explicanda, ut confessionem materialiter integram faciat. *S. Ligorius loc. cit. Cap. III. de Confessione Punct. I. §. 35.*

(1) Ob impotentiam *moralem* excusatur poenitens ab integritate materiali, et ei sufficiet formalis in pluribus casibus 1. Si est scrupulosus, et jugiter praeteritarum Confessionum timore vexatur, ut docent communiter *Laym. Illsung*, *Elbel*, et *Holzm.* 2. Si infirmus confesso uno, vel altero peccato deficeret, aut in periculo deficiendi esset. 3. Si dum affertur Viaticum, Confessarius adverteret Confessiones praeteritas fuisse nullas, et infirmus non posset tunc integre confiteri, nisi cum periculo sine absolutione decedendi, aut scandali, ut superiori *Tract. XV. n. 24.* dictum est. Et idem dicit probabiliter *Renc.* cum urgens esset necessitas celebrandi,

Digitized by Google

Q. An magnus populi concursus die indulgentiae, vel magnae Festivitatis sufficiat ad faciendam confessionem formaliter integram, non materialiter ?

R. Minime, quia tunc non adest sufficiens necessitas nec physica, nec moralis, ideoque viget praeceptum divinum integritatis materialis dimidiandae confessionis, sed magni inde abusus, ac magna incommoda orirentur. Quod patet etiam ex proposit. 59. ab Innoc. XI. damnata die 11 Martii 1679. (1).

Q. An peccata mortalia ex oblivione, vel ob aliam justam causam praetermissa, debeant confiteri cessante impedimento ?

R. Maxime, quia indirecte tantum fuere absoluta; quare data opportunitate debent in proxima confessione exprimere Poenitentes, et directe clavibus Ecclesiae subjicere, ut ab ipsis directe absolvantur. Quod patet, tum ex Trident. loc. cit. Can. 7., in quo habetur necessarium esse jure divino confiteri omnia, et singula mortalia, post Baptismum commissa, quorum memoria habetur, *tum ex proposit. damnata ab Alexand. VII.* die 24. *Septembris* 1665 (2).

Q. An ad valorem Sacramenti requiratur Confessionis integritas respectu ejusdem Sacerdotis, et ejusdem absolutionis ?

R. Maxime, ita ut omnia mortalia, quae sunt in conscientia, necessario declaranda sunt idem Sacerdoti, et in ordine ad eamdem absolutionem, quod est de fide, uti patet ex Conciliis Florentino, et Tridentino sess. cit. Cap. 5. ibi: *Qui scienter aliqua retinent, nihil Divinae bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt.* Ubi adverte, quod Concilium non dixit *per Sacerdotes*, sed *per Sacerdotem*. Quare quis habens decem mortalia, non

aut communicandi, et tempus finiendae Confessionis non suppeteret. Idem currit pro Sacerdote habente reservatum, et in celebrandi necessitate constituto, si non adesset Confessarius facultate praeditus, ut in antecedenti *Tract. n. 27.* diximus 4. Si Sacerdos esset in mortis periculo antequam absolutionem impertiatur. 5. Cum grave adest periculum infectionis, quia tunc Confessarius potest absolvere poenitentem infectum, audito uno tantum peccato: *Conc. Wigand. Bonac. Elbel*, et alii. Sed si Confessarius vellet audire totam Confessionem, tenetur infirmus integre confiteri. 6. Si imminet naufragium, aut praelium: quia tunc sufficit cuique tantum veniale confiteri, aut se peccatorem esse in generali; et potest tunc Sacerdos absolvere omnes in generali, dicendo: *Ego vos absolvo etc.* praecisus poenitentium concursus, alia non interveniente causa non est ratio sufficiens ad dimidiandam Confessionem, ut ex Prop. 59. damn. ab Innoc. XI. 7. Si ex Confessione alicujus peccati prudenter poenitens posset timere grave damnum spirituale, aut temporale proprium, aut alienum, v.g. revelationis, scandali sui, aut Confessarii, mortis, aut infamiae. Sed intelligitur cum urget necessitas confitendi ob mortis periculum: aut satisfaciendi Communioni Paschali. Aut (dicunt *Lugo, Henriq. etc.*) si poenitens esset in mortali et caeteroquin ei expectandum esset biduum, aut triduum ut confiteretur: immo etiam si unus dies, sicut dicunt *Suar. et Escob.* (licet in alia re) ut diceretur in *Append. III. Exam. Ordinan.* Denique si non posset peccatum confiteri quin sigillum Sacramentale revelet *S. Ligorius homo apost. loc. cit. §. 39.*

(1) *Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessus ratione magni concursus poenitentium, qualis potest contingere in die magnae alicujus festivitatis, aut indulgentiae.*

(2) *Peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans vitae periculum, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.*

Digitized by Google

potest quinque uni Confessario, et quinque postridie eidem Confessario confiteri obtinendo absolutionem pro quinque: quia integra non esset confessio, ac proinde nulla. Ita DD. communiter.

Q. Num contra integritatem faciat ille, qui uni Confessario confitetur mortalia, alteri vero venialia?

R. Vel iste talis confitetur prius mortalia uni, et deinde venialia alteri, et sic hujusmodi agendi rationem non esse contra integritatem confessionis; quia abest obligatio confitendi venialia, neque adest prohibitio, ut quis post confessionem mortalium, non confiteatur alteri venialia. Quod non vacat ab ordinatione, cum sit signum aliquando animi magis curantis existimationem suam, quam spiritualem perfectionem. Ceterum quis tam facile discernere valet mortale a veniali, quod difficile proponatur a S. Augustino? Insuper cum iste talis supponatur inquinatus mortalibus, multo difficilius valebit discernere. Vel iste talis prius confitetur uni venialia, et postea alteri mortalia, et dico hoc esse contra integritatem confessionis; quia qui vult confiteri venialia, prius eidem Confessario tenetur confiteri mortalia: si mortalia commiserit, aliter sacrilege confitetur, Layman, aliique communiter.

Q. Num ille, qui non potest manifestare peccatum suum, nisi Complicem manifestando, et ex ejus manifestatione nullum aliud damnum sequitur praeter pravum conceptum Complicis apud Confessarium, teneatur illud manifestare?

R. Dissidium adest inter DD., nam alii negant, quia praevalet praeceptum naturale servandi famam Complicis apud Confessarium. Alii vero affirmant cum DD. Thoma, Bonaventura, Antonino, et Bernardo, apud quem haec habentur in Opuscul. de formul. vitae honestae: *De nullo sinistre loquaris quantumcumque sit verum, vel manifestum, nisi in Confessione, et hoc ubi non potest aliter manifestare peccatum tuum.* Praeterea licitum est alicui debitis circumstantiis observatis manifestare peccatum alterius ex rationabili causa, uti idem D. Thom. 2. 2. q. 73. art. 2. docet. Quae autem magis rationabilis causa, quam ut consulatur integritati Confessionis, et suae aeternae saluti?

Porro complex, eo ipso, quod assentitur peccato, subjicit se huic legi confessionis, adeoque quaecumque infamatio oriatur, sibi imputare debet, qui in peccatum consentiendo jure famae suae renuntiavit. Quare haec posterior sententia est longe probabilior altera, atque unice in praxi tenenda. Vid. D. Thom. Opuscul. 12. q. 6.

Q. Quid si ex manifestatione Complicis, huic grave damnum timeatur?

R. In hoc casu poenitens non tenetur manifestare hujusmodi peccatum Confessario huic, cum vigeat praeceptum naturale charitatis magis, quam praeceptum integrae confessionis. Hujusmodi enim grave damnum cum sit extrinsecum ipsi confessioni est justa causa illam dimidiandi. Hoc tamen vat, si non habetur alius Confessarius, vel nullo modo, vel sine scandalo, vel periculo infamiae possit differri, tamen advertendum, quod si per reticentiam circumstantiae satis occultetur complex, tenetur poenitens peccatum principale confiteri, atque reticere illam circumstantiam.

Q. Quid si Complicis manifestatio necessaria non est ad confessionem, et Confessarius advertit poenitentem paratum ad manifestandum illum sine causa?

Digitized by Google

R. Tenetur Confessarius prohibere, quia aliter injuste detrahitur famae illius, et sine necessitate, et Confessarius non impediens, cum impedire possit, et teneatur, videtur particeps iniquitatis illius. Salmantic., D. Thom., aliique. In praxi expedit in hoc saepe, dum occasio occurrit, admonere poenitentes.

Q. Quid si Confessarius curiositatis causa interroget directe, vel indirecte de complice peccati?

R. Si Confessarius curiositatis causa nomen complicis inquirat, aut habitationem ejusdem, vel alias similes circumstantias, unde indirecte manifestetur complex, graviter peccat; quia injuriam irrogat tum famae Proximi, quae detrahitur, tum ipsi Sacramento Poenitentiae; nam sic ab eo abalienantur fideles, uti apparet ex Constitutione Benedicti XIV. quae incipit: *Suprema omnium Ecclesiarum*, et ex altera ejusdem Pontificis, quae incipit *Ubi primum* apud Antoine in Additionibus.

Dixi *curiositatis causa*, quia si ex justo aliquo titulo inquiratur, ut si v. g. media idonea suggerantur poenitenti, quibus a proxima occasione liberetur, vel ut poenitens doceatur, qua ratione satisfacere possit suae obligationi justitiae, vel charitatis, qua tenetur avertere malum imminens, vel Communitati, vel complici, vel alicui tertio, sicuti poenitens non peccat revelando complicem, sic et Confessarius non peccat inquirendo ex tali justo titulo, uti habetur ex commentario clariss. Viri Ludovici Anton. Muratorii super cit. Constit. Benedicti XIV.

Q. Quid si Confessarius inquirat Complicis notitiam ipsi non necessariam, sed tantum ad complicem corrigendum?

R. Peccat graviter, quia odiosum reddit Sacramentum Poenitentiae Fidelibus, et Confessarii munus est, solum curare vulnera poenitentis, non vero aliena, et non tenetur ad correctionem illorum, quorum crimina sunt sibi nota per secretum confessionis. Id expresse patet ex cit. Constitutionibus Bened. XIV. Siquidem praedictae Constitutiones potissimum editae fuere ad hunc abusum corrigendum, sive praetextum eliminandum, cujus specioso nomine abutentes notitiam complicis ex confessione sibi comparare licitum arbitrabantur, et contendebant.

Q. In quas poenas incidit Confessarius inquirendo sine justa causa Complicem peccati, quod confitetur Poenitens?

R. Ex cit. Constitutione *Ubi primum*, Confessarius inquirens Complicem sine justa causa, et denegans absolutionem poenitenti, qui noluit Complicem manifestare, incidit in suspensionem ab audiendis confessionibus ferendae sententiae, aliasque graviores poenas arbitrio Ordinarii. Praeterea est intra triginta dies denuntiandus tanquam suspectus de haeresi; dummodo inquisitio sit talibus circumstantiis conjuncta, quae Confessarium sic agentem de adhaesione ad praedictam reprobatam praxim, tamquam ad licitam, vel alio quovis modo de prava credulitate suspectum reddunt, a qua tamen denuntiatione facienda eximitur poenitens, cui facta est inquisitio, et deneganda absolutio, tantum in causa propria. Si vero Confessarius id fecerit ex rudi simplicitate, ignorantia, vel imprudentia, denunciandus non est, sed ab Ordinario loci puniendus.

Porro qui docet licitam esse praxim inquirendi complicem, vel praesumpserit scribere, aut loqui in ejusdem damnatae praxis defensionem,

Digitized by Google

vel ea, quae constituta sunt contra illam, impugnare, vel in alieno sensu temere detorquere, ipso facto incidit in excommunicationem Papae reservatam, ita ex cit. Constitution.

Q. An ille qui non potest confiteri peccata sua nisi per interpretem, eo quia alieno idiomate utantur, ad id teneatur?

R. Maxime, saltem ex praecepto charitatis propriae, si alioqui diu abstinendum esset a confessione, vel urgente mortis articulo, atque de his temporum circumstantiis intelligendum esse jubent Theologi, quod docet D. Thom. in 4. dist. 17. q. 3. art. 4 « In eo, qui usum linguae non habet, » sicut mutus, vel qui est alterius linguae, sufficit, quod per scriptum, aut » nutum, aut interpetrem confiteatur, quia non exigitur ab homine plus » quam possit. . . . . Quod non possumus uno modo, debemus secundum » quod possumus confiteri ». Nam damnum spirituale et damnationis periculum, et subtractio spiritualium bonorum est malum majus periculo infamiae subeundae in confessione per interpretem, quae revera non adest, cum interpres ad sigillum teneatur.

Dixi *saltem ex praecepto charitatis*, etenim si agatur de necessitate implendi solum ecclesiasticum Confessionis praeceptum communiter docent Theologi ad Confessionem non teneri illum, qui non potest, nisi per interpretem confiteri, quia Ecclesiastica praecepta instante gravi incommodo desinunt obligare. Ex praecepto vero divino, etiam ex D. Thoma in Supplement. q. 9. art. 3. ad 2. hic tenetur ex rationibus supra allatis.

Q. Num isti adsit obligatio confitendi omnia peccata?

R. Ex sententia complurium DD. non adesse hanc obligationem, sed sufficere aliquod dumtaxat confiteri, accusando se de aliis generaliter; nam integra peccatorum confessio praecepta est, dum moraliter fieri potest soli sacerdoti. Verum probabilius ac tutius est, posito quod elegerit confiteri per interpretem, ut omnia teneatur aperire peccata, nisi malum valde grave timeretur. Hinc advertit Lugo, teneri istum talem confiteri omnia peccata mortalia in articulo mortis, quia manifestatio peccati apud duos sigillo obstrictos, non est detrimentum ita grave, ut quis possit excusari ab integritate confessionis in eo articulo. Cum non remaneat alia occasio confitendi, nec certum sit ad hoc non teneri poenitentem ex praecepto divino. Ita Diana.

Q. Quomodo se gerere debeat Confessarius erga poenitentem qui ob nimiam peccatorum consuetudinem certum numerum exprimere non potest?

R. Tenetur facere inquisitionem, ut iste poenitens explicet suam ad peccandum habitudinem, puta: *Continuavi tale peccatum tanto tempore, illud committendo tot, vel tot circiter vicibus, plus, minusve per mensem, per hebdomadam, per diem etc.*, quia sic jam sufficienter innotescit status poenitentis, sicuti etiam dinumerantur distincte peccata, quoad numerum, quantum moraliter, ac humano modo hic, et nunc fieri potest. Ita communiter DD.

Q. Num Confessio necessario fieri debeat Sacerdoti praesenti?

R. Maxime, quia Poenitentiae Sacramentum institutum est tanquam judicium: in judicio autem reus debet esse praesens, ut vel damnetur, vel absolvatur, quod patet tum ex praxi totius Ecclesiae, tum ex Concil. Trident. sess. cit. cap. 2., ibi. « Eos, qui post Baptismum crimine aliquo se con» taminarunt, ante hoc Tribunal, tanquam reos Christus Dominus sisti voluit ».

Digitized by Google

Q. An possit fieri confessio per litteras, si poenitens absens sit?

R. Poenitens non potest nec valide, nec licite confiteri Confessario absenti per litteras, aut nuntium, et ab eo absolvi, quamvis reperiatur in articulo mortis, vel impotens ad accedendum ad illum, uti colligitur ex Cap. *Quam poenitet* 88 de Poenit. dist. 1. Et contrarium fuit damnatum tanquam falsum, temerarium, et scandalosum a Clemente VIII. his verbis: *Licere per litteras, seu per internuncium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere* 1. Haec propositio testibus Cardinale Bellarmino, et Petro Lombardo Archiepiscopo Armachano, qui de hoc Pontificem consuluerunt, fuit proscripta non solum in sensu composito, sed etiam in sensu diviso, scilicet pro sola Confessione, vel absolutione.

Q. Num teneatur poenitens confiteri peccata, quae nota sunt Confessario extra Confessionem?

R. Maxime, quia hoc Sacramentum fuit institutum per modum judicii, uti supra diximus, ut poenitens tanquam reus absolvatur a Sacerdote. Hinc sicuti reus non absolvitur ab iis, quae deducta non sunt in judicio, ita poenitens, ut absolvatur a peccatis, debet illa in judicio adducere per confessionem. Quamvis putent DD. quod sufficiat, ut iste talis dicat Confessario: *Pater accuso me de illis peccatis, quae scisti jam me commisisse*, quia sufficienter aperit Confessario statum suum, et potest Confessario, et injungere congruam satisfactionem. Bonac., aliique communiter.

Q. Num Confessarius possit absolvere moribundum qui cum non possit loqui, dat signum doloris, percutiendo pectus, vel manus stringendo etc.?

R. Tenetur, quia habetur sufficiens confessio sensibilis, et accusatio externa. Tamen advertendum, quod si Confessarius dubitet de signo, debet absolvere moribundum sub conditione, quia probabile est illud esse signum poenitentiae, cum probabile sit, quemlibet etiam scelestissimum in eo articulo velle procurare remedium Animae suae. Ita DD. communiter.

Q. Quid dicendum si moribundus non det signa externa, cum sit sensibus exterioribus destitutus?

R. Potest eum sub conditione absolvere, modo adstantes affirment *christiane* vixisse, quia semper praesupponendum, cum non constet interioribus sensibus esse destitutum, dare aliquod signum, quod non est Confessario sensibile, et christiane velle mori, et a peccatis absolvi. Patet etiam ex Clemente VIII., qui contulit absolutionem cuidam decidenti e Fabrica D. Petri hoc modo: *Si capax sis, absolvo te a peccatis tuis* Sanchez, et plures alii.

Q. Quid si moribundus christiane non vixerit?

R. Etiam sub conditione est absolvendus, 1. quia homo in instanti a divina gratia mutatur: 2, quia probabile est, etiam scelestissimum tali periculo optare remedium Animae suae, et proinde se poenitere peccatorum. Ita DD. communiter.

Q. Quid si e morbo correptus sit in actuali peccato, et nec loqui nec signum dare possit?

R. Dissidium est inter Theologos. Per aliquos non est absolvendus, et quia certa est indispositio, nec signum dispositionis habetur, et quia hoc

Digitized by Google

exigit Dei Satisfactio, et ne injuria irrogetur Sacramento. Per alios vero est absolvendus sub conditione, 1. quia homo ex D. Thoma in instanti a divina gratia mutatur, ideoque quia ignoramus, quid gratia efficiat, absolvere debemus, ne nostra culpa quis vitam aeternam amittere videatur, praecipue quia Dei misericordia ad eum Sacerdotem mittit: 2, quia nulla melior satisfactio Deo datur, quam in Sacramentali absolutione: 3, quia Sacramento non ut injuria, cum propter homines sint instituta Sacramenta, et ad Animarum salutem. 4, quia in necessitate materia probabili uti licet in Sacramentis necessitate medii necessariis. Ita D. Augustinus sentit loquens de Catechumeno adulto in actuali peccato, quoad baptisma, quod etiam ad Poenitentiam extendendum est: in praxi tamen, occurrente hac occasione, Sacerdos agat prout Spiritus Sanctus dictaverit.

Ebrius perfectus excipiendus est, qui ob corporis perturbationem usum rationis non habet, ideoque in ebrietate nullum actum contritionis elicere valet, et propterea non est absolvendus. Si vero dubitetur de vera ebrietate, sub conditione ei est impertienda absolutio.

Q. Quid si moribundus sit haereticus, qui loquelam amittit?

R. Non debet absolvi, nisi dederit conversionis signa, nec est tale pectoris percussio, cum possit esse signum doloris peccatorum, non resipiscentiae, quia in eo fides non praesumitur, sicut in peccatore. Si vero sint dubia signa sub conditione est absolvendus, si sit catholicus, sicut etiam si ignoretur, an moribundus, sit catholicus, an haereticus, et an fidelis, vel infidelis in locis, in quibus adsunt ambo. In locis vero in quibus tantum infideles incolunt, absolvi non potest, nisi signum aliquod Christianae Religionis habeat.

Q. Quaenam praesentia pro absolutione requiritur?

R. Praesentia duplex est physica, vel moralis. Prima habetur, quando quis loquens naturali voce audiri potest. Altera quando loquens elatiore. Utraque sufficit pro hoc Sacramento, hinc Clemens VIII. decidentem a fabrica S. Petri absolvit. Quod si dubitetur, an audiri possit, sub conditione absolutio danda est.

Q. Quotuplici ex capite nulla potest dici Confessio?

R. Ex duplici: vel ex defectu Confessarii, vel ex defectu poenitentis Defectu Confessarii. I. Si jurisdictione omnino caruit, vel impeditam habuit per suspensionem ab officio, vel excommunicationem vitandam. II. Si verba absolutionis substantialiter vitiet. III. Si absolvendi intentionem neque virtualem, neque actualem habeat. IV. Si confessarius ob surditatem, vel mentis distractionem peccata mortalia non intellexit. Defectu Poenitentis, nulla est confessio defectu doloris, vel propositi sufficientis, defectu integritatis, et defectu notabilis negligentiae in excutienda conscientia, nisi per diligentiam Confessarii deinde inter confitendum suppleatur. Tamen advertendum, quod si haec malitiose fiant vel a Confessario, vel a poenitente, confessio non solum erit nulla, sed etiam erit sacrilega respective, hoc est sacrilegium committit, quia malitiose agit (1).

(1) Ex parte autem poenitentis est invalida Confessio 1. Si ille est excommunicatus; nam excommunicatio privat cujuscumque Sacramenti perceptione. 2. Si ex malitia, aut culpabili negligentia omittit aliquod grave peccatum confiteri. 3. Si deb.-

Digitized by Google

Q. An qui fecit confessionem invalidam, teneatur cum illa omnes subsequentes alias iterare?

R. Vel fecit eas cum conscientia sive certa, sive dubia confessionis invalidae antea factae, et tenetur, quia ceterae omnes invalidae etiam fuerunt, ratione indispositionis, cum qua illas fecit. Vel fecit eas bona fide, scilicet ignorans confessionis anteactae invaliditatem, et cum debita dispositione ad Confessarium accedens, et juxta Sylvium non tenetur subsequentes Confessiones debita dispositione factas repetere, sed solam illam, vel illas, quas fecit cum conscientia defectus, quia istae censentur fuisse validae, cum habuerint omnia requisita ad earum validitatem. Antoine, Layman., aliique. Consultius tamen, ut repetat subsequentes Confessiones ad Animae securitatem, et conscientiae tranquillitatem (1).

tum dolorem, aut propositum non habet, praecipue si restituere non vult, ut debet, bona, honorem, aut famam ablatam, aut si occasionem proximam voluntariam nolit auferre. 4. Si confitetur aliquod peccatum turpe apud eumdem complicem; nam ut declaravit Benedictus XIV. in sua Bulla *Sacramentum*, Confessarius omni privatus fuit jurisdictione erga complicem sui peccati turpis, praeterquam in casu mortis, et quando nullus alius Sacerdos, etiam simplex adesset, alioquin ille absolvendo incurrit in papalem excommunicationem, ut fuse dicetur loquendo *de Jurisdictione Confessarii*.

Hinc quaeritur quomodo repetenda est Confessio invalida cum apud eumdem Confessarium fiet? Oportet hic prius advertere, quod cum absolutio dilata est, non opus est, ut Confessarius distincte reminiscatur peccatorum, quae jam confessa fuerunt, nec ut Confessionem repetere faciat, sed sufficit ut in confuso recordetur status poenitentis, ut communiter *Silvester, Suar. Navar. Concin. Laym. Croix.* Fit attamen dubium, an hoc sufficiat, cum Confessio fuerit nulla? Distinguunt *Suar. et Cuninch.*, et dicunt quod tunc tantum sufficit, cum Confessio invalida fuit solo Confessarii defectu circa suum officium, v. g. si absolutionem non dedit, aut sibi defuit animus absolvendi, secus autem cum fuit nulla defectu alicujus partis essentialis, ut si defuit dispositio in poenitente, aut jurisdictio in Confessario, quia tunc cum Confessio fuerit sacrilega, aut facta apud non judicem, non est Sacramentalis. Haec sententia est probabilis, nihilominus opposita est communis cum *Navar. S. Antonin. Silvest. Vasq. Medina, Lugo, Laym. Sa. Bonac., Valent., Tamb., Averza, Salm.* etc. et est valde probabilis. Hi DD. dicunt quacumque ex parte veniat defectus, necesse non esset Confessionem repetere, sed sufficere quod poenitens in genere iterum se accuset de peccatis jam patefactis, et quod Confessarius poenitentis status recordetur, aut ad summum illius conscientiae in confuso reassumat notitiam. Ratio est 1. Quia talis Confessio non fuit jam simplex narratio, sed cum facta fuerit in ordine ad recipiendam absolutionem, bene potest ille vere dici Sacramentalis, dum jam obligat ad sigillum Sacramentale. 2. Quia quamvis talis Confessio non fuisset Sacramentalis, saltem ejus satisfactio, iterum poenitente se accusando de peccatis confessis conjuncta cum cognitione, quam Confessarius de illis prius habuit, reputatur utique sufficiens ad efficiendam illam validam et integram. *S. Ligorius homo apost. Tract. XVI. de Poenit. Punct. 11. de Confess. §. 43.*

(1) Circa obligationem repetendae Confessionis optimam regulam exhibet *Habert*, et sic dixit: si observetur quod poenitens post Confessionem occasiones vitavit, et pro aliquo tempore tentationibus obstitit, bene possunt judicare validae Confessiones; secus autem, si observatur quod paulo post, oblata sibi prima occasione, facile, ut prius, lapsus est, dum ille, quem vere poenitet, et firmiter vitam in melius mutare statuit, impossibile est quod ita faciliter recidat quin saltem per aliquod tempus perseveret, aut quin prius saltem multam praestiterit resistentiam, unde sit, quod si quis post Confessionem statim sine ullo conatu labitur signum moraliter certum exhibet, ejus Confessiones praeteritas nullas fuisse quia deerat dolor, et propositum. *S. Ligorius homo apost. loc. cit. §. 46.*

Digitized by Google

Q. Num actus externus exprimi debeat Confessario?

R. Maxime, uti patet ex communi sensu DD., et praxi fidelium, tum quia aliter non manifestaretur peccatum completum, tum quia Confessarius non posset, ut par est fungi officio suo; nam actus externus est obnoxius censuris, irregularitatibus, variisque obligationibus, a quibus immunis est actus mere internus, tum quia actus externus majorem affectionem affert ob moram. Patet etiam ex proposit. 25. ab Alexand. VII. proscripta (1).

Q. Estne exprimendus in Confessione effectus malus ex actu externo secutus?

R. Vel non est praevisus, uti delictum commissum ob parvam vini quantitatem, vel secutus post causae retractationem, ut omissio recitationis officii ob projectionem Breviarii in mare, si statim poenituit, et utpote involuntarius, non est exprimendus in Confessione. Aliter si est praevisus, aut ante retractationem causae secutus, est exprimendus, quia ex actu oritur libere, et voluntarie posito. Item est exprimendus ad cognoscendum, an poenitens contraxerit censuram, irregularitatem, vel onus restitutionis, ita D. Thomas.

Hinc qui propinavit venenum, dicere tenetur, an mors secuta sit: qui copulam habuit, an proles, an defloratio.

Q. Teneturne poenitens confiteri circumstantias peccatorum?

Ante responsionem nota, quod circumstantia vel est physica, vel moralis. *Physica*, uti si quis occidat gladio, vel baculo aliquem. *Moralis*, quae ad malitiam, vel bonitatem actus humani pertinet, uti si quis occidat aliquem Clericum, vel Laicum, hoc notato:

R. I. Circumstantiae physicae non sunt aperiendae in confessione, uti si quis occidat hominem gladio, vel lapide, vel ligno, dextera, vel sinistra manu etc., quia hae circumstantiae neque mutant, neque aggravant peccatum. Excipe tamen si circumstantia physica aliquam conjunctam habeat malitiam, uti si quis pluribus ictibus, et per diuturnum tempus aliquem occidit, ut majorem dolorem ipsi inferat, vel majorem sibi comparet delectationem.

II. Circumstantiae mutantes speciem certo confitendae sunt, quia cum inducant novum peccatum, confessio non esset integra nisi manifestarentur. Trident. Sess. cit. Can. 7.

III. Circumstantiae notabiliter aggravantes peccati malitiam intra eandem speciem, etiam necessario confitendae sunt; et ratio est, quia confessio ideo integra ex Tridentino facienda est, ut Confessarius rectum, ac prudens judicium faciat de statu Poenitentis, ac de qualitate peccatorum, ac mensura remedia praebeat, et satisfactionem, sed hoc praestare non potest, nisi Confessario innotescant circumstantiae notabiliter aggravantes: nam Confessarius aliud judicium facit de furto triginta carolenorum, ac de furto mille aureorum, aliud judicium de peccato, quod duravit integrum diem, et aliud de eo, quod duravit semihoram. Ergo etc. Idem sentit Catechismus Romanus, Concil. Trident. jussu editus part. 2. cap. 9. de Poenitent. Similiter S. Carolus Borrom. in Instruct. Confessarior., et alii sexcenti illud idem docent. Praeterquamquod aliquando circumstantiae notabiliter aggravanti adnexa est censura, vel reservatio, uti si fornicatur quis cum consanguinea

(1) *Qui habuit copulam cum soluta satisfacit confessionis praecepto dicens: Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.*

Digitized by Google

in primo, vel secundo gradu. Quae censura vel reservatio nulla esset, si non esset manifestando in confessione circumstantia aggravans.

Dixi *notabiliter aggravantes*, quia si levem gravitatem adjungant peccato circumstantiae, aut levem malitiam novam adferant, possunt in confessione reticeri, quia cum sint leves, non sunt materia necessaria, sed voluntaria. Optimum tamen est omnes aperire in Confessione.

IV. Circumstantiae minuentes, si ita peccatum minuunt, ut de mortali transferant in veniale peccatum, aperiendae sunt in confessione, quia aliter non facit judicium rectum Confessarius, et decipitur in re gravi. Si vero minuunt, sed ita, ut remaneat mortale peccatum, non sunt confitendae; nam plerumque per eas descenditur ad emendicatam excusationem, quae confessioni nocet.

V. Circumstantiae multiplicantes numerum intra eamdem speciem peccati, etiam aperiendae, quia aliter non explicatur numerus peccatorum, prout exprimi debet. Quare qui unico ictu occidit decem homines, tenetur exprimere numerum occisorum, sicut et quot personas uno verbo turpi scandalizavit, scandalosus, et quot unica actione induxit ad blasphemandum.

Q. Num mentiri in confessione sit peccatum grave?

R. Vel mentitur circa materiam mortalem, et necessariam deliberate, et est peccatum mortale, quia deficit dolor necessarius ad confessionem, cum dolor dicat detestationem peccatorum, et propositum illa praecavendi, atque illa delendi per opportuna remedia. Vel mentitur circa materiam levem, et regulariter loquendo non est mortale; quia hujusmodi mendacium non censetur circa materiam necessariam, et non infert gravem injuriam Judici.

Dixi *regulariter*, quia si poenitens confitetur unum peccatum veniale, et circa illud mentitur, peccat mortaliter, et invalide recipit Sacramentum, quia cum tale veniale tunc sit tota materia confessionis, et juxta hypothesim falso narratur, nulla revera afferretur materia Sacramenti Poenitentiae, ac nullum inde efficeretur Sacramentum, quod gravem contineret injuriam adversus Sacramentorum institutorem Christum. Quod idem est dicendum de peccatis mortalibus jam rite confessis. Layman, Collet, Antoine aliique, communiter.

CAPUT VI.

De Satisfactione

Licet hanc tertiam Sacramenti partem pernegent Lutherani, Calvinistae, aliique Novatores, attamen Tridentina Synodus istorum errores anathemate percussit, sess. 14. can. 12., 13., 14., et 15., atque doctrinam iisdem erroribus oppositam referri voluit, ac jussit inter Catholicae Ecclesiae dogmata, uti videre est in adductis Canonibus. De ea itaque illa, quae pertinent ad praxim pro nostro instituto seligenda, atque breviter nobis enucleanda supersunt.

Q. Quid est satisfactio?

R. Est compensatio poenae temporalis ob injuriam Deo illatam debitae, consistens in operibus poenalibus, et laboriosis a Confessario taxatis, ita in re communiter.

Q. Quotuplex est satisfactio sacramentalis?

Digitized by Google

R. Multiplex est satisfactio, nam I. Dividitur in *vindicativam*, et *medicinalem*. Prima est, quae datur praecise ad praeterita peccata vindicanda. Secunda est illa quae datur praecipue ad praecavenda futura in posterum. In quo est advertendum, quod saepe eadem actio utramque praestare possit.

II. Dividitur in *realem*, *personalem*, et *mixtam*. Prima est illa, quae afficit rem, uti est elargitio eleemosynae etc. Secunda, quae afficit personam, uti est jejunium, disciplina, etc. Tertia denique est, quae afficit personam, et rem, uti eleemosyna facta propriis manibus.

III. Dividitur in satisfactionem in *voto*, et in satisfactionem in re. Prima consistit in habendo voluntatem exequendi satisfactionem. Secunda consistit in ejusdem adimpletione.

Q. An satisfactio sit pars integralis, vel essentialis Poenitentiae Sacramenti?

R. Satisfactionem *in voto* esse partem essentialem, ita ut si quis accedat ad Poenitentiae Sacramentum absque voluntate adimplendi satisfactionem, invalide recipit Sacramentum. Dixi *satisfactionem in voto*, quia satisfactio *in re* est pars integralis, ita ut si quis post acceptam satisfactionem, et absolutionem, illam non adimpleat, licet peccet, non inde tamen invalidum efficietur Sacramentum, quod praecessit, cum nihil defuerit essentiale ad ipsum complendum, ut supponitur. Communiter.

Q. An teneatur confessarius imponere suo poenitenti satisfactionem?

R. Maxime teneri illam imponere poenitenti, idque praeceptive, non vero libere, aut solum ex consilio implendam, cum sit pars poenitentiae, seu patet ex Tridentino sess. cit Cap. 8., et Can. 4. ibi: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus, et prudentia suggesserit pro qualitate criminum, et poenitentium facultate salutares, et convenientes satisfactiones injungere.* Quare etiam poenitens satisfactionem sibi impositam acceptare tenetur, si sit rationi congrua, quia illius impositio descendit a potestate clavium, quam habet Sacerdos non solum solvendi, sed etiam ligandi. Verum si sit in articulo mortis, et sensibus destitutus poenitens, quia praesupponitur tunc in poenitente imponente desiderium poenitentiae; ideo imponenda non est, cum tale desiderium sufficiat. Ita communiter.

Q. Quid si morti proximus non sit sensibus destitutus?

R. Esse imponendam illi poenitentiam levem, uti invocatio Nominis Jesu, B. Mariae Virginis etc. Quod si peccata gravem poenitentiam expostulent, esse imponendam sub conditione: *Si forte convaluerit*, ut patet ex Cap. *Ab infirmis* can. 26. q. 7., ibi., *A quo periculo, si divinitus ereptus convaluerit, impositum sibi a Sacerdote modum poenitentiae diligenter observet:* nempe admonendus est moribundus, si convaluerit, de congrua satisfactione, nempe Confessarius dicat: *Fili mi, si convalueris, istam poenitentiam agere debebis.*

Q. Num Confessarius peccet, si voluntarie poenitenti satisfactionem non imponat?

R. Maxime, nam non recte exercet partes sui muneris: quare peccat graviter si in confessione mortalium voluntarie omittat satisfactionis impositionem, quia gravis irrogatur injuria Sacramento, cum sua integritate privabitur. Immo ex eadem ratione secundum multos etiam graviter peccabit

Digitized by Google

in confessione venialium, vel mortalium alias rite confessorum, si praetermittat voluntarie, et advertenter satisfactionem imponere, quia adhuc ipse est causa, cur Sacramentum privetur sua integritate, Juven. dissert. de Sacram. Poenit.

Hinc inferas I. Quod si poenitens post acceptam absolutionem, aliud mortale confiteatur, pro quo nova impertienda est absolutio, nova etiam est imponenda poenitentia, quia novum conficitur Sacramentum, quod non debet esse mancum. II. Quod absolutionem debet praecedere, et non subsequi impositio satisfactionis, quia in absolutione completur judicium poenitentiale, adeoque impositio satisfactionis, quae est actus judicii ante judicii complementum debet fieri. Verum non desunt, qui asserunt, etiam sufficere, si fiat haec satisfactionis impositio immediate post absolutionem, tunc praesertim, quando Confessarius oblitus est illam imponere ante absolutionem.

Q. Qualem satisfactionem debet Confessarius imponere poenitenti?

R. Tenetur, et quidem sub gravi satisfactionem convenientem, et salutarem, tum vindicativam, tum medicinalem proportionatam numero, ac gravitati peccatorum, ac poenitentis facultati, ac statui, uti clare eruitur ex Trid. loc. cit. Confessarius enim Judex est, adeoque servata aequitate, crimina punire debet. Idem Medicus est, adeoque medicamina vulneribus proportionata tenetur praescribere. Perbelle inquit S. Ambrosius ad Virginem lapsam Cap. 8. *Grandi plagae alia, et prolixa opus est medicina. Grande scelus necessariam habet satisfactionem.* Idem eruitur ex doctrina Ss. Patrum, omniumque Doctorum (1).

Q. Quaenam opera injungenda sunt in satisfactione?

R. Opera bona, et poenalia: satisfactio enim imponitur peccatori in poenam sibi debitam pro peccatis. Haec autem opera ex Tridentino loc. cit. can. 13, reduci possunt ad tria maxime operum genera, nempe ad jejunia, eleemosynas, et orationes; nam haec possunt esse simul et poenalia, et medicinae spiritualis nostris interioribus medendis vulneribus opportunae vim praeseferunt, ac continent.

Ad jejunium reducitur omnis corporis afflictio, veluti cilicium, disci-

(1) Imprudenter se gerunt Confessarii, qui poenitentiam viribus poenitentium imparem injungunt. Quot istorum multoties non dubitant faciliter recidivos, indispositos absolvere, et etiam eos, qui in proxima peccandi occasione versantur, et insipienter postea putant eis mederi, imponendo gravissimas poenitentias, licet videant, quod ille eas adimplere non possint, imponunt: v. g., ut octavo quoque die per annum confiteantur; ut quindecim decades Rosarii quolibet die recitet ille, qui ne solitus quidem fuit quinque in hebdomada recitare: imponunt jejunia, disciplinas, orationem mentalem illi, qui nec nomen numquam audivit. Et quid hinc eveniet? Eveniet, quod licet inviti acceptent quod imponitur, ut absolutionem aucupentur, nihilominus postea nihil horum executioni demandant, et credendo in novum peccatum esse delapsos, imo putando (praecipue rudes) nullius fuisse momenti confessionem factam, quia poenitentiae impositae non satisfacerunt, propterea ad pristinum perditum vivendi modum redeunt. Et ob poenitentiae impositae pondus perterriti a confessione horrent, et ita in peccatis tabescere pergunt. Et hic est fructus qui in perniciem tot miserorum colligitur ex hujusmodi satisfactionibus, quos convenientes vocant, sed melius dicendae essent inconvenientissimae. *S. Ligorius loc. cit. Punct. I. de imposit. Poenitent. §. 51.*

Digitized by Google

plina, peregrinatio, sensuum mortificatio etc. Ad eleemosynam referri possunt omnia opera misericordiae tum spiritualia, tum temporalia. Ad orationem omnes virtutis actus tum interni, tum externi, uti v. g. examen conscientiae, actus contritionis, auditio Missae, exercitium virtutum Theologalium, frequentia Sacramentorum, fuga otii, occasionis, cogitatio Novissimorum, devotio B. M. V. etc., et etiam oratio vocalis (1).

Q. Possuntne imponi pro poenitentia opera, quae sunt aliunde praecepta?

R. Minime, quando alia opera praestari possunt; nam, quae poena est executio illius, ad quod aliunde tenetur poenitens, et quae vindicta peccati illud imperari in satisfactionem, quod poenitens aliunde cogitur facere. Poenitentia autem ex Tridentino debet esse opus poenale, ac peccatorum vindicativum. Hinc restitutio famae, damni compensatio, fuga occasionis etc. non sunt satisfactiones vindicativae, neque supponendum, quod Confessarius illas imponat uti satisfactiones, nisi clare exprimat, vel clare ex circumstantiis eruatur. Unde si simpliciter imponat jejunium, non intendit imponere, ut fiat illo die, quod aliunde poenitens jejunare tenetur, et si dicat: *audias hodie Missam pro peccatis* supponitur, si dies sit festivus, etiam Missam audiendam sibi imponi praeter illam, ad quam jam tenebaris. Antoin., aliique.

Dixi *quando poenitens alia praestare potest*, quia si alia praestare non potest, possunt ei imponi opera aliunde praecepta; nam idem opus bonum aliunde debitum potest esse ex diversa ratione meritorium, et satisfactorium, neque aliquid implicat, quod duplici obligationis vinculo teneatur poenitens aliquid praestare.

Q. An imponere etiam possit poenitentiam publicam Confessarius?

R. Vel loquimur de peccatis occultis, et non potest, quia esset improportionata, et contra usum Ecclesiae. Et scandalo esse potest. Hinc in Rituali Romano habetur: « Pro peccatis occultis quamvis gravibus manife-

(1) Circa praxim regula hujus requirit, ut imponantur opera carnem coercentia pro peccatis sensualibus, eleemosynae pro peccatis avaritiae, oratio pro blasphemiis. Sed considerandum quid magis expediat, aut magis utile sit poenitenti. Quamvis autem maxime utile sit imponere Sacramentorum frequentationem, orationem mentalem, et eleemosynas, nihilominus praxis habet has reddi damnosas iis, qui aut nihil, aut parum habuerunt horum usum. Satisfactiones utiles generatim pro omnibus solent esse, nimirum aggregari ad aliquam Congregationem: quolibet vesperi (saltem ad tempus) actum doloris elicere, et quodlibet mane propositum renovare dicendo cum S. Philippo Nerio: *Domine ne auferas hodie manus tuas a me, ne tui proditor efficiar.* Visitare quotidie Sanctissimum Sacramentum, et Imaginem quoque Mariae Sanctissimae ab eis perseverantiae gratiam postulando: Rosarii saltem tertiam partem, et ter Salutationem Angelicam mane, meridie, et vesperi dicendo: *Mater mea, adjuva me hodie, ne in Deum peccem.* (Hanc tamen poenitentiam ter recitandi Salutationem Angelicam cum praedicta supplicatione: ego plerumque solitus fui injungere, aut saltem consulere iis, qui eam non solebant frequentare): Cum cubitum iverint, dicere in lecto: si *nunc mihi morandum fuisset in inferni igne*, aut dicere: *veniet dies, quo mihi in hoc lectulo moriendum erit*, qui legere sciunt, et potissimum Ecclesiastici quotidie legere aliquem librum de rebus Spiritualibus agentem. Monet autem S. Franciscus Salesius non esse gravandum poenitentem multis rebus, ne confundatur, et terrefiat, *S. Ligorius homo apost. loc. cit. §. 54.*

Digitized by Google

» stam poenitentiam non imponant ». Vel loquimur de peccatis publicis, et potest, et debet, uti patet ex Tridentino sess, cit. cap. 5., ibi: *Apostolus monet publice peccantes, palam esse corripiendos;* nam sicut publice peccando alios per scandalum offenderunt, ita, et per publicam poenitentiam illos tenentur ad meliorem sensum, et frugem, quantum in ipsis est, revocare. Antoine, aliique.

Q. Num Confessarius possit imponere poenitenti satisfactionem medicinalem, ex qua potest oriri suspicio, vel etiam notitia peccati Poenitentis?

R. Maxime, quando illa poenitentia necessaria est tamquam medicina ad praecavendum relapsum, v. g. uti dimittat tale officium, vel hanc domum etc., quia satius est, ut poenitens amittat aliquo modo famam, quam gratiam, quae per Sacramentum recipitur. Quare si poenitens obedire noluerit, sine absolutione dimittendus est. Antoine, Suarez, Layman, aliique communiter.

Neque dicas, quod habetur sigilli fractio, quia quod fit, fit ex voluntate Poenitentis, neque habetur Poenitentis gravamen tendens ad sigilli fractionem, quia per hanc poenitentiam non inducitur novum onus Poenitenti, sed illi declaratur obligatio naturalis, quam habet id faciendi. Ita cit. DD.

Q. An potest injungi satisfactio aliis applicanda, puta defunctis?

R. Maxime, quia satisfactio ex opere operato, ratione Sacramenti semper applicatur poenitenti, eique prodest ad poenam temporalem delendam. Et ex opere operantis applicatur defunctis. Praeterea ipsa applicatio pro defunctis est ipsi poenitenti satisfactoria.

Q. An Confessarius debet habere distinctam singulorum peccatorum memoriam, dum imponit satisfactionem?

R. Minime, nam sufficit juxta Sylvium, ut recordetur status poenitentis; quia saepe est moraliter saltem impossibile, ut Confessarius tunc distincte singula meminerit.

Q. Ex quibus causis quis non tenetur ad satisfactionis executionem?

R. Ex pluribus, et I. Est, quando Sacramentum fuit invalide receptum; quia non tenetur quis persolvere duas poenitentias pro iisdem peccatis. II. Quando poenitentia evadit physice, vel moraliter impossibilis. Attamen tunc etiam petenda erit satisfactionis commutatio, ne Sacramentum sua parte integrali fraudetur, quod curare maximopere debet Poenitens, ne contingat, cum sit gravis injuria in Sacramentum, communiter.

Q. An sufficiat ad integritatem hujus Sacramenti adimplere satisfactionem in statu peccati mortalis?

R. Maxime, quia licet non observat modum, observat tamen substantiam, uti patet, ex communi sensu Fidelium, qui non solent repetere poenitentias in statu peccati mortalis peractas, nec a Confessariis solent obligari ad eas repetendas. At satisfactio sacramentalis in statu peccati mortalis adimpleta suum non producit effectum, nempe remissio poenae, sed post ablatum obicem peccati mortalis, hoc est recuperatum gratiae statum. Ideoque peccat saltem venialiter ob obicem, quem hic ponit remissioni poenae temporalis. Ita Cajet., Henriquez, Suarez, Lugo, aliique. Vide Mastrium Theolog. moral. disp. 21. n. 276, et Layman lib. 5. tract. 6. Cap. 16. n. 15. Secus vero dicendum de satisfactione adimpleta cum affectu ad peccatum

Digitized by Google

nam affectus voluntarius ad peccatum est actuale peccatum, neque potest quis, ut docet D. Thomas, pro uno peccata satisfacere, alio retento.

Q. Num poenitens teneatur acceptare, et adimplere poenitentiam rationabilem sibi injunctam, sub gravi?

R. Maxime, quia Confessarius, tanquam Judex habet potestatem non solum solvendi, sed et ligandi, seu obligandi per impositionem poenitentiae, uti ex Trident. loc. cit. Cap. 8. apparet. Sed talis potestas obligandi frustranea esset in Confessario, nisi Poenitens teneretur acceptare, et adimplere poenitentiam. Ergo etc. Quare Concil. Later. Cap. *Omnis* ait: *omnia sua peccata confiteatur fideliter, et injunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere.* Praeterea satisfactio est pars Sacramenti, unde sicuti ad integrandum Sacramentum Confessarius tenetur illam imponere, ita et poenitens tenetur illam acceptare, et adimplere, Navarr., Antoin., aliique communiter.

Q. Num excusetur poenitens a gravi peccato, si non acceptat rationabilem poenitentiam, eo quia velit alium Confessarium adire?

R. Minime, nam non licet poenitenti sine justa causa Sacramentum inchoatum relinquere, et effugere Sacerdotis justum judicium, cui se jam subjecit, Antoine, Concina.

Potest poenitens ex aliqua rationabili causa, v. g. quia ipse commode secundum suum statum, et conditionem peragere nequit, licite hanc, vel illam in particularem poenitentiam respuere, veluti sibi non convenientem, ac rogare Confessarium, ut aliam mitiorem imponat, nam ex Trident. cit. Sess. 14 Cap. 8. poenitentiae a Confessario injungendae, debent esse salutares, et convenientes statui, seu facultati poenitentium, ibi: *Pro qualitate criminum, et poenitentium facultate, salutares, et convenientes poenitentias injungere;* Poenitentis tamen ejusmodi valde suspecta est conversio, unde caute confessarius advertat ad hoc, ne communicet peccatis alienis. Verum non est suspecta conversio, si poenitentiam infert indiscrete, et non proportionate. In hoc casu potest alium Confessarium adire si primum nolit eum absolvere.

Q. An poenitens peccet graviter, vel leviter non adimplendo satisfactionem?

R. Si sit imposita pro peccato mortali nondum confesso, et peccat graviter, quia facit contra obligationem in re gravi, uti DD., communiter tenent: Quod si fuit imposita poenitentia pro solis venialibus, aut pro mortalibus alias rite confessis, litigant DD., num peccet graviter poenitens illam omittendo; verius tamen dicimus peccare graviter, quia gravis irreverentia infertur Sacramento illud privando tota sua integritate, et complemento, et quamvis materia de se esset levis, tamen est gravis respectu Sacramenti, ad cujus integritatem deservit. Concina Tom. 9. fol. 811. Hoc tamen intelligitur quando advertenter, et voluntarie omittat.

Q. Quonam tempore tenetur poenitens satisfactionem adimplere?

R. Vel adest tempus a Confessario praefixum, ut tenetur illo tempore, quia tempus tunc cadit sub praecepto, dilatio autem satisfactionis si sit ad paucos dies, in tali casu non videtur inducere, nisi peccatum veniale nisi magni referat illam adimplere tempore definito v. g. ad superandas tentationes urgentes etc. Vel non adest tempus a Confessario definitum, et tene-

Digitized by Google

tur quamprimum commode potest, ita ut peccet graviter, si diu illam ex gravi negligentia differat, nam integritas Sacramenti, et ratio debitae satisfactionis celerem illius adimpletionem exigit. Tamen advertendum, quod si tempore praefixo non fuit adimpleta poenitentia, adhuc tenetur poenitens ad illam ponendam, quia tempus non fuit appositum ad finiendam obligationem, sed ad illam sollicitandam. Antoin., Concin., Collet, aliique communiter.

Q. Num poenitentia possit per alium adimpleri?

R. Minime, quia satisfactio imponitur, ut per ipsum poenitentem adimpleatur, et non per alium, cum sit poena pro culpa personali imposita, adeoque persolvenda per ipsum reum qui culpam commisit. Praeterea satisfactio per Trident. dicitur actus poenitentis, unde per ipsum exequenda est; quare jure merito damnata fuit proposit. 15. ab Alexandr. VII. (1).

Potest tamen per alium adimpleri, si sit realis tantum, uti eleemosyna, quia per ipsum facta videatur, quamvis per alium adimpleatur; non vero, si sit mixta, uti eleemosyna propriis manibus facienda.

Q. Poenitens potestne satisfactionem impositam cum alio persolvere?

R. Lis est inter DD. Alii putant posse, quia licet in recitatione divini Officii socius adhibetur, alii negant, quia poenitentia non est dividenda, at integre solvenda, quod in casu non verificatur, et quia divinum officium ex ejus institutione ita persolvitur, non vero poenitentia. In resolutione casuum jussu Benedicit. XIV. non posse legitur.

Q. Num sit necesse ex Christi institutione, ut satisfactio ante absolutionem adimpleatur?

R. Minime, tum quia talis est usus in Ecclesia receptus, ut non exigatur poenitentiae adimpletio ante absolutionem, tum quia ex Ecclesiae antiquae disciplina poenitentes absolvebantur ante adimpletam poenitentiam, si imminebat persecutio, communiter (2).

Q. Quid si poenitens totam satisfactionem adimplere nequeat, an teneatur ad partem?

R. Si est divisibilis tenetur ad partem, quam potest, ut Sacramentum suam aliquam habeat integritatem. Si vero est indivisibilis, et pars principalis impossibilis, ad nihil tenetur, quia ad impossibile nemo tenetur, si possibilis, tenetur.

Q. Qui ex oblivione poenitentiam non exequitur, an peccet?

R. Maxime, si oblivio orta sit ex dilatione culpabili, vel ex alia culpabili causa, utpote voluntaria in causa, non vero si sine culpa, et praeter voluntatem.

(1) *Poenitens propria auctoritate substituere sibi alium potest qui loco ipsius poenitentiam adimpleat.*

(2) Merito Alexander VIII. die 7. Decemb. 1690. damnavit inter alias propositionem 16. in ordine, ibi: *Ordinem praemittendi satisfactionem absolutioni, induxit non politia, aut institutio Ecclesiae, sed ipsa Christi lex, et praescriptio, natura rei ad ipsam quodammodo dictante.* Item damnavit proposit. 17. in ordine, ibi: *per illam praxim mox absolvendi ordo poenitentiae est inversus.* Item damnavit proposit. 22. in ordine, ibi: *Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam praetendunt, antequam condignam de delictis suis poenitentiam egerint.* Hoc etiam a Xysto IV. fuit proscriptum.

Digitized by Google

Q. Potestne adimpleri poenitentia tempore eodem, quo satisfit alteri praecepto?

R. Si unum opus alterum non impedit, et potest, uti recitare rosarium pro poenitentia impositum intra Missae auditionem die festo, aliter non potest, ut audire Missam, et satisfacere praecepto die festo, et Poenitentiae, ita Croix.

Q. Num possit poenitens sibi commutare poenitentiam?

R. Minime, quia commutatio poenitentiae est actus jurisdictionis, quae nulla reperitur apud poenitentem, atque hoc verum est, etiamsi in melius opus illam commutare velit; nulla enim satisfactio potest esse sacramentalis, nisi imponatur a Ministro Sacramenti. Praeterea reus est poenitens, ac subditus, unde non potest commutare opus praescriptum a Judice, ac Superiore, ita communiter.

Q. An Confessarius possit mutare poenitentiam a seipso impositam?

R. Justa stante causa potest, nam hoc saepe potest expedire ad bonum Animarum, ad quod hoc judicium ordinatur, quod debet fieri in alia confessione, cum sit actus judicialis, et usus clavium, qui nonnisi in Sacramento exercentur. In quo est advertendum, quod non tenetur repetere confessionem, quando tempus est adeo breve, ut moraliter censeatur idem judicium, et Confessarius adhuc recordetur poenitentis status. Concina, Collet, aliique. Causae autem justae, ac rationabiles commutandi satisfactiones impositas, quae a Theologis enumerantur sunt. I. Major Spiritualis profectus ipsius Poenitentis. II. Gravis in executione prioris poenitentiae difficultas. III. Periculum transgressionis ortum ex ipsa fragilitate poenitentis. IV. Excessus evidens in illa, quae prius fuerat imposita.

Q. Num possit Confessarius commutare poenitentiam ab alio impositam?

R. Maxime, etiam concurrente justa causa, puta, quando reperitur irrationabilis, et contra regulas prudentiae etc., quia Confessarius non habet potestatem talem poenitentiam injungendi, nec proinde ad eam obligandi Poenitentem, et ideo mutari potest ab alio, qui in eodem Tribunali idem potest, ac prior Judex, cui succedit, audiendo tamen denuo eadem peccata ante confessa; nam non potest exercere judicium sacramentale quin totum Sacramentum conficiatur, Concina. Verum de integritate primum Sacramentum privetur, relinquendum est aliquid ex priori poenitentia.

Q. Num possit inferior commutare poenitentiam a Superiore impositam ob casus reservatos?

R. Cum Suarez, Valentia, aliisque negative, quia sicut judicium in causa principali, scilicet absolutio a culpa, reservatum erat Superiori, ita quoque censenda est reservata eidem impositio poenae, scilicet satisfactio. Concina. Praeterea facultas in reservatis datur prudentibus pro impositione proportionatae poenitentiae, licet alii aliud sentiant, sed immerito.

Q. Num facta legitima commutatione poenitentiae, liberum sit poenitenti eligere illam, quam maluerit?

R. Maxime, quia commutatio fit in favorem poenitentis; hinc poenitens uti potuerit, vel non, tali favore, prout sibi placuerit. Suarez, Bonacin. aliique.

Q. Quinam sunt effectus poenitentiae, seu satisfactionis?

Digitized by Google

R. Plures numerantur tum a Concilio Tridentino Sess. 14. Cap. 8., tum ab ejusdem Catechismo part. 11. Cap. V. §. 68. quorum I. Est destructio reliquiarum peccatorum. II. Refraenatio a peccatis futuris, atque concupiscentiae cohibitio, et appetituum. III. Argumentum sincerae conversionis, ac detestationis peccatorum. IV. Placatio irae Dei, ut inquit S. Augusl. serm. 288: *Si tu te punire volueris, parcet ille. Qui autem agit bene poenitentiam suus ille punitor est. Sit oportet severus in se, ut in eum sit misericors Deus.* V. Pignus salutis aeternae, idque ex opere operato, cum satisfactio sit pars Sacramenti, uti constat ex Tridentino loc. cit. Quare effectum sibi correspondentem debet operari, h. e. solutionem poenae temporalis ex opere operato. VI. Solutio debiti pro reatu poenae temporalis, quae post remissam culpam remanet. Si enim compatimur, et glorificabimur, uti docet Apostolus.

ADDITAMENTA

Quum moneantur Confessarii a Catechismo Rom., ut fideles instruant de gravibus poenitentiis, quas olim canones injungebant hisce effatis, *ut suorum scelerum gravitatem magis agnoscant, operae pretium erit eis interdum significare quae poenae quibusdam delictis ex veterum canonum praescripto, qui Poenitentiales vocantur, constitutae sint* (1); hinc praecipuos poenitentiae canones selegimus, quos secundum Decalogi ordinem dispositos heic subnectere e re nostra duximus (2).

Contra I. Decalogi praeceptum.

1. Qui a Fide desciverit poenitentiam agat annis decem.
2. Qui auguriis, et divinationibus servierit, quive incantationes diabolicas fecerit, poenitens erit annis septem.
3. Respiciens furta in astrolabio poenitens erit annis duobus.
4. Si quis ligaturas, aut fascinationes fecerit, poenitens erit duos annos.
5. Qui magos consuluerit, in poenitentia erit annis quinque.

Contra II. praeceptum.

1. Quicumque seiens pejuraverit, 40 dies in pane et aqua, et septem sequentes annos poeniteat, et numquam sit sine poenitentia, et numquam in testimonium recipiatur, et post haec communionem praecipiat.
2. Qui perjurium in Ecclesia fecerit, poenitentiam aget annos decem.
3. Si quis Deum, vel B. Virginem, vel aliquem Sanctum publice blasphemaverit, prae foribus Ecclesiae diebus Dominicis septem, in manifesto, dum Missarum solemnia aguntur, stet, ultimoque ex illis die, sine pallio,

(1) *Catechis. Rom. Par. II. de Sacr. Poenit. §. 79.*
(2) *Gratian. Decret. Part. III. in fin. vol. 1. pag. 1256. edit. Venet. 1782.*

Digitized by Google

et calceamentis, ligatus corrigia circa collum, septemque praecedentibus feriis sextis in pane, et aqua jejunet, Ecclesiam nullo modo ingressurus. Singulis jam illis septem diebus dominicis tres, aut duos, aut unum pauperem pascat, si potest alioquin alia poenitentia afficiatur. Recusanti Ecclesiae ingressus interdicatur, et in obitu Ecclesiastica careat sepultura.

4. Qui votum simplex violaverit, poeniteat tribus annis.

Contra III. praeceptum.

1. Qui opus aliquod servile die dominica, festove fecerit, poenitentiam aget tres dies in pane et aqua.

2. Si quis jejunia a S. Ecclesia indicta violaverit, poenitentiam aget dies viginti in pane et aqua.

3. Qui in Quadragesima jejunium violaverit, pro uno die, poenitentiam aget dies septem.

4. In Quadragesima carne sine inevitabili necessitate vescens, in Pascha non communicet, ac praeterea a carne abstineat.

Contra IV. praeceptum.

1. Qui parentibus maledixerit, quadraginta dies poenitens sit in pane et aqua.

2. Qui parentes injuria affecerit, tres annos.

3. Qui percusserit annos septem.

4. Si quis contra Episcopum, Pastorem, et Patrem suum insurrexerit, in monasterio omnibus diebus vitae suae poenitentiam aget.

5. Si quis Episcopi, aut Ministrorum ejus, vel Parochi sui praecepta contempserit, vel irriserit, poenitentiam aget dies 40 in pane, et aqua.

Contra V. praeceptum

1. Qui Presbyterum occiderit, poeniteat 12. annis.

2. Si quis patrem, aut matrem, fratrem, aut sororem occiderit, toto vitae suae tempore non suscipiat Corpus Domini, nisi in obitu, abstineat a carne, et vino, dum vixerit, jejunet secunda, et quarta, et sexta feria.

3. Si quis hominem occiderit, ad januam Ecclesiae semper erit, et in obitu Communionem recipiet.

4. Qui homicidii auctor fuit ob consilium, quod dedit poenitentiam aget 40. dies in pane et aqua, cum septem sequentibus annis.

5. Si qua mulier sponte abortum fecerit, poenitentiam aget annos tres, si nolens, Quadragesimas tres.

6. Qui nolens filium oppresserit, poenitentiam aget dies 40. in pane, et aqua, oleribus ac leguminibus: abstinebit ab uxore totidem. Deinde poenitens erit tres annos per legitimas ferias, tres praeterea Quadragesimas in anno observabit.

7. Qui sceleris occultandi causa filium necarit, poenitentiam aget annos decem.

8. Si quis per iram subitam, aut per rixam hominem necarit, poenitentiam aget annos tres.

Digitized by Google

9. S quis aliquem vulneraverit vel ei aliquod membrum praeciderit, poenitentiam aget, uno anno per legitimas ferias.

10. Si quis ictum proximo dederit, nec nocuerit triduo poenitentiam aget in pane, et aqua.

Contra VI. praeceptum

1. Si laicus solutus cum foemina soluta concubuerit, poenitens erit tres annos.

2. Qui turpiloquio, aspectuque polluitur negligens, poenitentiam aget 20. dies.

3. Qui cum uxore sua turpiter concubuerit, poenitens erit 40. dies.

4. Qui cum duabus sororibus fornicatus fuerit, aut filiam spiritualem violaverit, perpetuam poenitentiam aget.

5. Qui incestum fecerit (non ita enormem) poenitens erit 12. annis.

6. Qui monialem violaverit, poenitens sit annis decem.

7. Si quae mulier cerusa, aliove pigmento se oblinit, ut aliis viris placeat, poenitentiam aget annos tres.

8. Si presbyter cognovit filiam suam spiritualem, quam scilicet baptizavit, vel quae sibi confessa fuit, debet poenitentiam agere 12. annis. Et si crimen sit manifestum, debet deponi, et peregrinando 12. annis poeniteat, et postea monasterium intret, tota vita sua moraturus ibidem.

9. Pro adulterio septennii, et decennii poenitentia imponitur. Pro osculo, seu amplexu impudico triginta dierum poenitentia statuitur.

Contra VII. praeceptum

1. Si quis furtum de re minori fecerit, poenitentiam aget annum unum.

2. Qui furatus est aliquid de Ecclesiae supellectili thesauro, vel pecuniam ecclesiasticam, oblationesve Ecclesiae factas, poenitens erit annos septem.

3. Qui decimam sibi retinuerit, aut dare neglexerit, quadruplum restituet, et poenitentiam aget dies 20. in pane, et aqua.

4. Qui usuras accipit, rapinam facit, poenitentias aget annis tribus uno in pane, et aqua.

Contra VIII. praeceptum

1. Qui falso testimonio consenserit, poenitens erit annos quinque.

2. Falsarius in pane, et aqua poenitentiam agat quamdiu vivit.

3. Si quis de proximo detraxerit, poenitens erit dies 7. in pane, et aqua.

Contra IX. et X. praeceptum

1. Rem alienam nefarie concupiscens, avarusque, poenitens erit tribus annis.

2. Si quis concupiscit fornicari, si Episcopus, poenitens erit annos septem, si Presbyter quinque, si Diaconus, vel monachus tres, si Clericus, aut laicus annos duos.

Digitized by Google

CAPUT VII.

De Poenitentiae Sacramenti forma

Forma hujusce Sacramenti haec est: *Ego te absolvo a peccatis tuis etc.*, quod ex Ecclesiae usu, et Traditione perpetua et ex Concil. Triden. Sess. 14. Cap. 3. patet. Verba tamen essentialia ad valorem formae ex Concil. Trid., et Catech. Rom. auctoritate sunt ista tantum: *Absolvo te*, licet ex praecepto integra forma sit recitanda.

Q. Num praeces, quae juxta morem Sanctae Ecclesiae laudabiliter apponuntur, spectant ad essentiam formae ?

R. Minime, uti expresse habetur ex Trident. loc. cit., et ex Rituali Rom. jussu Pauli V. edito, in quo habetur, quod in confessionibus frequentioribus, et brevioribus possint omitti verba *Misereatur tui etc.*, et satis sit dicere: *Dominus noster Jesus Christus etc.* usque ad illa: *Passio Domini nostri.*

Q. Omnia ista verba sunt essentialia ?

R. Ad essentiam per omnes pertinent — *absolvo te* cum institutum sit hoc Sacramentum per modum judicii.—*Quorum remiseritis peccata* etc. Per omnes non sunt essentialia, *Ego, tuis, Amen.* Nam ego continetur in verbo *absolvo*, tuis in verbo *te*, *a peccatis* per D. Thom., Antoninum, Suarez non pertinent ad essentiam, quia hoc satis in verbo *absolvo*: per alios, et quidem probabilius, spectant, ut integer sensus Christi servetur, qui dicit Joan. Cap. 20.—*Quorum remiseritis peccata.* Nam sicut est existimandum verbum *Te* ob voculam — *quorum remiseritis* ita et a peccatis, quia dixit — *peccata.* Verba vero *in nomine Patris etc.* probabilius non sunt essentialia, quia est forma non deprecativa.

Q. Num absolutioni sacramentali praemittenda sit absolutio a censuris?

R. Maxime, ita ut graviter peccet Confessarius contra Ecclesiae praeceptum in re gravi, qui sciens poenitentem ligatum excommunicatione etiam minori, illum absolvit primo a peccatis, et dein a censura, nam Ecclesia graviter prohibet, ne iste etiam, qui tali censura est irretitus Sacramenta recipiat, ita Suarez; qui advertit, quod aliter se res habeat in suspensione, et interdicto, cui poenitens non dedit causam, nam cum ista non privet usu istius Sacramenti passivo, non esset mortale, si absolveretur post absolutionem a peccatis: verum juxta Ecclesiae praxim etiam absolutio a suspensione et interdicto debet praecedere absolutionem a peccatis.

Q. Num sit mortale repetere absolutionem circa eamdem confessionem sine rationabili causa ?

R. In genere suo est mortale sacrilegium, quia secunda absolutio est irrita ex defectu novae materiae. Dixi *sine rationabili causa*, quia si rationabiliter dubitatur, num absolutus fuerit poenitens, vel fuerint prolata verba essentialia formae, tunc tenetur sub gravi Confessarius denuo poenitentem sub conditione absolvere, si confessus ille sit mortalia, ne exponatur Sacramentum periculo nullitatis.

Q. Quid si poenitens statim post absolutionem addat nova peccata, vel circumstantias ?

Digitized by Google

R. Vel haec peccata sunt venialia, et circumstantiae sunt tantum leviter aggravantes, et non est necesse illum iterum absolvi, potest tamen si velit. Vel sunt mortalia peccata, aut circumstantiae speciem mutantes, vel etiam circumstantiae notabiliter aggravantes peccati malitiam intra eamdem speciem, et debet denuo Confessarius illum absolvere; quia adfertur nova materia necessaria. Expedit tamen, ut Confessarius id faciat submissa voce, et crucem ita secrete efformet ut non cognoscant adstantes, quod poenitens novum attulerit peccatum mortale, Besomb., Collet. aliique.

Q. Quid si plures eodem tempore ratione necessitatis puta naufragii, etc. absolvendi sint?

R. Concurrente necessitate, v.g. si plures in communi naufragio, peste, conflictu, etc. absolvendi sint, et deficit tempus, ut singulatim absolvantur, quia mox morituri sunt, possunt, immo debent absolvi omnes sub hac formula in numero plurali: *Ego vos absolvo a peccatis vestris*, dummodo, qui ita absolvuntur confessionem praemiserint peccatorum, saltem generalem, si in tali casu explicari specialia peccata non possint, et dummodo poenitentes sint, ita communiter.

Q. An licet dare absolutionem a peccatis sub conditione?

R. Si conditio sit de futuro, absolutio data sub tali conditione non solum est illicita, sed etiam nulla, quia non est in potestate Confessarii, atque in ejus arbitrio suspendere Sacramentum ejusque effectum. Si vero sit de praeterito, vel de praesenti, et tunc licet sit valida absolutio, si conditio vera sit, tamen non est licita regulariter loquendo; quia absolutio a peccatis cum proferatur per modum sententiae, absolute proferenda est. Dixi *regulariter loquendo*, quia concurrente necessitate, puta, si moribundus nullum dederit poenitentiae signum, et sensibus est destitutus, vel quando dubitat Confessarius, an poenitentem absolverit, vel non, vel quando Poenitens est in articulo mortis, et dubia dispositionis signa dedit, et tunc licitum sit dare absolutionem sub conditione, scilicet, *si capax sis*. Ita Layman., Lugo, aliique. In hoc casu sufficit, si conditio mente tantum sit apposita. Ita Layman, aliique.

CAPUT VIII.

De Poenitentiae Sacramenti Ministro

Q. An solus Sacerdos sit Minister Poenitentiae?

R. Maxime, uti patet ex Trident. sess. 14. Can. 10. *Si quis dixerit, non solos Sacerdotes esse Ministros absolutionis, sed omnibus, et singulis Christi fidelibus esse dictum: quaecumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in Coelo, anathema sit.* Constat etiam ex Joann. Cap. 20. *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* Quae verba perpetua Ecclesiae traditio ad solos Apostolos, eorumque successores exclusis laicis, pertinere declaravit. Idem asserunt omnes PP. et DD.

Q. An omnis Sacerdos possit confessiones audire?

Ante resp. nota: Theologi, et Canonistae duplicem potestatem distinguunt in Sacerdote. Unam *ordinis*, alteram *jurisdictionis*. Potestas *ordinis* est

Digitized by Google

illa, quae confertur per ordinationem, quae est supra corpus Christi verum, et confertur ad conficiendam Eucharistiam; potestas *jurisdictionis* est supra corpus Christi mysticum, scilicet ad remittenda, et retinenda peccata, quae etiam in Ordinatione confertur per illa verba: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis etc.* Quae potestas jurisdictionis in foro poenitentiae est jus ferendi sententiam sacramentalem in subditos confessos, seu illos absolvendi, et alligandi in Tribunali Poenitentiae. Haec potestas duplex est, delegata et ordinaria. *Delegata* habetur ex commissione. *Ordinaria* est adnexa officio, et dignitati, hoc notato:

R. Non omnes, quia non tantum requiritur, ut sit Sacerdos, sed etiam ut habeat jurisdictionem ordinariam, vel delegatam, seu subditos habeat, in quos potestatem, quam in ordinatione accepit, exercere valeat, uti patet ex eodem Trident. Sess. cit. Cap. 7. ibi: *Quoniam igitur natura, et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem.*

Q. An aliquando suppleatur defectus jurisdictionis in Sacerdote?

R. Maxime, modo haec duo concurrant, scilicet titulus coloratus, et error communis, argum. L. *Barbarius* D. de offic. Praetor., eo quia bonum commune id exigit ad impedienda multa gravia mala, ac scandala, quae ex invaliditate actuum orirentur. Sciendum tamen est, quod talis Sacerdos graviter peccat ob usurpationem jurisdictionis, quam scit non habere.

Q. Quando habetur error communis, et titulus coloratus?

R. Quando Sacerdoti alicui fuit a legitimo Superiore collatus titulus requisitus ad actum, puta *titulus Parochi*, sed vel nulliter, in quantum erat incapax ob aliquod occultum impedimentum, puta, propter occultam simoniam, vel quia titulum jam amisit, quae incapacitas, aut amissio communiter ignoratur, ita ut fideles communiter putent, eum verum habere titulum. Error communis habetur, quando publice, et communiter existimatur habere facultatem excipiendi confessiones.

Q. Num possit hoc Sacramentum in aliquo casu a simplici Sacerdote administrari?

R. Potest in articulo mortis, ut patet ex Trid. loc. cit Cap. 8. ibi: *Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis, et censuris absolvere possunt.* In quo advertunt Vasquez, Lugo, aliique, quod cum absque ulla limitatione dictum sit a Tridentino, quod omnes Sacerdotes in articulo mortis possint absolvere, nullus Sacerdos excipitur, sive excommunicatus, sive degradatus, sive suspensus etc., hodie est communis sententia.

Q. An approbatus in una Dioecesi censeatur approbatus pro aliis sine nova approbatione Episcopi illius loci?

R. Minime, sed requiritur nova approbatio, uti patet ex Trid. ex Constitutione *Suprema* Clementis X., et ex Proposit. damn. ab Alex. VII. n.

Digitized by Google

XVI. Approbatio praesumpta, nec sub ratihabitione non sufficit, quia Trid. vult jurisdictionem actu existentem.

Q. Num quod dictum est pro articulo mortis, dicendum etiam sit pro periculo ejusdem?

Ante resp. sciendum, quod articulus mortis tunc habetur, quando proxima, et certa moraliter mors instat. Periculum vero, quando sub dubio vel timore probabili mors expectatur, uti in praelio, in morbo periculoso etc. His praemissis:

R. Litigium est inter DD., nam alii negant, uti Sotus, etc., quia extrema necessitas habetur tantum in articulo mortis. Alii vero affirmant, uti Vasquez, Layman, aliique, quos citant, et sequuntur Salmanticenses tract. 6. Cap. 31. punct. 2. n. 24., tum quia in Jure Canonico quoad rem praesentem pro eodem sumitur articulus, et periculum, uti ex Cap. *Si quis suadente* 17. q. 4., ex Cap. *Eos qui* de sentent. excomm. in VI., tum quia haec jurisdictio est directa in favorem poenitentis ad evadendam aeternam damnationem.

Q. An simplex Sacerdos possit absolvere a venialibus?

R. Minime, uti patet ex decreto Innoc. XI. edito ann. 1679., *Non permittant, ut venialium Confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario.* Quod patet etiam ex Synodo Neapolitana part. II. Cap. 5. de Sacram. Poenit., ibi: *Ne a venialibus quidem absolvere potest Sacerdos sine nostra licentia et approbatione sub gravibus poenis arbitrio nostro, ideoque defectu jurisdictionis invalide absolvit.*

Q. An Confessarius simplex possit absolvere subditum sui Episcopi in aliena Dioecesi?

R. Vel loquimur de Regulari, et non potest, uti aperte patet ex Const. *Superna* Clement. X. in qua decrevit: *Religiosos ad Confessiones saecularium in sua Dioecesi audiendas approbatos, non posse in alia Dioecesi eas absque Episcopi Dioecesum approbatione audire, quamvis Poenitentes subditi sint ejus Episcopi, a quo ipsi Religiosi jam approbati.*

Vel loquimur de Saeculari, et id eum posse docent multi, quia ad hoc habet jurisdictionem jam delegatam, quae cum sit voluntaria, exerceri potest extra Territorium Episcopi in ejus subditos. Verum probabilius id negant alii, immo velut penitus improbabile oppositum est rejiciendum; si enim id non possunt Regulares qui a Summo Pontifice jurisdictionem habent pro toto Orbe, potiori id non posse dicendum Presbyteros Saeculares, quia jurisdictio delegata in sui exercitio pendet ab Episcopo loci, in quo confessiones audiuntur, quia est localis. Atque idem colligitur ex Bulla Innocent. XII., quae incipit: *Sicut nos* grat. an. 1700, in qua nullae declarantur confessiones, quae fiunt sine approbatione Episcopi loci, in quo ipsi poenitentes degunt, Confessarii ipso jure suspensi. Nec etiam ex vi Bullae Cruciatae ex eod. Inn. possunt.

Q. Num possit Parochus, qui jurisdictionem ordinariam habet, illam exercere in aliena Dioecesi in propriis subditis?

R. Maxime, modo id fiat absque scandalo, quia Parochus ubicumque reperiatur, est suarum Ovium Pastor, ac proinde potest in illas exercere jurisdictionem ordinariam, qualis est Sacramentalis in foro poenitentiae, nec requirit strepitum judicialem. Ita communiter. Argum. ex Cap. Instit. de

Digitized by Google

officio Legati, et ex declarat. S. Congr. die 5. Decembris 1707., in qua dicitur: *Affirmative quoad subditos.*

Non potest vero absolvere subditos alterius paroeciae ex facultate obtenta a parocho proprio. Nam requiritur licentia Episcopi, quia parochus unius Paroeciae non fit talis ex delegatione proprii Parochi. Ita ex declaratione laudata in qua dicitur negative quoad alios. Hoc valet, si sit Confessarius tantum ratione Beneficii Parochialis, non vero si ante erat jam Confessarius illius Dioecesis.

Q. Potestne Parochus eligere simplicem Sacerdotem in Confessarium sine Episcopi licentia?

R. Minime (1).

Q. An possit Episcopus extra Dioecesim eligere simplicem Sacerdotem non subditum in Confessarium?

R. Minime, cum in aliena Dioecesi Episcopus sit subditus, uti patet ex Constit. Greg. XIII., et ex Trid. sess. 23. cap. XV. Colligitur, ex quo ad excipiendas confessiones requiritur vel Paroecia, vel approbatio per examen non obstantibus privilegiis et consuetudine etiamsi immemorabili.

Q. Num generaliter approbatus ad audiendas confessiones, censeatur pro Monialibus approbatus, si non fuerint nominatim exceptae?

R. Minime, nam ita fert praxis Episcoporum, et expresse patet ex cit. constit. *Superna* Clem. X., ex qua habetur, quod generaliter approbatus ab Episcopo ad audiendas confessiones personarum secularium, nequaquam censeri approbatus possit ad audiendas confessiones Monialium sibi subjectarum. Praeterea approbatus pro audiendis confessionibus Monialium unius Monasterii, minime potest audire confessiones Monialium alterius Monasterii. Et Confessarius extraordinarius approbatus ad Monialium confessiones pro una vice audiendas, expleta deputatione, non potest iterum illas audire, sed nova indiget Episcopi approbatione.

Q. Utrum Regularis praesentatus Episcopo, et injuste ab eo rejectus, jurisdictionem acquirat, ut valide absolvat?

R. Minime, quia licet injuste ei denegata fuisset approbatio, tamen deest id, quod ad validam absolutionem requirit Tridentinum, nempe Ordinarii approbatio (2). Peccat tamen Episcopus contra justitiam, quia habetur quasi contractus inter ipsum, et examinatum, ut approbetur, si idoneus inveniatur. Porro potest Episcopus valide limitare approbationem, quoad tempus, locum, et personas, ceu patet ex universali Ecclesiae praxi, et ex prop. ab Alexand. VII. damnata ann. 1659. (3). Hoc clare constat ex Constit. Apostolica Ben. XIV., in qua confirmat statuta ab Inn. XII., et XIII., et declarat non posse administrari hoc Sacramentum extra tempus, locum, et genus ab Episcopis praescriptum.

(1) Contrarium fuit ab Alex. VII. proscriptum prop. *Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab ordinario.*

(2) Damnata fuit ab Alex. VIII. propos. haec 12.: *Satisfacit praecepto annuae Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo praesentato, ab eo injuste reprobato.*

(3) *Non possunt Episcopi limitare, seu restringere approbationes, quas Regularibus concedunt ad confessiones audiendas, neque ex parte revocare.*

Digitized by Google

Q. Approbatus in una Dioecesi potestne in ea excipere Confessiones subditorum alterius Dioecesis?

R. Maxime ex laud. Constit. Gregorii X. *Superna*, et etiam potest a casibus reservatis in Dioecesi poenitentis absolvere, dummodo non accesserit in fraudem, non vero a reservatis in sua Dioecesi.

Q. Potestne Confessarius absolvere socium ejusdem criminis?

R. Si crimen est circa sextum praeceptum, et non potest neque valide, neque licite quia privatur jurisdictione, et in poenas incidit ex Constit. Bened. XIV. *Sacramentum Poenitentiae*. Si vero sit de aliis materiis, valide potest, et etiam licite, si ambo detestantur crimen: expedit tamen, ut poenitens alium Confessarium adeat, qui possit, et debitas commonitiones facere, et congruas poenitentias imponere.

Q. In quam poenam incidit Sacerdos absolvens sine facultate?

R. Si sit Regularis in excommunicationem ex decretis S. Congreg. Si saecularis in excommunicationem, et poenam carceris ex Innoc. XII. in poenam suspensionis ipso facto, si *praesumpserint*, et qui docuerit, sustinuerit, et deduxerit in praxim, ipso facto in excommunicationem. Si vero fictis litteris praeter excommunicationem per quinque annos damnatur ad triremes, et si sit clericus degradatur.

Q. Requiriturne, ut Confessarius praeter jurisdictionem, quam debet habere, sistat in gratiae statu, ut valide absolvat?

R. Minime, nam confessarius non absolvit ex virtute propria, sed ex virtute Spiritus Sancti in ordinatione sibi collata, et tanquam Christi Minister. Trident. Sess. 14. can. 10. de Poenit., peccat tamen graviter, et quidem sacrilege tot vicibus, quot personas absolvit.

CAPUT IX.

De Confessarii officio

Multa officia, seu munera gerit Confessarius; exercet enim ex Trid. sess. 14. cap. 2. 5. 6. 7. munus Ministri, Judicis, Medici, et Doctoris. Quare vitae probitate, scientia convenienti, et prudentia praeditus esse debet. Nam ars artium est regimen Animarum, ideoque difficillima, et periculorum plenissima, et qui sponte tantum suscipit onus, temeritate, et praesumptione non vacat, inquit Bernard. Serm. 10. in cant.: *Ad regimen Animarum sese ingerere, quanta imprudentia est* (1).

(1) Illa heic subtexenda duximus, quae scripsit Summus Pontifex Leo XII. in epistola encyclica *Charitate Christi* data VIII. Kal. Jan. in Jubilaei indictione, an. 1825; quaeque Confessarios maxime respiciunt.

Atque haec quidem, Venerabiles Fratres, docendi sunt populi, sed ut quae docti fuerint efficere cum fructu possint quam necessaria sit, apta, et opportuna Sacerdotum opera, apud quos confiteri peccata sua debeant, probe intelligatis. Quamobrem curandum sedulo Vobis est, ut ii, quos ad Confessiones audiendas deligetis ea meminerint, ac praestent, quae de Ministro Poenitentiae praecipit Praedecessor noster Innocentius III., *ut scilicet sit* discretus, et cautus, ut more periti medici similiter infundat vinum, et oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens, et peccatoris circumstantias, et peccati, per quas prudenter intelligat quale illi de-

Digitized by Google

Q. In quo consistere debet virtus vitae probitas?

R. I. Ut Confessarius vitae bonae exempla praebeat suis Poenitentibus. II. Ut absque peccato lethali hoc Sacramentum ministret, ita ut si recordetur alicujus peccati mortalis, teneatur vel confiteri, vel elicere actum contritionis, ut se restituat in statum gratiae; nam aliter peccat graviter contra

beat consilium praebere, et ejusmodi remedium adhibere diversis experimentis utendo ad sanandum aegrotum; *habeatque prae oculis documenta illa Ritualis Romani:* videat diligenter Sacerdos, quando, et quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit absolutio, ne absolvat eos, qui talis beneficii sunt incapaces, quales sunt qui nulla dant signa doloris, qui odia, et inimicitias deponere, aut aliena, si possunt, restituere, aut proximam peccandi occasionem deserere, aut alio modo peccata derelinquere, et vitam in melius emendare nolunt; aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant, et scandalum tollant. *Quae quidem non viderit quam longe ab eorum ratione distent, qui ut gravius aliquod audiunt peccatum, aut aliquem sentiunt multiplici peccatorum genere infectum, statim pronuntiant se non posse absolvere: iis nempe ipsis mederi recusant, quibus maxime curandis ab eo sunt constituti, qui ait* non est opus valentibus medicus, sed male habentibus, *aut quibus vix ulla scrutandae conscientiae diligentia, aut doloris, ac propositi satis videtur significatio, ut absolvere se posse existiment; ac tum demum tutum se cepisse consilium putant, si homines in aliud tempus absolvendos dimiserint. Si enim ulla in re servanda est mediocritas, in hac potissimum servetur necesse est, ne vel nimia facilitas absolvendi facilitatem afferat peccandi, vel nimia difficultas alienet animos a confessione, et in desperationem salutis adducat. Sistunt se quidem multi Sacramenti Poenitentiae ministris prorsus imparati, sed persaepe tamen hujusmodi, ut ex imparatis parati fieri possint, si modo Sacerdos viscera indutus misericordiae Christi Jesu,* qui non venit vocare justos, sed peccatores, *sciat studiose patienter, et mansuete cum ipsis agere. Quod si praestare praetermittat, profecto non magis ipse dicendus est paratus ad audiendum, quam ceteri ad confitendum accedere. Imparati enim illi tantummodo sunt judicandi, non qui vel gravissima admiserint flagitia, vel qui plurimos etiam annos abfuerint a confessione;* misericordiae *enim Domini* non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus; *vel qui rudes conditione, aut tardi ingenio non satis in seipsos inquisierint, nulla fere industria sua, id sine Sacerdotis ipsius opera asseculturi; sed qui adhibita ab eo necessaria, non qua praeter modum graventur in iis interrogandis diligentia, omnique in iisdem ad detestationem peccatorum excitandis ex intimo corde ad Deum precibus exhausta charitatis industria, sensu tamen doloris, ac poenitentiae, quo saltem ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam disponantur, carere prudentes judicentur. Quocumque autem animo sint, qui accedant ad Ministrum Poenitentiae, nihil ei magis cavendum est, quam ne sua culpa diffisus quispiam Dei bonitati, aut Sacramento reconciliationis infensus discedat. Quare si justa sit causa, cur differenda sit absolutio, verbis, quoad poterit humanissimis persuadeat confessis necesse est id, et munus officiumque suum, et eorum ipsorum salutem omnino postulare, eosque ad redeundum quamprimum blandissime allíciat, ut iis fideliter peractis, quae salubriter praescripta fuerint, vinculis soluti peccatorum gratiae coelestis dulcedine reficiantur. Aptissimo ejus charitatis exemplo inter ceteros esse potest S. Raymundus de Pennafort, quem insignem Sacramenti Poenitentiae Ministrum appellat Ecclesia.* Cognitis peccatis, *inquit,* adsit (*Confessarius*) benevolus, paratus erigere, et secum onus portare, habeat dulcedinem in affectione, pietatem in alterius crimine, discretionem in varietate, adjuvet confitentem, orando, eleemosynas, et cetera bona pro eo faciendo semper eum juvet leniendo, consolando, spem proponendo, et cum opus fuerit etiam increpando....

Digitized by Google

reverentiam Sacramento debitam, et tot peccata committit, quot absolutiones impertitur.

Q. An status gratiae requiratur toto tempore, quo Confessarius audit confessionem vel sufficiat habere, dum profert absolutionem?

R. Dissidium est inter DD. Alii affirmant, ita ut dicunt peccare mortaliter. Alii vero negant, et dicunt non peccare Confessarium qui audiendo confessionem cum peccato mortali, verum habet propositum ponendi se in statu gratiae ante formae prolationem, quia quando Sacerdos audit peccata, non administrat aliquod Sacramentum, sed solum quando absolvit. De Lugo, aliique apud Salmanticenses. Sententia tamen affirmans nempe quod debeat esse in statu gratiae est probabilior, et quam sequi debemus nam statim ac incipit audire confessionem incipit exercere munus sacratissimum indigne.

Q. Quae, et quanta requiritur scientia in Confessario?

R. Competentem requiri scientiam, saltem mediocrem, sed cum respectu, et proportione ad locum, ubi excipiuntur confessiones, et ad personas quae confiteri possunt ibi; minorem enim scientiam requirit, qui in Pago, quam qui in Civitate confessiones audit. Antoine, Ligorius, aliique communiter.

Quod autem requiratur scientia, certum est, quia cum Confessarius in hoc Sacramento exerceat officium doctoris, et Doctores debent scire, quid sit sui muneris, ne se, et suos poenitentes periculo exponat errandi in materia gravi, et ad salutem Animae spectante. Hinc tenetur scire sub gravi quid sit peccatum mortale, quid veniale: quaenam sint circumstantiae speciem peccati mutantes, et notabiliter aggravantes: scire tenetur casus, et censuras, a quibus nequit illos absolvere: ita etiam obligationes, scilicet, restitutionis, satisfactionis, denuntiationis, etc. peccatis adnexas, naturas, contractuum, et propositiones virtutum. Praeterea tenetur scire regulas communes, quae excusari possunt a praecepto, vel a peccato, nec non quae requiritur ad legitimam, et licitam administrationem Poenitentiae Sacramenti, aliaque hujusmodi.

Q. Circa quae generatim debet esse sollicita prudentia Confessarii?

R. Circa seipsum in procuranda, ac conservanda puritate conscientiae, in ardenti zelo procurandi salutem Animarum, et in devota invocatione gratiae Spiritus Sancti ad hoc Divinum Ministerium peragendum. Circa poenitentem, caute eum examinando, caritative instruendo, opportuna consilia praestando, discrete eum corrigendo, et alia, quae apud DD. legi possunt. Circa personas adstantes, non nimis clare loquendo, ne peccata poenitentium fiant eis manifesta, nec utendo signis, etc.

Q. Num teneatur Confessarius poenitentem interrogare?

R. Vel scit Poenitentem bene nosse, quid requiratur ad validam confessionem, et advertit bene se explicare, et non tenetur quia obligatio Confessarii ad interrogandum, succedit ad poenitentis defectum. Hinc Confessarius non tenetur interrogare poenitentem in Theologia versatum, nisi manifeste cognoscat omitti aliquid necessarium, vel non bene se exprimere. Vel scit poenitentem ignorare, quid requiratur ad confessionis valorem, et tenetur caute, et discrete: et ratio est, quia Confessarius tenetur, quantum moraliter potest procurare integram peccatorum confessionem, et procura-

Digitized by Google

re, ne indisposito administret hoc Sacramentum. Quod patet tum ex Cap. *Omnes utriusque sexus* de Poenit., tum ex Ritual. Roman., ibi: *Si poenitens numerum, species et circumstantias peccatorum explicatorum necessaria non expresserit, eum Sacerdos prudenter interroget.* Ita communiter. Verum si exacte interrogando adsit periculum alicujus peccati pro poenitente, in hoc casu sufficit leviter interrogare, uti accidit praesertim in peccatis carnalibus, et circa pueros, et puellas, ne instruantur ad peccandum. Nam praeceptum integritatis materialis non obligat cum gravi incommodo, periculo, et scandalo. Ita D. Thomas.

Q. Num Confessarius teneatur interrogare poenitentem de peccato gravi, quod scit, certo commisisse, et non esse alteri confessum?

R. Tenetur, et si ipse tacet, non esse absolvendum in casu, quo Confessarius evidenter scit, quod peccatum fuit commissum, et alias non sit confessum; quia in hoc casu constat absolutionem esse nullam, sacrilege petere. Dixi *quando Confessarius hoc scit*, nam aliter se res habet si hoc sciat ex relatione, quia in foro Sacramentali poenitens stat pro se, et contra se, ideoque credendum tam contra se, quam pro se, dumodo aliud non constet, et praemiserit, quantum potest, interrogationem.

Q. Quid si sciverit ex Confessione alterius peccatum poenitentis, quod hic confitetur?

R. Non debet absolvere, sed salvo semper sigillo Sacramentali, debet medium eligere, quod Deus inspirabit, ut poenitens peccatum confiteatur. At si hoc nullo modo obtineri queat, nec expelli ex aliqua causa, salvo remanente sigillo, est absolvendus, si aliter periclitetur sigillum. Verum hoc valet, si sciat post auditam poenitentis delinquentis confessionem non vero si ante, quia tunc potest, et expedit licentiam petere, dummodo aliquo modo non violetur sanctitas sigilli.

Q. Quid si Confessarius erraverit in judicanda gravitate, vel levitate peccatorum, et absolvit?

R. Semper est valida absolutio, quia judicat, uti homo, et absolvit, uti Deus.

Q. Quid si Confessarius aliquem committit defectum in confitendo?

R. Si invalide absolvit poenitentem a peccatis vel a censuris, tenetur si commode potest illum monere, ut rite denuo absolvatur et etiam cum suo incommodo, praesentia, si poenitens sit in probabili vitae periculo. Si vero Poenitentem in aliquem errorem induxit verbis, vel silentio, et taciturnitate, tenetur etiam poenitentem monere de errore, ne ipse sit causa erroris illius. Ubi tamen nota quod non potest Confessarius poenitentem monere extra Tribunal Poenitentiae sine ejus licentia.

Q. Quid si defectus Confessarii fuit circa restitutionem imponendam?

R. I. Si Confessarius etiam inculpabiliter poenitentem deobligavit ab restitutionis onere, ad quam tenebatur, vel obligavit ad quam non tenebatur, debet ex justitia errorem detegere poenitenti, aliter tenetur ipse ad restitutionem; nam quisque tenetur ex justitia impedire, ne sua actione, etsi inculpabili; inferat alteri damnum.

II. Si ex malitia, et ignorantia vincibili, aut gravi negligentia Confessarius deobligavit poenitentem a restitutione debita, tenetur poenitentem dedocere errorem. Quod si non dedocet, vel poenitens non possit amplius

Digitized by Google

restituere, tenetur ipse Confessarius ad restitutionem, quia ipse fuit injusta causa damni. Quod si Confessarius poenitentem monuit de sua obligatione, et hic non restituit, cum possit, ad nihil tenetur Confessarius, quia causam damni sustulit, quam posuerat. Praeterea si poenitentem culpabiliter, scilicet, ex malitia, vel ignorantia culpabili, aut gravi negligentia Confessarius ad restitutionem indebitam obligavit, tenetur ex justitia errorem detegere, et si reperiat fecisse illum restitutionem: tenetur Confessarius omnia damna compensare poenitenti, quia ipse fuit damnorum injusta causa. Antoine, Laymann, Collet, aliique.

ADDITAMENTA EX S. LIGORIO

DE OFFICIO ET ALIIS MUNERIBUS CONFESSARII (1).

Hic multa advertenda sunt I. Perperam eos agere qui rudes dimittunt, ut melius se examinent: hoc *P. Segneri* vocat errorem intolerabilem, et jure optimo, quia hujusmodi omnes quantum laborent, difficulter se examinabunt, ut par est, et ita exacte, sicut potest ipse Confessarius eos examinare, et contra cum dimissi sunt, periculum erit, ne exterriti difficultate se examinandi a confitendo retrahantur, et in peccatis obdurescant. Qua de re Confessarius debet ipse ex hujusmodi poenitentibus peccata exquirere eos interrogando juxta ordinem Praeceptorum, praecipue si sunt famuli, aurigae, muliones, milites, satellites, caupones et alii id genus, qui aeternae salutis vitam negligentem vivere solent, et rerum divinarum sunt ignari, quia stant procul a concionibus, et Ecclesiis. Et hic pejor error esset, si ob defectum examinis dimitteret aliquem rudem, qui antea propter ruborem aliquod peccatum reticuerit, licet repetendae essent Confessiones multorum annorum, propter majus periculum, quod tunc subest, nempe quod si non redeat peribit. Mihi videor aliquem Confessariorum audire sic respondere; *Si non redit, pejus sibi erit malum.* Pulchrum quidem charitatis spiritum! Sed sic non loquuntur, qui verum habent zelum animas lucrandi: dicamus melius, qui hoc munere dumtaxat Deo funguntur. Advertat nihilominus Confessarius se non teneri tam minute hos interrogare, interroget tantum de peccatis, in quae faciliter incidere possunt, spectata eorum conditione et capacitate....

Advertendum II. circa numerum peccatorum, quorum pravo habitu aliqui tenentur, cum non possit haberi numerus certus, curet Confessarius statum poenitentis cognoscere, nempe vivendi rationem, applicationem, quam impendit ad alia negotia, tempus consuetudinis cum complice, locum, ubi potissimum moratus est, et deinde interroget de numero, interrogando poenitentem, quoties circiter peccaverit in die, aut in hebdomada, aut mense. Proponens ei plures numeros, ex gr. ter, aut quater, octies, vel decies, aut videat cui numero potius ille adhaereat; et si poenitens numero majori ad-

(1) *Homo apost. Tract. XVI. de Sacr. Poenit. Cap. VI. §. 193. et seq.*

Digitized by Google

haeret, optimum factu erit, si iterum interrogetur de munero majori, sed in hoc, ut bene advertit *Busemb.* Confessarius non sit nimis sollicitus, et anxius ad formandum certum judicium de numero peccatorum, notet frequentiam in genere, et in confuso, judicium faciat, apprehendendo peccata quotquot sint apud Deum. Aliqui DD. dicunt circa peccata interna habituatorum, ut sunt peccata odii, delectationum, et desideriorum pravorum sufficere plerumque interrogare de tempore per quod duravit malus habitus, sed hoc mihi omnino non satisfacit: quia potest esse quod aliquis magis intentus ad externa negotia, aut moretur, ubi pauciores sibi occurrent pravarum cogitationum occasiones; alius erit magis alio animi passione allectus; ideoque opus est interrogationes generales adhibere, de propria applicatione, de loco, de animi inclinatione, etc., ut formet judicium majoris, vel minoris frequentiae actuum internorum. Ceterum post duas, vel tres interrogationes, non debet angi Confessarius, si ei judicium, quod facit, videtur esse nimis confusum; nam ex conscientiis implicatis, et confusis, moraliter impossibile est majorem claritatem sperare. Regulariter loquendo non expedit, ut Confessarius reprehendat poenitentem in confessionis cursu, ne ille exterrefactus omittat aliquod peccatum. Nihilominus expedit aliquando intra Confessionem ei proponere malitiam alicujus gravioris peccati, modo statim ei praebeatur animus dicendo: *sed nunc vis vere vitam mutare? eja ergo fac ut haec confessio sit bona: noli timere: dic omnia peccata; quoniam ab omnibus te absolvam.....*

Ex communi autem sententia infertur cum *Laym.*, *Sanch.*, *Lugo.*, *Castrop.*, *Salm.*, *Holz.*, *Hob.* *Antoine*, et aliis communiter, quod in casu, quo poenitens contraxisset Matrimonium invalidum ob aliquod occultum impedimentum, et in bona fide versaretur; et contra esset periculum infamiae, scandali, aut incontinentiae, si ei aperietur nullitas, tunc Confessarius debet eum relinquere in bona fide, usque dum ei dispensatio impetrabitur; excepto si dispensatio statim, et faciliter obtineri possit a Papa: aut saltem ab Episcopo juxta communem, et valde probabilem sententiam; quod si non vacat tempus adeundi Papam, et aliter imminet periculum scandali, aut infamiae, potest Episcopus dispensare in impedimentis, etiam dirimentibus post matrimonium contractum. Vide *Tract. XVIII. n. 58.* Sed in eo casu, quo si forte uxor se accusat negasse debitum viro, quaeritur, an possit Confessarius eam obligare ad illum reddendum? Multi affirmant, ut *Lugo Sanch.*, *Coninch.*, *Cardub. Henriq.*, *Excob.*, *Lod.*, *Croix.*, quia tunc illa (uti dicunt) cum putet matrimonium esse validum, tenetur sequi dictamen conscientiae. Sed in hoc tutior mihi videatur opinio *Soti*, *Hurtad.*, *et Bonac.*, quod tunc Confessarius ei dicat in genere, quod illa nequit absolvi, si obligationi suae satisfacere renuit, et quod jam scitur mulierem teneri suo viro debitum reddere. Sed si Matrimonium contractum non est, sed jam jam contrahendum est nulliter, quaeritur an Confessarius debeat monere poenitentem de nullitate cum animadvertit monitionem profuturam non fore? Alii absolute negant. Alii affirmant: sed probabilius *Castrop.*, *et Salm.* dicunt regulariter loquendo in eo casu faciendam esse monitionem, praesertim si impedimentum oritur ex consanguinitate, quia tunc nulla subest infamia in suspendendis nuptiis, tanto magis, quod hujusmodi impedimentum facile postea potest cognosci ab ipsismet sponsis, et

Digitized by Google

tunc peccatum eorum facile ex materiali potest fieri formale. Quare in tali casu cum semper subsit aliqua spes fore, ut prosit, non est omittenda correctio: ita *Layman*, sed si omnino desperetur fructus, dicunt iidem citati. AA. *Laym.*, *Castrop.*, cum *Croix et Aver.* quod Confessarius tacere debeat usque dum impetrabit dispensationem.....

Sed hic congruit loqui de quodam casu facilis eventus, et difficilis resolutionis. Quomodo se gerere debeat Confessarius, si sponsis in Ecclesia jam paratis pro celebrandis nuptiis, alter eorum in confessione aperiret impedimentum occultum, et non possit sine infamia, aut scandalo Matrimonium differri? Nonnulli DD. suadent, ut poenitens voveat castitatem, saltem ad tempus, ut possit in differendo matrimonio haec causa proponi. Sed merito dicunt *Ronc. et Instructor pro Nov. Confes.* quod hoc remedium periculo non caret, quia faciliter potest pro praetextu cognosci. Alii autem tenent permittendum esse tale Matrimonium, quin aliquid ei dicatur. Sed valde probabiliter, et communissime dicent *Suar.*, *Pignat.*, *Cabass.*, *San*, *Bonac.*, *Ronc.*, *Conc.*: *Salm.*, etc. cum *Benedicto XIV.* quod in tali casu, et in tali rerum angustia potest dispensare Episcopus; et hanc facultatem dicunt *Sanch.*, *Ronc.*, *Castrop.*, *Conin.*, *Vasq.*, *Vat.*, *Salm.*, *Elbel*, etc. Episcopum posse aliis etiam delegare, etiam generaliter, dum adnexa est officio Episcopali. Immo dicunt, et quidem non sine fundamento *Ronc.*, *et Instructor* etc. praefatus cum auctoritate *Pignat.*, quod cum in hoc casu lex impedimenti reddatur nociva, posset Parochus, aut alter Confessarius prudens declarare talem legem non obligare. Advertunt tamen pro majori securitate, et etiam pro reverentia erga Ecclesiae leges recurri debere ad Sacram Poenitentiariam, ut ab ea obtineatur dispensatio.....

Praeterea Confessarius tenetur absolvere poenitentem, cum est dispositus. Circa hanc dispositionem multa advertenda sunt. I. Perpaucos esse poenitentes, praesertim rudes, qui praeposito actu doloris, ad confitendum accedunt. Nonnulli Confessarii putant satis suo muneri fecisse, si dumtaxat hujusmodi poenitentes sequenti modo interrogent: *Eja postulas ne a Deo veniam de omnibus his?* (quod revera non est verus actus doloris) *Te poenitet ex corde omnium peccatorum?* Et nullo alio verbo interposito, absolutionem eis elargiuntur. Aliud sane est bonorum Confessariorum institutum; hi enim in primis elaborant, ut poenitentes (sermo est de iis, qui lethalibus tenentur) verum dolorem, et detestationem peccatorum concipiant. Et prius per attritionis actum eos praeparent, v. g. *Fili mi, ubi nunc esse deberes in aeternum? in Inferno. In illo igne semper cruciandus esses? Nec tibi ulla spes amplius restaret, ut te illinc eripere posses? Ibi esses moraturus ab omnibus derelictus, a Deo rejectus per totam aeternitatem? Igitur te poenitet Deum offendisse propter infernum quem meruisti?* Advertendum hic est non fieri actum attritionis, si quis diceret se poenitere peccati commissi, quia meruit Infernum, sed opus habet, ut dicat se poenitere offendisse Deum propter quod meruit Infernum. Postea curet, ut eliciatur actus contritionis hoc modo: *Fili mi quid egisti? peccasti in Deum summum, et infinite bonum, nullam illius rationem habuisti: avertisti faciem tuam ab eo; projecisti eum post tergum tuum: contempsisti amicitiam, et gratiam ejus; eja ergo, quia offendisti Deum bonitatem infinitam, tunc ex toto corde te poeniteat. Detestare et odio habe super omnia mala, omnes*

Digitized by Google

injurias, quibus immerito Deum tam bonum affecisti: Nonne jam promptus es millies mori, quam haec in posterum committere? Advertendum 2. regulariter loquendo teneri Confessarium absolvere dispositos, sed posse etiam absolutionem differre eis, cum cognoscit id expedire, ut docent communiter DD. An autem hoc expediat, nec ne facere sine poenitentis consensu vide dicenda *Tom. III. Tr. ult. punct. 11.* cum sermo erit de Recidivis. Advertendum 3. Confessarium certum fieri debere de poenitentis dispositione, ut possit eum absolvere, dum actus poenitentis (in quibus consistit dispositio) sunt materia Sacramenti Poenitentiae, sed sicut in ceteris Sacramentis, quia materia est physica, physica debet esse etiam certitudo, ita in hoc, quia materia est moralis (cum sit interna, adeoque parum sensibus perceptibilis) sufficit certitudo moralis juxta regulam *S. Thomae* qui dicit: *Certitudo non est similiter quaerenda in omnibus, sed in unaquaque materia secundum proprium modum* (*2. 2. q. 47. a. 9. ad 2.*). Unde sufficit Confessario pro absolutione impertienda, *ut prudens judicium probabile de poenitentis dispositione habeat*, ut scribit *Instructor Confess. Nov.*, quin obstet aliqua prudens suspicio in contrarium de indispositione. Idem dicunt *P. Card., P. Mazzot., et P. Suar.*, qui ita scribit: *Sufficit, ut Confessarius prudenter et probabiliter judicet poenitentem esse dispositum.* Idem docet Catech. Rom. (*de Poenit n. 60.*): *Si audita Confessione* (Sacerdos) *judicaverit neque in enumerandis peccatis diligentiam, nec in detestandis dolorem poenitenti omnino defuisse, absolvere poterit.* Itaque juxta Catechismum absolvere potest poenitentem quoties non judicat ei omnino defuisse dolorem, nam ceteroquin praesumendus est adfuisse in poenitente, qui jam confessus est.

Loquamur denique de obligatione quam habent Sacerdotes de administrando Poenitentiae Sacramento. Sacerdotes simplices regulariter loquendo non tenentur ad illud ministrandum, nisi in casu extremae necessitatis. Parochi vero tenentur toties, quoties rationabiliter expetiti sunt a subditis, qui opportune illud petunt. Vide dicta *Tract. VII. n. 24.* Sed hic quaeritur 1. An Sacerdos simplex, aut simplex Confessarius (quia quoad Parochum vide *dicta Tract. VII. n. 28.*) teneatur cum periculo vitae ad absolvendum moribundum in peccato mortali existentem? Negant *Sot., Sa., Navar., Coninch., et Lugo*, probabile putat, dum ille potest per contritionem sibi consulere; excipit tantum *Coninch.*, si moribundus ea laboraret ignorantia, ut nesciret elicere actum contritionis. Sed sententia verior affirmat cum *Suar. Tourn. Corea et Valen.*, quia licet possit moribundus per contritionem supplere, tamen cum haec sit difficilis, negari non potest, quin si inabsolutus relinquitur, in magno suae damnationis periculo manserit. Unde sit, quod sicut in casu, quo proximus, sine tua absolutione certe peribit, teneris ad mortem certam subeundam, ut eum absolvas, ita in casu, quo ille in probabili damnationis periculo manet, teneris te exponere probabili periculo mortis: nam in aequali periculo quisque tenetur postponere vitam temporalem suam vitae aeternae proximi.

Quaeritur 2. An Sacerdos simplex teneatur ad se habilem reddere pro excipiendis Confessionibus cum videt indigenas suos esse in gravi necessitate spirituali ob Confessariorum penuriam? Apud nullum Auctorem de re morali tractantem hoc dubium inveni discussum, tantum ad manus mihi

Digitized by Google

pervenit quidam libellus, cui titulus (*Parroco di Villa, p 309*), cujus auctor est R. D. Joseph Jorio, cujus doctrinam, ac pietatem varia opuscula, quae edidit, satis comprobant, ibi ex Italico haec transcribo: *Qui solertia pro audiendis Confessionibus pollet, et observat in suo Oppido Confessariorum penuriam, et videt, aut non frequentari, aut male haberi tale Sacramentum, tenetur illud administrare. Et si aetate non multum processit, tenetur in conscientia ad se habilem reddendum.* Affert idem Auctor auctoritatem *Pat. Pavonis Societ. Jesu*, viri admodum docti et pii, qui in suis operibus Italicis sic scribit: *Munus meum, qui Sacerdos vocor est. me Praelato meo parere, cum mihi imponit, ut Confessionem excipiam, et legitimo impedimento non praepedior: quia Praelatus potest id mihi praecipere, et ego nullam rationem habeo, ut talentum otiosum teneam. Insuper mihi inest debitum me Episcopo offerendi, ut facultatem Confessiones audiendi ab eo expostulem cum animadverto in gravi necessitate esse populum ob Confessariorum deficientiam.* Et revera (subjungo hic aliquas reflexiones quas animo rependi super hoc puncto, cui parum Sacerdotes animum intendunt): certum est Sacerdotes esse a Deo electos non solum, ut sacrificent, sed etiam principaliter esse constitutos, ut animarum saluti incumbant; sicut enim divinus Pater misit Filium suum pro mundi salute, ita Christus Dominus constituit Sacerdotes, in suum locum suffici, ut pro se legatione fungerentur; *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Joan. 20 21.* Quapropter Sacerdotes vocantur, nunc *Lux Mundi*, nunc *Sal terrae*, nunc *Dei Coadjutores*. Idcirco etiam Trident. *Sess. 24. c. 16.*, praecipuit, ut promovendi ad Presbyteratum *prius ad docendum ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem*, ac (nota) *ad ministranda Sacramenta idonei comprobentur*. Et *S. Thomas* dicit quod Dominus ad hunc finem instituit Ordinem Sacerdotum in sua Ecclesia, ut ipsi Sacramenta aliis ministrent. *Et ideo posuit Ordinem in ea, ut quidem aliis Sacramenta traderent.* Praecipua autem obligatio Sacerdotum est circa administrationem Sacramentorum Eucharistiae, et Poenitentiae, dum ideo duplex eis confertur potestas sacrificandi nempe, et absolvendi a peccatis. Et animadvertatur quod Dominus Spiritum Sanctum in Sacerdote infudit praecipue, ut absolvant a peccatis, prout legimus apud *Joan. loc. cit. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Haec cum dixisset, insufflavit, et dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* Itaque cum hoc sit Sacerdotum praecipuum munus, et unus ex principalibus finibus, cur Deus eligit aliquem ad Sacerdotium, dico quod Sacerdos tenetur ad se habilem reddendum ad illud, saltem cum necessitatem cognoscit ob aliorum deficientiam, ne ab Apostolo exprobretur quod in vacuum gratiam recepit.

Hoc posito, quomodo excusabitur a peccato ille Sacerdos qui sua socordia negligit audire Confessiones, aut se habilem reddere ad illas audiendas, cum videt gravem necessitatem, qua Oppidum suum premitur? Ego nescio quomodo iste possit non exprobari a Domino, et immunis esse a poena, quam minatus est in servum pigrum, qui talentum datum negotiationi abscondit, ut habetur *ex Matthaei 25.*, qui textus ab Expositoribus (*Cornelio a Lapide, Calm., et Trino* cum *S. Ambrosio*) explicatur proprie de iis, qui opera sua procurare possunt, et negligunt salutem animarum: *Notent hoc*

Digitized by Google

(ait Cornelius) *qui ingenio, doctrina aliisque dotibus sibi a Deo datis non utuntur ad suam, aliorumque salutem ob desidiam vel metum peccandi; ab his enim rationem poscet Christus Dominus in die Judicii.* Admodum terrore plenae sunt comminationes Domini in negligentes Sacerdotes: *Si dicente me ad impium, impie morte morieris, non annunciaveris ei . . . ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem ejus autem de manu tua requiram. Ezech. 18.* Nec dicant hujusmodi Sacerdotes obligationem suam satis explere si alio modo animabus subveniant, nempe instruendo, corrigendo, orando, non sufficit dico; quia ipsi tenentur succurrere proximis in eo, quod ipsis opus est ad salutem. Si frater ciborum opus habet, non sufficit eum de vestibus providere. Saepe accidit in Oppidulis, quod plures forte non egent instructione, aut munitione, quia forte jam sunt satis instructi, et correcti, sed deest ipsis Sacerdos, qui eorum Confessiones excipiat. Nec valet dicere officium audiendi Confessiones esse opus charitatis, et charitatem non obligare cum tanto incommodo, quia est labor insumendus pro acquirenda scientia requisita ad Poenitentiae Sacramenti administrationem, quia respondetur, quod licet tále exercitium sit charitatis, nihilominus est munus, quod ortum non habet a simplici charitatis motivo, sed ex officio proprio Sacerdotali (ut dictum est) cui ex divina institutione hoc munus adnexum est, et cui Sacerdos satisfacere tenetur, cum id populi necessitas expostulat. Denique neminem juvat se excusare, allegando insufficientiam, et imbecillitatem suam, quoad insufficientiam, suppositis antea dictis, ille tenetur ad studendum, et ad se idoneum efficiendum: quoad autem imbecillitatem, qua quis putaret eum merito excusari, nempe cum humilitatis sensu audiat quid dicit *S. Franc. Sales.* Sanctus appellat falsam humilitatem eorum, qui recusant saluti Animarum vacare, sub colore, quod propriam debilitatem cognoscunt. Dicit totum hoc esse artificium amoris proprii; et humilitatis perversae qua praetenditur propriam socordiam specioso praetextu colorare. Subjungit, quod Deus nobis aliquid ingenii concedendo, intendit, ut nos illo utamur: unde vere humilem se ostendit, qui illo utitur, et obedit. Superbo nihil audendum est assumere tamquam sibi fidendi; humilis contra animo magno esse debet, quia non suis viribus innititur, sed spem in Deum collocat, cui placet suam Omnipotentiam exaltare in nostra imbecillitate, et ideo concludit, humilem omnia aggredi posse.

CAPUT X.

De Sigillo Confessionis.

Sigillum Sacramentalis confessionis est obligatio servandi secretum in omnibus, quae in ordine ad absolutionem Sacramentalem Confessario aperiuntur. Ita communiter.

Differentia, quae intercedit inter sigillum Sacramentale, et naturale est: quod primum in nullo casu sine licentia poenitentis aperire potest, secundum potest in aliquo casu, puta ob bonum commune etc.

Q. Quo jure sit servandum sigillum Sacramentale?

R. Omni jure, et I. Jure Naturae, quia Lex Naturae obligat, ut sub secreto custodiantur, quae alicui sub secreto commissa sunt. Confessario autem sub

Digitized by Google

secreto commissa sunt peccata revelata, ne poenitenti odiosum, et grave reddatur Sacramentum Poenitentiae. Jure Divino, ut patet ex perpetua traditione, ac consensu Ecclesiae. Jure Ecclesiastico, patet ex Cap. *Omnis utriusque sexus* de poenit. et remiss.: ubi poena depositionis a Sacerdotali officio, ac perpetuae poenitentiae in arcto monasterio peragendae, constituitur violatoribus sigilli confessionis.

Q. Contra quam virtutem peccat Confessarius violando sigillum?

R. I. Peccat contra fidelitatem, et tacitam promissionem secreti. II. contra justitiam, quia haec obligat, ne aliena peccata revelentur. III. Contra Religionem, ob injuriam Sacramento factam; revelatio enim Peccatorum inducit odium contra hoc Sacramentum. Ubi nota, quod haec Religionis violatio parvitatem materiae non suscipit; nam quaevis minima fractio sigilli est graviter Sacramento injuriosa. Bonacina, et communiter.

Q. An possit in aliquo casu Confessarius aperire sigillum Sacramentale?

R. Regulariter loquendo in nullo casu, quantumvis gravissimo, sive boni consequendi, sive mali evitandi, quinimo licet per hoc omnium hominum damnatio impediri posset. Ita communiter. Dixi *regulariter*, quia de licentia poenitentis Confessarius potest, nam haec obligatio per se primo instituta est in favorem Poenitentis, et tota reverentia confessionis, quae in hoc sigillo servando apparet, in eo sita est, ut confessio non fiat onerosa, et odiosa poenitenti. Tamen advertendum, quod licentia ista debet esse expressa, plena, voluntaria, de determinato peccato, et de determinata persona, Salmantic., D. Thom., D. Bonavent., Sanchez, aliique communiter.

Q. An tantum Confessarii teneantur ad sigillum?

R. Non solum Confessarii, sed etiam adstantes quidpiam audientes, interpretes confessionis etc., quia hujusmodi revelatio foret contra reverentiam Sacramenti, et ipsam confessionem redderet odiosam. Ita DD. communiter.

Q. An teneatur ad sigillum qui scriptam confessionem reperiat?

R. Adest dissidium inter Doctores, nam alii affirmant, alii vero, ut Layman, Bonacin. Suarez., Navarr., etc. rectius negant: quia talis scriptura non est confessio Sacramentalis, sed remote, et per accidens ordinatur ad confessionis Sacramentum. Iste tamen talis ex arctissimo naturali secreto tenetur, ita ut neque eam legere potest absque gravi peccato in genere sacrilegii, neque ea evulgare potest, si gravia, diffamantia peccata sint, quia licet ea scriptura non sit Sacramentalis confessio, est tamen via ad eam, et cedit in irreverentiam Sacramenti, ita citati DD.

Q. Quotuplici modo potest violari sigillum?

R. Duplici, scilicet *directe et indirecte*. Primo modo habetur, quando Confessarius aperte, et expresse peccatum confessum, aut aliquid aliud sub sigillo cadens manifestat. Secundo modo violatio habetur, quando licet Confessarius nihil aperte manifestat, verbis tamen, vel signis ita se gerit, ut alter possit venire in cognitionem peccati confessi, et colligere Poenitentem commisisse tale peccatum, cit. Cap. *Omnis utriusque sexus*, ibi: *caveat autem omnino, ut verbo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem.*

Digitized by Google

Q. Num peccata publica cadant sub sigillo, quando ea ignorat Confessarius?

R. Maxime, quia dum ex sola confessione novit sub sigilli religione coercenda est illorum notitia. Communiter.

Q. Num peccata venialia cadant sub sigillo?

R. Peccata venialia in particulari cadunt sub sigillo, quia poenitentem commisisse illud peccatum, et confessioni illud subjecisse non est per se cognitum. Peccata vero venialia in genere non cadunt sub sigillo, quia manifestum est eo ipso, quo quis confiteatur, et absolvitur, confiteri saltem venialia, sine quibus nemo Mortalium hanc vitam traducere potest. Hinc si Confessarius dicat: *Petrum confessum esse mendacium*, frangit sigillum: non vero, si dicat: *Petrum confessum esse venialia*. Sed si nihil dicat peroptime facit. Ceterum nunquam est immunis a peccato Confessarius, qui hanc facultatem sibi usurpat.

Q. An tantum peccata cadant sub sigillo?

R. Non tantum peccata, sed etiam omnes circumstantiae, et ea omnia, quae ad peccati confessi explanationem dicta sunt, sub obligatione secreti Sacramentalis includuntur, ut si poenitens ad manifestandum aliquod peccatum dixerit, se esse spurium, vel pauperem, vel impotentem etc., quia licet praedicta non sint materia confessionis, tamen in ordine ad confessionem sunt, a qua possunt retrahi poenitentes, si scirent praedicta in aliquo casu posse evulgari. Ita communiter.

Ex hoc oritur I. Frangitur sigillum, si confessarius de Poenitente narrat eum in Confessione omisisse peccatum, quod eum fecisse constat, aut constare poterit: vel si dicat, poenitentem esse sibi molestum suis minutissimis culpis, quia sic redditur odiosa confessio, et indirecte violatur sigillum Confessionis.

II. Violat sigillum Confessarius, si excipiendo, v. g. duorum fratrum confessiones, unum eorum commendet, nullo verbo facto de alio fratre; nam sic de isto aliquid grave videtur innuere, uti ait D. Antoninus, et sic confessioni injuriam inferre, et odium.

III. Frangitur indirecte sigillum: si Confessarius requisitus de testimonio peractae confessionis deneget, eo quia poenitens non fuisset absolutus; nam sic videtur clare significare, se eum non absolvisse. Excipe tamen, si non pro confitendo, sed solum animo ficto pro extorquendo testimonio accedit ad Confessarium, et confitetur, et hanc fictionem plane constat Confessario, nam tunc cum non esset Sacramentalis confessio, posset testimonii schedulam denegare.

IV. Violatur sigillum, si Confessarius dicat de peccatore publico, atque damnato: *hic mihi confessus est*, v. gr. *homicidium* etc., pro quo damnatus est quia Confessionem sic loquendo reddit nimis odiosam.

V. Sigillum exsolvitur, si Confessarius dicat, in hac Congregatione, Collegio, Conventu etc. gravia crimina committuntur, adulteria, veneficia, sodomiae etc., si ille soleat in illa Congregatione, vel Collegio, audire Confessiones, quia sic non solum infamia redundat in eas, sed etiam in Poenitentes, quin resultet ex tali revelatione odium in Confessionem.

Q. Quomodo se gerere debet Confessarius, quando interrogatus a Judice, vel ab alio de auditis in confessione?

Digitized by Google

R. Quod si Confessarius absolute interrogetur, num sciat talo, vel tale crimen, potest absolute respondere se nescire, etiam juramento adjecto, intelligendo se nescire, uti personam privatam, quamvis interim sciat ad referendum uti Dei Minister, et Vicarius. Si vero interrogatur praecise, num sciat tale crimen uti Confessarius, tunc, quia non potest mentiri dicendo se nescire, debet tantum respondere, interrogationem hanc esse sacrilegam, injustam, et homini christiano non congruam, et de caetero tacere. Antoine, Layman.

Q. An liceat uti notitia per confessionem acquisita extra confessionem sine poenitentis licentia?

R. Vel habetur aliqua directa, vel indirecta revelatio cognitorum in confessione, ex qua oriri possit talis notitiae ad usum deductae suspicio, aut habetur aliquod poenitentis gravamen etiam temporale, et seclusa quacumque revelatione non licere, etiamsi multo majus gravamen ejusdem Poenitentis ex non usu sequeretur; et ratio est, quia talis notitiae usus parit poenitentibus odium contra Confessionem, uti patet ex Decreto S. Congregationis General. Inquisitionis auctoritate Innoc. XI. edito. Vel nulla habetur revelatio, aut nullum habetur poenitentis gravamen ex usu talis notitiae, et licere, quia nulla injuria infertur poenitenti, nec confessio exinde redditur odiosa. Antoin.

Hinc non potest Confessarius uti scientia Confessionis, v. g. expellendi servum e domo, eo quia in Confessione audivit furari bona sua, licet non directe, tamen indirecte sigillum Sacramentale videtur violari, vel expellendi amicum suum e domo, quem frequenter habere copulam cum nepte sua ex confessione audivit. Sicut, et Episcopus, qui ex confessione audivit, Petrum esse indignum ad beneficium curatum, non potest hoc illi negare, cum solo ejus gravamine; eo quod multo gravius gravamen illi eveniret, si non uteretur Episcopus notitia Sacramentali. Et Confessarius, vel Superior debet in similibus se talem gerere, tamquam si nihil sciret, audita enim in sola confessione *minus scit*, *quam quae nescit*, inquit D. Augustinus. Et *ex confessione scitum, est quasi nescitum*, dicit D. Thom. in supplem. q. 11. art. 1. ad 1. Postremo illud etiam est animadvertendum, quod statutae poenae in cit. Cap. *Omnis utriusque sexus*, nempe perpetua detrusio in arctum Monasterium, et poena depositionis ab officio sacerdotali contra violantes sigillum Sacramentale, non sunt *latae sententiae*, sed *ferendae*, uti tenent DD. communiter.

CAPUT XI.

De subjecto, et effectibus Poenitentiae

Q. Quinam est subjectum Poenitentiae Sacramentalis?

R. Est omnis, et solus homo baptizatus, qui actuale peccatum commisit: sive mortale, sive veniale, et ratio est, quia hic solus potest clavibus Ecclesiae submittere materiam debitam, quae sunt peccata omnia sive gravia, sive levia. Cum enim hoc Sacramentum institutum fuerit per modum judicii, judicium autem non exercetur, nisi in subditos, cujusmodi est homo baptizatus, qui per Baptismi januam Ecclesiam fuerit ingressus.

Advertendum tamen est, quod Peccator, ut sit sufficiens Poenitentiae sub-

Digitized by Google

jectum, et ut valide Sacramentum recipiat, debet accedere dispositus, cum dispositio poenitentis constituat materiam proximam hujusce Sacramenti, uti fuso calamo supra diximus, adeoque est necessaria non solum ad licite recipiendum Sacramentum, uti in ceteris Sacramentis requiritur, sed etiam ad ejus validitatem. Habert.

Q. Quinam sunt effectus Sacramenti Poenitentiae?

R. Sunt tres, et I. est justificatio, uti patet ex Trident. sess. 6. Cap. 29. II. Est remissio poenae aeternae, quia homo per Poenitentiae Sacramentum fit ex injusto justus, ut sit haeres secundum spem vitae aeternae, uti ait Trident., sess. cit. Cap. 7., adeoque desinit esse reus gehennae, ac poenae aeternae debitor. III Diminutio poenae temporalis ut ait D. Thomas. in 4. dist. 8. q. I. art. 3., ibi: *In absolutione alicui plus, et minus de poena dimittitur vi Clavium, secundum quod plus ad gratiam se disponit et potest esse tanta dispositio, quod ex vi contritionis tota poena tollatur.* Haec tamen poena temporalis, quae remanet tollitur postea vel per opera poenalia, vel per indulgentias, vel per Purgatorii poenas, Vide D. Thom. loc. cit.

CAPUT XII.

De Reservatione

Q. Quid est reservatio?

R. Est negatio jurisdictionis ad aliquod peccatum absolvendum. Communiter. Hinc reservatio principaliter, et directe afficit Confessarium, vero, et minus principaliter poenitentem. Unde si Confessarius aliquem absolvit a reservatis sine facultate, nulliter absolvit, non solum pro externa politia, sed etiam coram Deo. Trident. sess. 15. Cap. 7. Vide Fagnanum in Cap. *Omnis utriusque sexus* 12. de Poenit., et remiss. n. 78. et seq.

Q. Num datur haec potestas in Ecclesia?

R. Maxime, ut patet ex Trid. sess. 14. can. 11. *Si quis dixerit Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo novam reservationem non prohibere, quominus Sacerdos a reservatis vere absolvat, anathema sit*

Q. Quaenam peccata reservari solent?

R. Peccata mortalia, externa, et consummata, nisi aliud in statuto fuisset expressum. Dixi *peccata mortalia externa*, licet enim peccata interna de rigore possent reservari, attamen ex usu, et Consuetudine Ecclesiae non reservantur, nisi externa, cum hoc satis sit ad rectum Ecclesiae regimen. Dixi etiam *nisi in statuto aliud fuisset expressum*, quia aliquando reservari solent etiam peccata non consummata. Sic sola provocatio ad duellum, et ejusdem acceptio expresse reservantur, etiamsi non subsequatur conflictus.

Q. An peccata absoluta per Confessarium non habentem facultatem ad reservata, teneatur confiteri quis denuo, et repetere absolutionem?

R. Vel fecit mala fide, et tenetur, quia invalide recepit Sacramentum ob indispositionem. Vel fecit bona fide, et videndum, vel confessus est peccata reservata, et non reservata cum requisitis dispositionibus, et tenetur tantum

Digitized by Google

repetere peccata reservata, cum indirecte fuerint absoluta, vel confessus est tantum peccata reservata, et tenetur repetere confessionem eorum Confessario habenti facultatem, quia ex Concil. Trident. patet, quod in Confessario pro absolutionis validitate requiratur jurisdictio.

Q. An Confessarius simplex possit absolvere poenitentem directe a casibus non reservatis, indirecte vero a reservatis?

R. Id quidem posse duobus in casibus I. Si poenitens inculpare oblitus sit aliquod reservatum, aut si bona fide confiteatur illud Confessario non advertenti illud esse reservatum. II. Idem etiam posse in casu magnae necessitatis, puta vitae tuendae, vel famae servandae, aut scandali vitandi uti si oporteat implere praeceptum annuae confessionis, aut Sacrum facere, et omitti non potest sine infamia; quia cum adest necessitas physica, vel moralis, quis excusatur ab integritate materiali. In quo casu remanet poenitens directe absolutus a non reservatis, indirecte vero a reservatis. Praeterea Superiores in his casibus merito censentur non reservari, ne reservatio potius sit in destructionem. Sublato vero impedimento tenetur poenitens adire Superiores, ut directe absolvatur a reservatis. Communiter.

Q. Num possit Confessarius in dubio absolvere poenitentem a reservatis?

R. Si dubitat de sua jurisdictione, seu an hoc peccatum sit, necne reservatum, et proinde an possit, necne absolvere, et tunc absolvere non potest, ne periculo nullitatis Sacramentum exponat. Si vero dubitat de commissione peccati, et adest causa, uti supra dictum ex iisdem rationibus, potest absolutionem impertire.

Q. An peregrinus aliam pergens Dioecesim possit ibi a sui domicilii reservatis absolvi per Confessarium non habentem facultatem in casu, quo ea ibi non sunt reservata?

R. Posse, quando hoc non facit in fraudem reservationis, quia Confessarius non tenetur petere a poenitente locum domicilii, tum quia peregrini aliter non possent confiteri in aliena Dioecesi, quod est contra consuetudinem communem receptam ab Episcopis. Quod ex Const. *Superna* Clemen. X. apparet, et licet ibi agatur, ut patet, de solis Confessariis Regularibus, jure tamen meritissimo idem quoque intelligendum est de ceteris Confessariis Saecularibus, Cajet., D. Antonin., Layman., Cabassut., Cunil. aliique.

Idque etiam patet ex constanti, et manifesta Consuetudine: dicitur autem *migrare in fraudem reservationis*, quando alienam Dioecesim petit ob principalem finem obtinendi absolutionem a reservatis, ac evitandi judicium proprii Pastoris.

Q. An peregrinus possit absolvi a peccatis in proprio domicilio non reservatis quando sunt ea reservata in Dioecesi Confessarii, et confessarius non habet facultatem absolvendi a reservatis?

R. Non potest, quia iste peregrinus in ordine ad confessionem judicatur uti subditus, et ut incola illius loci. Praeterea reservatio afficit primario Confessarium, et peregrinus sortitur forum poenitentiale illius loci, ubi diversatur, licet ad breve tempus, argum. deducto ex Authent. *Qua in Provincia* C. Ubi de criminib. etc., et Cap. *Placuit* 4. caus. 6. q. 3. Hinc cum peccata sint reservata in Dioecesi Confessarii, et Confessarius non ha-

Digitized by Google

bet facultatem, non potest peregrinum absolvere a peccatis reservatis, licet non sint reservata in Dioecesi poenitentis. Suarez, Laym., Stampò, aliique communiter.

Q. An peregrinus, qui est ligatus censura, possit absolvi a Confessario alienae Dioecesis?

R. Vel est a Jure, et non reservata, et potest eum absolvere, ceu patet ex Cap. *Nuper* de Sent. Excomm. Vel est ab homine per specialem sententiam, et non potest, nisi a proprio Episcopo, vel Superiore, ne ordo judicandi pro foro externo perturbetur, quia hujusmodi censura semper intelligitur reservata, neque absolvi potest, nisi ab eo, qui censuram tulit, aut ab ejus Superiore, aut Successore, aut Delegato, Bonac., Laym., aliique.

Q. Num detur casus, in quo potest Confessarius habens facultatem absolvere peregrinum excommunicatum, etiamsi nominatim denuntiatus sit?

R. Maxime, et est quando fixit domicilium in loco longe distanti, quo moraliter loquendo non potest facile pervenire notitia quod sit excommunicatus, et accessus ad Superiorem non est facilis ratione distantiae, vel alterius justae causae. Tunc potest Confessarius, qui habet facultatem illum absolvendi, praestita tamen cautione juratoria, quamprimum possit, se praesentandi Superiori, Layman cum aliis.

Dixi *quando non potest facile pervenire notitia* etc, quia si de facili possit pervenire, tunc ad tollendum scandalum potest tantum absolvi ab Episcopo loci, in quo reperitur, et pro foro externo excommunicatio tolli, ut colligitur ex cit. Cap. *Nuper*.

Q. An casus praetermissi ob oblivionem invincibilem remaneant liberi a reservatione?

R. Maxime, quando Confessio fuit facta habenti facultatem quia habens facultatem absolvendi a reservatis, censetur velle poenitentem legitime dispositum a peccatis liberare quantum potest. Hinc cum possit a peccatis oblitis liberare poenitentem, quoad reservationem, licet non quoad obligationem ea directe confitendi, censetur ipsum velle. Ita Salmantic. aliique.

Q. Si quis obtinet facultatem generalem absolvendi ab omnibus reservatis in hac Dioecesi Neapolitana, a quibus non potest?

R. Ab istis, et I. A collocutione cum Monialibus, vel cum aliis in Monasterio degentibus de obscoenis. II. A casu invitationis ad Ecclesiam Monialium, et Regularium quomodolibet exemptorum, occasione quarumcumque functionum, et solemnitatum. III. A casu expensarum factarum a Monialibus, aliisque in Monasteriis, Conservatoriis etc. ratione officii in quibuscumque functionibus, et festivitatibus. IV. A casibus, quibus est adnexa excommunicatio Papae, et Ordinario reservata. Vide Ciera.

Q. In quam poenam incidit Sacerdos administrans hoc Sacramentum absque approbatione?

R. Si sit Regularis incidit in excommunicationem ipso facto juxta Decreta Sacrae Congregationis. Si vero sit Saecularis praeter hanc excommunicationem, incidit in poenam carceris formalis arbitrio Ordinarii, ita ex Synod. Neapolit. Cap. 7. de Sacram. Poenit.

Digitized by Google

DE CASU RESERVATO.

Cum excommunicatione in Dioecesi Neapolitana contra loquentes cum Monialibus.

Verba casus sunt: *Loquentes sine nostra, vel Vicarii nostri Monialium licentia cum Monialibus in Monasteriis etiam exemptis, vel cum aliqua, aut aliquibus earum, etiamsi sit Conversa, aut Novitia, sive educationis, sive alterius caussa ibidem commoretur, conjunctis in primo, vel secundo gradu consanguinitatis duntaxat exceptis, declarantes quod, qui facultatem obtinuerit loquendi cum aliqua praedictarum, non possit data opera, et ex professo cum aliis loqui.* Ex quibus verbis colligitur, quod materia hujusce casus sit locutio sine licentia cum Moniali, vel cum alia quacumque ex caussa in Monasterio commorante, et quod subjectum hujus casus sint omnes, qui loquuntur sine licentia cum Monialibus, vel cum aliis ibi degentibus, modo non sint conjunctae in primo, vel secundo gradu consanguinitatis.

Q. Num incidat in hunc casum, qui loquitur cum Moniali nihil respondente?

R. Maxime, quia verificantur verba casus, nam ibi habetur *loquentes*, et non colloquentes.

Q. Num incurrat hunc casum, qui loquitur cum Moniali de re honesta, sed per signa, vel nutus?

R. Adest dissidium inter DD., nam aliqui cum Diana, Tamburr. etc. tenent non incurrere; quia proprie non loquitur, et ideo non verificatur ly *loquentes*, nam locutio in poenis, et odiosis stricte est facienda. Alii vero uti Januar. etc. tenent incurrere, quia eodem modo manifestatur conceptus verbis, ac signo, vel nutu, ideoque revera habetur totum id, quod in casu prohibetur, est haec explicatio, et sententia Cier., et Quar.

Q. Num ille qui loquitur cum Moniali de re indifferenti per metum, ab hujusmodi reservatione excusetur?

R. Vel loquitur per metum levem, et non excusatur, tum quia metus levis non excusat a peccato, ideoque nec etiam a reservatione, tum quia gesta metu levi, non reputantur gesta metu, L. *Nec timorem* D. de eo, quod metus caus. et concinit Bonifacius in Clement. 2. n. 3. de For. compet., Vel loquitur per metum gravem, et excusatur, quia metus gravis excusat a peccato, cum actio sit mala, quia prohibita, adeoque excusat etiam a reservatione et censura, Ciera dissert. 6. quaest. 2. fol. 135.

Q. Num incurrat hunc casum, qui loquitur cum Moniali affine, puta, cum sorore suae uxoris, vel cum ejusdem filia?

R. Maxime, si sine licentia loquatur, quia in casu tantum excipiuntur Consanguinei in primo, vel secundo gradu, uti patet ex verbis cit. casus.

Q. Num excusantur a reservatione loquentes cum Monialibus per modicum tempus?

R. Excusantur, quoniam sicuti in ceteris praeceptis humanis datur materiae parvitas, ita et in hoc. Quid tanti temporis sit parvitas in hujusmodi locutione non conveniunt Doctores. Aliqui cum Diana putant esse illud tem-

Digitized by Google

pus, quod requiritur ad recitandum Psalmum *Miserere*. Alii vero, ut Quartus etc. putant esse quadrantem horae. Verum isthaec opinio evasit omnino improbabilis propter declarationem Sacrae Congregationis, quae approbante Clemente IX. anno 1669. declaravit damnandum esse, uti revera damnat illam opinionem, quae a mortali excusaret Regularem per horae quadrantem colloquentem cum Moniali citra Ordinarii licentiam. Quare istud temporis spatium hac in re constituere non potest materiae levitatem. Vide Cier. in praed. cas. Tandem alii, uti Januarius etc. putant esse modica verba, atque haec opinio postrema verosimilior videtur, in quo etiam monet citatus Auctor tales loquutiunculas non debere esse frequentes, nec sine necessitate, quia secus hoc etiam adversaretur fini legis, qui est, ut Monialis expeditior Deo vacet.

Q. Num incurrat hunc casum, qui loquitur cum Moniali jussu Archiepiscopi justa de causa in Conservatorio degente?

R. Incurrit, quia Conservatorium in tali casu est Moniali pro clausura assignatum. Hinc locutio facta cum Moniali ibi morante, habetur uti facta Moniali degente in Monasterio.

Q. Num incurrat hunc casum qui loquitur cum Moniali in domo propria morante ob justam causam?

R. Non incurrere, quia prohibitum est a Synodo Neapolit. loqui cum Moniali in Monasterio existente. Hinc statim ac Monialis a Monasterio egreditur, et moratur in propria domo cessat prohibitio, nisi aliter expressum sit in licentia egressus a Clausura, nam tunc domus pro illa Moniali est veluti Monasterium, ideoque incurritur casus.

Q. In quam poenam incidunt loquentes de obscoenis cum Moniali, vel cum alia, sive in Monasterio, sive in Conservatorio, aut Collegio commorante?

R. Incidunt in excommunicationem nostro Ordinario reservatam, uti patet ex secunda parte cit. casus, ex quo habetur, quod contrahatur talis excommunicatio sive quis egerit de rebus obscoenis per actus impudicos, sive per internuncios. Porro incidunt etiam in excommunicationem, qui deferunt praedictas litteras praedictis personis de obscoenis tractantes.

Q. Quid discriminis intercedat inter hunc casum posteriorem, et priorem?

R. Plura discriminis capita ex utriusque casus lectione, atque collatione colligere cuique facile erit, quae majoris claritatis gratia hic breviter adnotanda.

I. In priori casu solum loquentes cum Monialibus, hic etiam agentes de rebus inhonestis coram aliqua praedictarum sive per verba, aut actus impudicos, sive absentes per litteras, aut internuncios poena reservatae excommunicationis plectuntur.

II. In priori casu solum commorantes in Monasteriis; in posteriori vero comprehenduntur etiam commorantes in Conservatoriis, et Collegiis.

III. In priori casu ex fere communi Theologorum sensu excipiuntur Mulieres, licet alii oppositum sentiant, nam in casu habetur verbum: *Loquentes*, quod complectitur tam viros, quam mulieres. Insuper, et consanguinei in primo, et secundo grado consanguinitatis. In posteriori vero nulli excipiendi sunt, sed omnes sive mulieres, sive consanguinei, sive quicum-

Digitized by Google

que alii, qui aut cum ipsis, aut coram ipsis de rebus inhonestis colloquantur, aut pertractent, incidunt in poenam reservatae excommunicationis.

IV. Nulla in posteriori casu admittenda causa excusans sive a reatu gravioris peccati, sive a poena reservatae excommunicationis, neque materiae parvitas, neque periculum etiam gravissimi damni incurrendi. At in priori casu aliter se rem habere jam ostendimus.

V. In hoc posteriori casu non solum mittentes litteras, aut internuncios, verum etiam deferentes afficiuntur poena reservatae excommunicationis sive intra, sive extra Monasteria, et Collegia commorentur. Vide Ciera loc. cit. scite disputantem hunc casum Et satis de Poenitentia.

ADDITAMENTA

DE CASIBUS IN NEAPOLITANA DIOECESI ORDINARIO RESERVATIS

Casus reservati, quibus adnexa est excommunicatio ipso facto.

I. Omnes utriusque sexus, et cujusvis status, ac dignitatis personae, quae Haereticorum cujusque sectae coetus adeunt, in quibus conciones, et catechismi, aut quicumque eorum ritus, praesertim a Sancta Catholica Romana Ecclesia damnati exercentur, quoties hujusmodi exercitiis, quovis praetextu, et occasione, etiam simplicis curiositatis, assistunt.

II. Omnes personae utriusque sexus, quae vel per se, vel per alium SS. Altaris Sacramento Chrismate, Oleo Sancto, sive quacumque alia re consecrata, ad Veneficia, Divinationes, Sortilegia, aut ad alium usum, quam fuerint ordinata vel instituta, quomodolibet abutantur: omuesque utriusque sexus, qui de praedictis ad praedictos fines aliquid sumpserint, vel alicui dederint, aut datum acceperint etiam abusu minime subsecuto.

III. Omnes utriusque sexus personae, quae Daemoni spondent obsequium, thus, et Sacrificia offerunt, quamvis absque errore intellectus. Insuper quaecumque, sive suo, sive alterius nomine condunt, aut condere faciunt imagines, annlos, aut quodvis aliud artefactum in quo Daemonem constringant.

IV. Venefici, et Veneficae omnes, Necromantes, Divinatores, Sortilegi, Lamiae, Striges, sive quovis alio nomine nuncupentur, ex utroque sexu, qui cum expressa Daemonis invocatione ad captandam dilectionem, vel odium concitandum, sive ad inveniendos thesauros, aut ad alium finem quemcumque utuntur incantationibus, aliisque maleficiis, sive etiam ligaturis, ut a naturali, et legitimo matrimonii usu conjuges avertant, aut scienter in praefatis cooperantes, aut quovis modo consentientes. Declaramus autem ex praedictis criminibus, in supradictis II. III. et IV. Casibus contentis, excommunicationem Nobis reservatam ipso facto incurrere non solum eos,

Digitized by Google

qui saepe, et ex arte hujusmodi criminibus operam dant, sed etiam eos qui quomodocumque etiam semel ea perpetraverint.

V. Loquentes sine nostra, vel Vicarii nostri Monialium licentia cum Monialibus in Monasteriis, etiam exemptis, vel cum aliqua, aut aliquibus earum, etiam si sit Conversa, aut Novitia, sive educationis, sive alterius rei causa ibidem commoretur: conjunctis in primo, vel secundo consanguinitatis gradu dumtaxat exceptis. Declarantes, quod qui facultatem obtinuerit loquendi cum aliqua praedictarum, non posit data opera, et ex professo cum aliis loqui. Insuper ii praesertim, qui cum aliqua ex praedictis, aut coram ipsis, tam in Monasteriis, quam Conservatoriis, seu Collegiis commorantibus de rebus obscoenis, per verba, aut actus impudicos praesentes egerint, absentes vero per literas, aut internuncios; necnon viri, aut mulieres, sive intra, sive extra Monasterii, vel Conservatorii, aut Collegii claustra, ac septa qui praedictas literas, vel mandata detulerint.

VI. Omnes in causa criminali, aut civili cum gravi damno alterius falsum deponentes, aut deponendum curantes, nec non inducentes ad falsum deponendum, falsisque testibus, depositionibus, instrumentis, scripturis, tam publicis, quam privatis quomodocumque utentes directe, vel indirecte, in quavis Curia Civitatis, et Dioecesis Neapolitanae. Item, quicumque falsum aliquod impedimentum Matrimonii dolose objecerint: necnon consilium, vel auxilium ad illud dolose objiciendum dantes.

VII. Confessarii omnes etiam Parochi, ad inhonesta personam quamcumque, sive in actu Confessionis, sive ante, vel post immediate, aut praetextu, vel occasione Confessionis, etiam Confessione non secuta, vel extra Confessionem in Confessionalibus sollicitantes, aut quomodolibet cum iisdem impudice tractantes. Respectu Regularium vero censuram suspensionis ab audiendis Confessionibus, quam ipso facto incurrunt Nobis tantummodo reservamus.

VIII. Pariter Confessarii omnes, etiam Parochi attentantes praedictas personas, et quascumque alias, cum quibus extra antedictos casus, quomodolibet impudice versati fuerint a peccatis, quorum ipsi complices sint, nulliter absolvere; qui omnes etiam Regulares, etiam in censuram suspensionis ab audiendis Confessionibus ipso facto incidunt, Nobis tantummodo reservamus.

IX. Incestus cum conjunctis in primo, vel secundo gradu consanguinitatis, vel affinitatis. Mulieres autem si vere sint poenitentes, a quocumque Confessario a Nobis adprobato absolvi possunt, gravi tamen imposita poenitentia salutari, et dummodo occasio proxima facta sit salutaribus mediis moraliter remota.

X. Qui contra dispositionem Sacrorum Canonum Clericos quos noverint, ad forum saeculare traxerint, etiam consentiente reo: extra Casus hac in re, tum in Bulla Coenae Domini, tum in Martini V. Constit. Ad reprimendos Summo Pontifici reservatos (1).

(1) Conventione novissima an. 1818. inter Summum Pontificem Pium VII; et Ferdinandum I. olim Utriusque Siciliae Regem art. XX. cautum.

Archiepiscopi, et Episcopi in exercitio eorum pastoralis ministerii prorsus liberi erunt secundum sacros Canones.

Caussas ecclesiasticas, atque in primis caussas Matrimoniales, quae juxta Cano-

Digitized by Google

XI. Homicidia, vel mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, Coemeteriis, aut Sacristiis, aut publicis Oratoriis patrantes.

XII. Conficientes cujuscumque generis venena in hominum perniciem: eadem scienter dantes, apponentes, vel quomodolibet propinantes, sive ad hoc qualitercumque cooperantes, vel consulentes, etiam non secuto effectu.

XIII. Cujuscumque conditionis personae, quae libros in Civitatem vel Dioecesim introducunt, vel scienter introductos tradunt, aut traditos recipiunt, sive de eadem Civitate, et Dioecesi extrahant, priusquam a Deputatis nostris fuerint recogniti. Similiter Bibliopolae, qui Bibliothecas emunt, non exhibito prius praedictis Deputatis emptorum librorum cathalogo. Transgressores etiam, de nostra licentia numquam absolvantur, quousque libros sine praedictis requisitis introductos, aut emptos recognitione subjecerint. Typographi similiter, et eorum operarii, qui sine nostra, vel Vicarii nostri licentia libros, aut cujuscumque generis folia imprimunt: praeterea Auctores eorum, si typis mandant, vel quicumque mandari faciunt (1).

XIV. Qui in Paschate non communicantes ab aliis dolose accipiunt schedulas, seu chartulas, quae eo tempore distribui solent in Metropolitana, vel in Parochiis, ut fidem Parocho exhibeant de peracta Communione. Item illi, qui easdem non communicantibus quomodocumque accomodant in fraudem, aut utcumque cooperantes.

XV. Falsarii monetarum, videlicet ii qui monetas quomodocumque vitiant, nimirum vel diminuendo, vel fundendo, aut imprimendo cum deteriori liga, aut sine legitimo Principis sigillo.

XVI. Sponsi, et Sponsae post contracta sponsalia, etiam privata inter se, et ante matrimonium legitime celebratum, carnalem inter se copulam habentes: nec non parentes, consanguinei, et affines omnes, aut quicumque domus curam habentes, eamdem carnalem copulam, vel sponsorum cohabitationem, vel pernoctationem, etiam pro una vice permittentes.

CASUS RESERVATI SINE EXCOMMUNICATIONE

I. Blasphemantes Deum, vel B. Virginem ex perversa consuetudine coram pluribus supra quatuor.

II. Exercentes peccatum sodomiae, vel cum brutis coeuntes, ita tamen, ut his luxuriae casibus masculi tantum comprehendantur.

III. Confessarii omnes, etiam Curati ad abscoena quaslibet personas sibi frequenter confitentes, licet non immediate post, vel ante Confessionem inducentes, seu sollicitantes, vel cum iis quomodolibet impudice tractantes.

IV. Medici, qui visitantes in lecto infirmos post tres dies a visitatione non curaverint, ut praedicti infirmi peccata sua idoneo Confessario confiteantur, aut alias non deseruerint, secundum terminos Constitutionum S. Pii V. et Innocentii XI.

nem XII. Sess. 24. Sacri Concilii Tridentini ad Judices ecclesiasticos spectant, in Foro eorum cognoscent, ac de iis sententiam ferent.

Haec dispositio non respicit caussas civiles Clericorum, ex. gr. contractuum, debitorum, hereditatum, quas laici Judices cognoscent, et definient.

(1) Videsis nostras additiones ad Tract. VIII. Cap. V. §. II. *de lectione librorum prohibitorum* Tom. II. pag. 153.

Digitized by Google

V. Debitores quorumlibet piorum locorum, sive eorumdem administratores, si intra mensem etiam extra judicialiter, requisiti a Rectoribus, Procuratoribus, seu Administratoribus dictorum locorum redditus, et census non solverint.

VI. Non absolvantur Concubinarii, et Concubinae, etiamsi excommunicationis sententia in eos lata non fuerit, nisi facta reali separatione, et thori, et domus, per duos menses se continuerint, vel nisi certo, aut valde probabiliter constet factos physice, vel moraliter impotentes ad reincidendum, aut paulo post esse inter se matrimonium contracturos.

VII. Omnes utriusque sexus, qui a Dominica Palmarum usque ad diem Ascensionis Domini inclusive, Paschalis Communionis praecepto in Cathedrali, vel propria Parochia non satisfecerint, Interdicti poenam in Cap. *Omnis utriusque sexus de poenit, et Remiss.* ipso facto incurrunt a Nobis sive facultatem a reservatis absolvendi a Nobis, vel Vicario nostro generali habentibus tantummodo relaxandum, dummodo non fuerint nominatim denuntiati (1).

Praestat heic declarationes adjicere, quae facultatem respiciunt a reservatis absolvendi, quaeque extant in Dioecesana Synodo coacta an. 1726. ab Eminentissimo Francisco Pignatelli Archiepiscopo Neapolitano (2).

Declaramus autem praedictis omnibus exceptis, quorum nullam concedimus facultatem propter mortis articulum, Parochos in propria Paroecia, aliosque Confessarios tam saeculares, quam regulares in eorum Ecclesiis, et ubique: pro Sacerdotibus, et infirmis a nobis, vel a Vicario nostro Generali adprobatos, sive adprobandos, audita integra Confessione absolvere posse ab omnibus aliis casibus, et censuris, quae per edicta, aut Synodales constitutiones Nobis, sive Archiepiscopo Neapolitano reservantur.

Monemus autem, et hortamur in Domino Parochos, et Confessarios omnes tam Regulares, quam Saeculares, ut quamvis eis facultatem absolvendi ab aliis reservatis in hoc capite non contentis, vel non expressis, et a tribus etiam casibus in pagella Confessariorum expressis: Parochis vero absolvendi insuper Sponsos brevi contracturos, et eos, qui Paschalis Praecepto Communionis non satisfecerunt, concedamus: graviter tamen ipsi admoneant hanc absolutionem poenitentes hujusmodi de gravitate peccati; et censura, in quam inciderunt, ut dolentes magis poenitentiam agant, et in eadem peccata relabi formident. Satagant igitur ita se gerere in absolvendo, ac si toties a Nobis concedatur facultas, quoties opus sit, et graviora satisfactionis opera imponant, prout de jure in absolutione a reservatis.

Praeterea declaramus, si cui in posterum a Nobis concedetur facultas absolvendi ab omnibus censuris, a casibus Nobis reservatis: a locutione tamen cum Monialibus, sive aliis in Monasteriis degentibus de rebus obscoenis, aliisque ut dictum est, actibus impudicis, numquam intelligi concessam, nisi facta fuerit expressa mentio de ea.

Similiter declaramus sine expressa mentione, et speciali concessione, et deputatione nostra non censeri concessam facultatem absolvendi a casu in-

(1) Ex rescripto S. C. an. 1745. tempus adimplendi praeceptum Communionis pro Neapolitana Dioecesi protractum fuit usque ad Dominicam SS. Trinitatis.

(2) *Par. II. Cap. VI. de Reservatis edit. Rom. pag. 71.*

Digitized by Google

vitationum ad Ecclesias Monialium, et Regularium quomodolibet exemptorum occasione quarumcumque functionum, et solemnitatum, cui Summus Pontifex voluit adnexam esse excommunicationem sibi, et Nobis tantum reservatam. Nec a casu expensarum factarum a Monialibus aliisque in Monasteriis, Conservatoriis, Collegiis, Domibusque Oblatarum degentibus ratione officii, in quibuscumque functionibus, aut festivitatibus, cujus absolutionem praecepit etiam summus Pontifex esse Nobis tantummodo reservatam. Nec denique a ceteris casibus omnibus, quibus est adnexa excommunicatio Summo Pontifici, et Nobis reservata.

Denique ante XIV. aetatis annum completum neminem censuris hisce, et casibus comprehendi volumus.

DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS

CAPUT I.

De definitione, institutione, materia, et forma hujusce Sacramenti

Q. Quid est Sacramentum Extremae Unctionis?

R. Est Sacramentum, quo praeter gratiam sanctificantem, datur jus ad auxilia, quae necessaria sunt, ut aegrotus patienter ferat morbi incommoda, et recuperare possit corporis sanitatem, ubi expedierit Animae saluti. Juvenin.

Q. Quisnam instituit hoc Sacramentum?

R. Est de Fide, extremam Unctionem esse verum, et proprie dictum Sacramentum novae legis a Christo Domino institutum. Nam sic docet Concil. Florent. in decreto union, et Trident. sess. 14. de extrema Unctione Cap. 1. ibi: *Instituta est autem Sacra haec Unctio infirmorum, tamquam vere, et proprie Sacramentum novi Testamenti a Christo Domino nostro apud Marcum quidem (Cap. 6.) insinuatum, per Jacobum autem Apostolum, ac Domini Fratrem fidelibus commendatum, ac promulgatum (Jacob. 5) Infirmatur*, inquit, *quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, dimittentur ei.*

Q. Quaenam est materia hujusce Sacramenti?

R. Materia remota, est oleum ex olivis expressum. Materia vero proxima, est unctio eodem oleo facta; Juxta illud Jacobi Cap. 5. *Ungentes eum oleo in nomine Domini.* Quare Trident. loc. cit., ait. *Intellexit enim Ecclesia materiam esse oleum ab Episcopo benedictum; nam unctio aptissime Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter Anima aegrotantis inungitur repraesentat.*

Q. Quaenam est forma hujus Sacramenti?

R. Sunt sequentia verba: *Per istam Sanctam Unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum, auditum, odoratum etc.* deliquisti: *ita Concil. Trident. loc. cit., et Ritual. Roman. tit. de Extrem. Unct.*

Digitized by Google

CAPUT II.

De Ministro Sacramenti Extremae Unctionis, et de iis, quibus conferri debet

Q. Quis est Minister hujus Sacramenti?

R. De fide est, solum Sacerdotem esse Ministrum hujusce Sacramenti, juxta haec verba D. Jacobi: *Inducat Presbyteros Ecclesiae.* Quare Tridentinum sess. 14. de extrem. unct. can. 4. statuit: *Si quis dixerit, proprium extremae Unctionis Ministrum non esse solum Sacerdotem, anathema sit.*

Q. Num quilibet Sacerdos possit licite, sicut valide, conferre extremam Unctionem?

R. Minime, nam conferre extremam Unctionem competit solis Parochis, vel delegatis ab illis, Clement. 1. de Privileg. Praeterea Parochus peccat mortaliter, si infirmo petenti hoc Sacramentum negligat aut sine justa causa differat illi conferre cum probabili periculo, ne sine ipso Sacramento moriatur infirmus, quia in re gravi non praestat id, ad quod tenetur ex justitia. Ita communiter.

Q. Quibus infirmis est impertienda Extrema Unctio?

R. Juxta mentem, ritum, ac traditionem Ecclesiae Latinae Extrema Unctio solis impertienda est infirmis in periculo probabili mortis constitutis, puta causa morbi, vulneris, partus, senectutis etc., nec expectanda est extremae vitae periodus. Quare Eugen. IV. in decreto pro Armenis, ait: *Hoc Sacramentum, nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet.* Idem expresse docet Concil. Trid. sess. 14. Cap. 3. de Extrem. Unct. Praeterea non potest dari hoc Sacramentum iis, qui sine aliqua infirmitate versantur in periculo mortis, ut praeliaturi, in naufragio constituti, morte plectendi, et hujusmodi, quia, quamvis timeatur de ejus morte, non sunt tamen infirmi, quibus solum est administranda extrema Unctio juxta textum D. Jacobi: *Infirmatur quis in vobis.*

Q. An Extrema Unctio possit reiterari?

R. Maxime, nam ita declaravit Trident. sess. 14. Cap. 3., his verbis: *Quod si infirmi post susceptam hanc Unctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti subsidio juvare poterunt, cum in aliud simile discrimen inciderint*, attamen Concilium istis verbis satis aperte indicat, Extremam Unctionem non esse iterandam in eodem morbo perseveranti. Habert, Juvenin., Bert., aliique.

CAPUT III.

De effectibus Sacramenti Extremae Unctionis

Q. Quinam sunt effectus Extremae Unctionis?

R. Effectus speciales, et praecipui hujusce Sacramenti sunt quatuor I. Est remissio peccatorum venialium primario, et per se, si quae habet infirmus, nondum aliunde remissa, et remissio mortalium secundario, et per ac-

Digitized by Google

cidens, nempe si infirmus reperiatur cum peccatis mortalibus a se invincibiliter ignoratis, quatenus bona fide confessus est, sed ob aliquem defectum essentialem a se invincibiliter ignoratum confessio fuit invalida; nam tunc hoc Sacramentum confert per accidens primam gratiam: ita communiter, et colligitur ex Textu D. Jacobi, ibi: *et si in peccatis sit, dimittuntur ei.* Confer Concil. Trident. Sess. 14, Cap. 2. de Extrema Unctione. II. Effectus est alleviare infirmum, textu expresso in cit. Epistola D. Jacobi Cap. 5. ibi: *et alleviabit eum Dominus.* III. Et reliquias peccatorum abstergere, Trid. loc. cit., ibi: *ac peccati reliquias abstergit.* IV. Est liberare infirmum ab infirmitate sua corporali, ubi saluti Animae id expedierit, juxta illud cit. Epistolae: *et oratio fidei salvabit infirmum.*

Q. Quid intelligitur per peccatorum reliquias?

R. Intelligitur propensio ad malum, torpor ad bonum operandum, mentis debilitas ad coelestium contemplationem, Juvenin., Habert.

Q. Quid intelligitur per aegrotantis alleviationem?

R. Intelligitur robur tum ad patienter ferenda morbi incommoda, tum ad resistendum diabolo: nam tunc diabolus omnia suscitat, ut facilius ad finalem desperationem reducat moribundum, juxta illud Apocalip. Cap. 12: *Descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quia modicum tempus habet.*

Q. Extrema Unctio estne necessaria necessitate medii?

R. Minime, quia cum non sit Sacramentum mortuorum, sine ea potest haberi gratia sanctificans, nempe per Baptismum, et poenitentiam. Est tamen necessitate praecepti Divini, et Ecclesiastici, uti clare patet ex verbis cit. Epistol. Canon. *Inducat Presbyteros Ecclesiae.* Ita etiam Ecclesia semper curavit, ne quis non unctus infirmorum oleo exiret ex hac mortalium vita. Quare Concilium Coloniense 1. anni 1586, ait: *Sacra Unctio impendatur cum expositione mandati Apostolici.*

ADDITAMENTA EX S. LIGORIO

DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS (1)

Quaeritur, in quo morbi gradu danda est, vel dari potest Extrema Unctio? Quando adest periculum proximae mortis, tunc non dubitatur, quin non solum possit, sed etiam danda est juxta Rit: *debet hoc Sacramentum infirmis praeberi, qui tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur:* et juxta communem DD. cum *Catech. Rom.* (*de Extr. Unct.* §. 9.) peccat graviter Parochus qui differt Extremam Unctionem usquequo infirmus destituatur sensibus; nam tum ille privatur effectus consequendi salutem tam animae, quam corporis, quam consecuturus fuisset, si tempestive inunctus fuisset: *Gravissime peccant* (dicit Catechismus) *qui*

(1) *Homo apost. Tract. XVII. Cap. 1. §. 7. et seq.*

Digitized by Google

lud tempus aegroti ungendi observare solent, cum jam omni salutis spe missa, vita, et sensibus carere incipiat. Idcirco Bened. XIV. in Euchologio Graecorum, sive Rituale Graecis assignato (Vide in Bullar. loc. cit. . 46.) praecipit, ut hoc Sacramentum praebeatur, dum infirmi *sibi constant, et sui compotes sunt*.....

Notandum 1. quod dicit Rit. circa repetitionem hujus Sacramenti: *In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit, ut cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis incidit.* Adeoque cum infirmitas non est diuturna, nempe non est febris tabida, hydropisis, et similes, non potest denuo ungi, nisi convaluerit et iterum in aliud vitae discrimen inciderit. Quando autem est diuturna, si ille in eodem vitae periculo perduravit, nec potest quidem denuo inungi, secus autem si illud periculum evasit (non post quatuor, aut quinque dies, sed post tempus notabile, ut communiter dicunt *Conin; Suar; Wig; Bonac; Viva* etc.), et deinde iterum in illud incidit, et hoc scite docet *Bened. XIV.* posse licite practicari etiam in dubio (intellige positivo), quod mutatus sit status infirmi.

Notandum 2. quod Extrema Unctio non est danda pueris ratione expertibus, ut dicit *S. Thomas*, (Suppl. q. 33. a. 4.), et etiam Ritual. Rom., quia in infantibus non potest verificari forma, in qua exprimitur remissio peccati, non quidem originalis (cum hoc remissum sit), sed actualis. *Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti* etc. Contra sententia communior, et probabilior est cum *Laym; Nav; Suar; Val; Sa, Escob; Spor; et Ben. XIV.* adversus Sot; Wig; praebendam esse. E. U. pueris ratione pollentibus, licet non adhuc Communionis capaces, dum in Rit. expresse dicatur: *Debet hoc Sacramentum infirmis praeberi qui ad usum rationis pervenerint.* Nec obstat *S. Thomas* loc. cit., ubi dicit *non debet* dari *pueris*; nam intellige rationis expertibus, dum ratio ibi a sancto assignata alia non est, nisi quod ipsi sunt incapaces peccati actualis.

Notandum 3., non esse praebendam E. U. perpetuo amentibus; dico *perpetuo*, quia si aliquod lucis intervallum habent, possunt recte inungi, ut dicit *S. Thomas*: imo dicit Rit. *infirmis, qui dum sana mente essent, illud petierunt, seu verosimiliter petiissent, seu qui dederint signa contritionis, etiamsi deinde loquelam amiserint, vel amentes effecti sunt, vel delirent, aut non sentiant, nihilominus praebeatur.* Sed si suspicatur quod infirmus phrenesim patiens posset aliquid contra Sacramenti reverentiam committere, non est inungendus, *nisi* (ait Rit.) *periculum tollatur* omnino. Hoc periculum tamen probabiliter, dicit *Tamb.* potest removeri infirmum ligando, aut efficiendo, ut ab aliis teneatur. Ebrii qui jam jam morituri sunt, etiam inungendi sunt, ut dicunt *Croix, Gobat, et Lohner*, modo non constet eos in peccato mortali existere, dum Rit. dicit: *Impoenitentibus, et qui in manifesto peccato mortali sunt, et Excommunicatis penitus denegetur.* Dicunt tamen *Conin. Tamb. Lohner, et Croix.* quod vulnerati in aliqua rixa sensibus destituti, possunt sub conditione inungi, dum recte praesumi potest, quod in illo extremo statu eos peccatorum suorum poeniteat, si usus rationis in ejs reperitur. Muti autem, Surdi et Caeci a nativitate procul dubio inungendi sunt, etiam in sensibus, quibus privantur; quia licet cum illis non peccassent externe, nihilominus potuerunt peccare co-

Digitized by Google

gitatione, ita communiter, *Possev. Sulm., Diana, Praepos.* etc. *cum S. Carolo Borrom.*; et *S. Thoma*, quicquid dicant *Croix*, et *Gobat.*

DE SACRAMENTO ORDINIS.

CAPUT I.

De definitione, et divisione Sacramenti Ordinis

Q. Quid est Sacramentum Ordinis?

R. Est Sacramentum novae Legis initerabile, quo subjecto capaci cum impressione characteris spiritualis potestas confertur ad Sacramentum Eucharistiae conficiendum, aut circa illud ministrandum, atque ad alia ministeria Ecclesiastica rite, atque ex officio obeunda, communiter.

Q. Num Sacra Ordinatio sit verum Sacramentum novae Legis?

R. Maxime, et est de fide, uti Catholici omnes docent, nam ad Sacramentum tria requiruntur. I. Symbolum externum, seu ritus sensibilis. II. Promissio gratiae. III. Institutio Divina. Haec tria in Sacra Ordinatione habentur. Sane, Symbolum externum apparet in impositione manuum, et oratione sensibili, juxta illud Actor. 6.: *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, et orantes imposuerunt eis manus*, et Cap. 13. Habetur: *Tunc jejunantes, et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos.* Praeterea Concil. Trident. sess. 23. Cap. 3. definit: *Cum Scripturae testimonio, Apostolica traditione, et Patrum unanimi consensu perspicuum sit per sacram Ordinationem, quae verbis, et signis exterioribus perficitur gratiam conferri, dubitare nemo debet, Ordinem esse vere, et proprie unum ex septem Sanctae Ecclesiae Sacramentis.* Tandem can. 3. cit. sess. errores Novatorum profligat, Concin., Juvenin., Bellarmin., aliique.

Q. Quot sunt Ordines?

R. Ordines secundum Theologos, et Canonistas sunt septem, scilicet Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolythatus, Subdiaconatus, Diaconatus, et Presbyteratus. Ita tamen, quòd isti posteriores vocantur Sacri, et Majores, alii quatuor Minores. Trident. sess. 22. Cap. 11.

De officio, et definitione cujusque Ordinis seorsim spectati, vide Habert tom. 7., Juvenin. dissert. 8., et 9. de Sacram. Ordin., Bellarmin., Berti, et Ferr. verb. *Ordo.*

CAPUT II.

De materia, forma, et Ministro Ordinis

Q. Quaenam est materia, et forma Sacramenti Ordinis?

R. Materia essentialis Episcopatus, Presbyteratus, et Diaconatus est impositio manuum, forma vero est oratio eidem adjuncta, nam hic fuit usus perpetuus universalis Ecclesiae in ordinandis Sacris Ministris per impositionem manuum, et orationem. Quare Apostolus 1. ad Timoth. 5.: *Manus cito nemini imposueris*, et. Cap. 4: *Noli negligere gratiam, quae in te*

Digitized by Google

est, quae data est tibi. . . . cum impositione manuum Presbyterii. Materia Subdiaconatus, et minorum Ordinum est porrectio instrumentorum, forma vero est oratio, quae in porrectione horum instrumentorum recitatur. Concina, Stampò, Juvenin.

Q. Quis est Minister Ordinis.

R. De fide est solum Episcopum esse Ministrum Ordinis, uti definit Concil. Trident. sess. 23. can. 7. adversus Novatores: *Si quis dixerit Episcopos . . . non habere potestatem ordinandi, et confirmandi, vel eam, quam habent, esse illis cum Presbyteris communem, anathema sit.* Quare Hieronymus in epistola ed Evagrium id docet: *Quid facit Episcopus, excepta Ordinatione, quod Presbyter non faciat?*

Q. Quinam sunt effectus Sacrae Ordinationis?

R. Duo sunt: Gratia sanctificans, et Character, unde semel valide data iterari non potest, Juvenin.

Atque haec de reliquis Sacramentis dixisse satis. Superest modo, ut de Sacramento Matrimonii distinctius atque accuratius agamus, id enim nostro proposito instituto, quo Moralium disciplinam pertractare, atque illlustrare in animo nobis proposuimus, maximopere necessarium nemo esse poterit, quin videat, ac persentiscat.

ADDITAMENTA EX S. LIGORIO

DE VOCATIONE DIVINA REQUISITA IN ORDINANDO (1).

Requiritur in Ordinando vocatio divina, de qua cum sit res tanti momenti, unde pendet aeterna salus tam Ordinandorum quam populi christiani, mirum est quod tot Morales Scriptores nullum verbum faciant praeter paucos inter quos fuse et egregie signanter scripserunt de hoc puncto *Habert tom. 7. ex p. 433.* et *P Concin. tom. X. ex p. 42.* quam necessaria sit hujusmodi vocatio, patet ex SS. Patribus et ex ipsis sacris Scripturis, et praesertim ex illo D. Pauli *ab Heb. 5. 4.* ubi: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum Filius meus es tu.* Unde Apostoli, ut in locum Judae alium surrogarent, sic Deum deprecati sunt: *Tu Domine ostende quem elegeris.* Et Christus *Joan 10.* 1. dixit: *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, fur est et latro, qui autem intrat per ostium pastor est ovium,* qualis est quidem quivis Sacerdos, dum cuivis Sacerdoti committitur incumbere saluti animarum. Et rursus Joan. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. . .ut fructum afferatis, et fructus vester maneat.* Rursus Lucae 10. *Rogate Dominum messis, ut mittat operarios suos in messem suam.* Illi igitur, qui non vocati a Deo in sacra ministeria se intrudunt, ipsi sunt, de

(1) *Theol. mor. Lib. VI. Tract. V. de Ordine Dub. II. §. XV., et seq.*

Digitized by Google

quibus per Jeremiam (23. 21.) inquit, *Non mittebam Prophetas et ipsi currebant*. Quo quidem hominum genere, ut ait Catechismus, nihil infelicius ac miserius, nihil Ecclesiae calamitosius esse potest.

Praecipua autem signa divinae vocationis ad statum ecclesiasticum sunt I. Scientia conveniens, de qua jam egimus n. 790. II. Probitas vitae, de qua loquens *Trident. sess. 23. c. 12.* sic ait: *Sciant Episcopi debere ad hos Ordines assumi dignos dumtaxat, et quorum probata vita senectus sit* juxta illud (Sap. 4. 9.). *Aetas senectutis vita immaculata*. Hinc Apostolus 1. *Tim.* 3 *prohibet ordinari neophitos*, idest (ut explicat in d. loco D. Th.) *qui non solum aetate neophiti sunt sed et qui neophiti sunt perfectione*. Quapropter idem S. Doctor 2. 2. qu. 18. art. 1. ad 3. dicit: *Ordines sacri praeexigunt sanctitatem*. Et Suppl. *qu. 35. art. 1. ad 3.* ait: *Ad idoneam executionem Ordinum non sufficit bonitas qualiscumque sed requiritur bonitas excellens*. Hanc rationem de hoc assignans: *Ut sicut illi qui Ordinem suscipiunt super plebem constituuntur gradu Ordinis; ita et superiores sint merito sanctitatis*. Unde sic concludit: *Et ideo praeexigitur gratia quae sufficiat ad hoc quod digne connumerentur in plebem Christi*. Idque prius dixit S. Dionysius (*c. 3. de Eccle. Hierarc.*) *in divino omni non audendum aliis ducem fieri nisi secundum omnem habitum suum factus sit Deiformissimus, et Deosimillimus*. Qui autem habet sanctitatem ordinariam, nempe solam gratiam habitualem non potest quidem dici *secundum omnem habitum suum Deo simillimus*. Ad hoc facit etiam illud celebr. *D. Aug.* dictum: *Aliquando bonus Monachus vix bonum facit Clericum*, et illud aliud D. Hieron. ad Rusticum. *Sic vive in Monasterio ut Clericus esse merearis*. Unde scripsit S. Jo. Chrysost. l. 2. de Sacerdot c. 2. *Multo major vitae integritas huic* (*idest Clerico*) *quam illis* (nempe Monachis *necessaria*. III. Signum est recta intentio, nimirum desiderium vacandi divinae gloriae, et saluti animarum, non autem (ut ait D. Bernardus *Declam. in Evang. Ecce nos* etc. (*honorem quaerendi proprium, aut corporis voluntatem, quae sua sunt, non quae Jesu Christi*. Qui autem sine vocatione, ex talibus signis explorata in sacrum ministerium se intrudit, non potest quidem a gravi praesumptione excusari. Et quomodo S. Anselmus (*in cap. 5. ad Hebr.*) super illud Apostoli. *Nec quisque sumit* etc. de hoc loquitur: *Qui enim se ingerit, et propriam gloriam quaerit gratiae Dei rapinam facit, et ideo non accipit benedictionem, sed maledictionem*. Et ratio hujus eruitur ex eo, quod docet D. Th. (p. 4. q. 27. art. 4.), ubi, *Illos, quos Deus ad aliquid eligit, ita praeparat, et disponat ut ad id, ad quod eliguntur inveniantur idonei secundum illud* (2. Cor. 3.) *Sufficientia nostra ex Deo est, qui et idoneos nos fecit ministros novi testamenti*. Ergo ille, qui non ex Deo eligitur, sed ipse se ingerit, non erit idoneus minister, ideo sapienter ait Habert (de Ord. c. 1. §. 2.) quod iste (non sine magnis difficultatibus poterit saluti suae consulere, manebitque in corpore Ecclesiae, velut membrum in corpore humano suis sedibus motum, quod servire potest, sed aegre, et cum deformitate). Unde concludit: (Licet absolute loquendo salvari possit, difficulter tamen ingredietur viam, et apprehendit media salutis). Cum autem hic magno periculo damnationis se exponat, nescio quomodo a culpa gravi excusetur: *Qui sciens* (ait doctissimus Episcopus Abelly *in Opusc. Sacerdos Christian. cap. 4.*), nulla di-

Digitized by Google

vinae vocationis habita ratione se in Sacerdotium intruderet haud dubie seipsum in apertum salutis discrimen injiceret, peccando scilicet in Spiritum Sanctum, quod quidem peccatum vix, aut rarissime dimitti ex Evangelio discimus.

Huic quidem discrimini tanto magis se committunt Episcopi illi, qui non vocatos ad Ordines sacros promovent ex illo Apostoli (1. Timot. 5.): *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* Quae verba exponens S. Leo Epistol. (1. alias 87) ad *African.* 2. dicit: *Quid est communicare peccatis alienis, nisi talem effici ordinantem, qualis est ille, qui non meruit ordinari?* Hinc Tridentinum, sess. 23. Cap. 7. praecipit Episcopis, ut antequam suos subditos ad Ordines promoveant *institutionem, mores, et doctrinam diligenter investigent, et examinent.* Undique enim in Jure Canonico praescribitur et signanter in Cap. Nullus dist. 24. ut *Nullus Ordinetur, nisi probatus fuerit.* Unde sapienter advertit D. Bernar. ad Ordines admittendos esse tantum *probatos non probandos.* Ad hanc autem probationem ab Episcopo exquirendam non quidem sufficit, quod ipse nihil mali noverit de Ordinando, sed debet fieri certus de ejus positiva probitate juxta sublimitatem gradus, ad quem ille inscius ascendere, ut communiter dicunt *Sotus 4. Sent. Dist. 25.* qu. 1. n. 3. *Sanch. Confess. c. 1 dub. 46. n. 1.* et fusius *Habert., Merbes., Conc. et alii cum D. Th. q. 36. art 4. ad 3.*, ubi dicit: ea minus (idest non solum ut bene explicat Glossa) *hoc requiritur quod nesciat Ordinans aliquid contrarium sanctitati in Ordinando esse, sed etiam exigitur amplius, ut secundum mensuram Ordinis, vel officii injungendi diligentior cura apponatur, ut habeatur certitudo de qualitate promovendorum, saltem ex testimonio aliorum.* Qualitas autem promovendorum est illa, quam expressit idem S. Doctor (in *2 2. q. 189. ar. 1. ad 3.*), ubi dixit: *Ordines sacri praeexigunt sanctitatem; unde pondus Ordinum imponendum parietibus jam per sanctitatem desiccatis* (nempe ut addit) *ab humore vitiorum* Et N. SS. P. Jened. XIV. in Bulla *Ubi primum sapientissime* sic Episcopos alloquitur: *Studiosa et magna adhibita diligentia investigandum a vobis est, an eorum, qui priorum susceperint ministeria, talis fuerit vivendi ratio, et in sacris scientiis progressio, ut vere digni judicandi sint, quibus divato ascende superius cum alioquin expediat in inferiori potius aliquo munere gradu, quam cum suo majori periculo et aliorum scandalo ad altiorem provehi.*

De tali etiam probatione loquens S. Jo. Chrysost. Homil. 16. in Tim. dicit: *Quid est illud cito? Non ex prima probatione, nec secunda, nec tertia, sed ubi consideratio diuturna praecessit exactissimaque discussio, tunc imponito manus. Neque ea res periculo caret, eorum quae ille peccaverit, tu quoque poenam dabis, qui initium dedisti iis praecedentium delictorum.* Qua de re Episcopi in hac probatione expetenda non debent esse contenti simplici attestatione Parochorum, qui humanis ducti respectibus in hujusmodi attestationibus concedendis facile clericis indulgent, ne in se attrahant ipsorum odium, eorumque propinquorum, sed insuper ab aliis fide dignis, capta secreta informatione, certi fieri debent non solum, quod initiandus non fuerit malus, nempe quod non lerit rixosus, non dederit scandalum, frequentando ludos, pravas convesationes, sed etiam quod ille sit positive bonus, scilicet quod vitam agat spiritualem, sit

Digitized by Google

assiduus in Ecclesiis, Sacramenta frequentet, et Orationem, vivat a saecularibus segregatus, sociis morigeratis comitetur, studio vacet, modesta utatur veste etc. Quod si Praelatus sciverit Clericum alicujus publici scandali nota intinctum fuisse, tunc non satis erit communem probationem de eo exigere: sed opus erit plurium annorum experientia emendationem ejus comprobare; juste enim tunc mutuere debet, ne ille pietatem affectet, ut ad Ordines perveniat, quibus susceptis, ad pristinam redibit pravitatem. Dicet aliquis: si hoc observaretur, deficerent utique in Ecclesia Ministri. Recte respondet ad hoc idem Bened. XIV. in Bulla supra citata ex Conc. Lateran. *Melius est pauciores habere ministros, sed probos, atque utiles, quam plures qui nequidquam sunt valituri.* Utrum autem sit semper deneganda a Confessario absolutio Clerico habituato in vitio turpi occulto, qui vult ad Ordines sacros ascendere, sine praevio continentiae experimento? Vide Dissert. de hoc puncto positam in Tr. de Sacram. ex n. 63. Si autem vocatio divina necessaria est ad Sacerdotium, magis erit necessaria ad officia Episcoporum, et Parochorum de quibus loquens D. Th. (2. 2. qu. 185. art. 1.) dicit, quod, *Si aliquis appetat Episcopatum ratione bonorum temporalium, erit illicitum, si ob celsitudinem gradus erit praesumptuosum, sed appetere proximis prodesse est laudabile secundum se. Verum quia prout est Episcopalis actus habet jam gradus celsitudinem, praesumptuosum videtur quod aliquis praeesse appetat ad hoc quod subditis prosit nisi manifesta necessitate imminente.* Id confirmavit N. SS. P. Bened. XIV. in Bulla novissime edita die 12. Apr. 1753. quae incipit *Inclytum* inquiens: Nec unusquisque ignorare debet a peccati culpa immune non esse desiderium ipsum Episcopatus, quia quamvis desiderium aliis juvandi laudabile est, tamen cum hoc adjumentum praestari non valeat sine ipsa Episcopatus sublimitate, ut plurimum ex vitio in insitae praesumptionis ortum habet.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Matrimonium, de quo disputare nunc adgredimur, Deus ipse ab origine mundi instituit in officium Naturae, et Christus Servator in nova lege, ad Sacramenti rationem, ac dignitatem provexit. De eo itaque acturi inspicienda, ac discutienda nobis erunt quae Matrimonium solent anteverterc, ut completa, ac absoluta hujusce rei tractatio haberi possit; nam Nuptiis praeire solent sponsalia, et proclamationes futuri Matrimonii denuntiatrices. Sponsalia quidem semper in Ecclesia praemissa sunt, ut Sponsi ad Sacramenti gratiam compararent, nec temere perpetuo connubii nexu adligarentur, uti patet ex August. lib. 8. Confession. Cap. 3. Ideo e Matrimonio disputaturi, necesse est, ut de Sponsalibus, ac Proclamationibus, quae illud praecedunt, prius inspiciamus. Sit igitur:

CAPUT I.

De Sponsaliorum nomine, natura, et speciebus.

Q. Undedicta sunt Sponsalia?

R. A spondendo, uti patet ex L. *Sponsalia* 2. D. de sponsalib., ibi: *Sponsalia autem dicta sunt a spondendo.* Hinc ille, qui spondet dare puel-

Digitized by Google

lam in uxorem, dicitur *Sponsor*, puella alteri promissa dicitur *Sponsa*, L. *Unde* D. tit. eod. Nomine autem sponsaliorum veniunt vel dona, et munera, quae intercedunt inter sponsos, vel dos, quae datur viro, vel denique contractus sponsaliorum. Vide Gellium Noct. Atticar. Cap. 4.

Q. Quotuplicis generis sunt Sponsalia?

R. Duplicis generis, scilicet, de praesenti, et de futuro. *De praesenti* sunt illa, quae non differunt a matrimonio rato. *De futuro* sunt, quae antecedunt matrimonium quaeque dicuntur vere sponsalia et proprie sic dicta, de quibus nunc disserendum. Quare sponsorum nomine in utroque jure magis proprie et frequentius intelliguntur, qui Matrimonium non contraxerunt, sed promiserunt. Neque hodie aliud significatur nomine sponsaliorum, quam sponsalia de futuro, nisi conditio de *praesenti* addatur.

Q. Quid sunt sponsalia de futuro?

R. Sunt *futuri matrimonii promissio mutua, et libera, externis signis expressa, obligationem pariens.* Ita communiter. Dicitur *mutua*; quia non praesumitur una pars se velle obstringere, nisi altera pars acceptet, et repromittat. Dicitur *libera*, ut intelligatur exclusa coactio, et gravis metus; quibus intervenientibus essent nulla sponsalia. Dicitur *signis externis etc.*, ut videatur, quod non sufficiat actus mere internus; sed etiam requiratur, ut promissio sit manifestata per signa, aut verba externa. Dicitur *obligationem pariens*; quia sponsalia duplicem obligationem pariunt, *naturalem*, et *canonicam*.

Jure naturali tenetur quisque stare promissionibus serio, ac deliberate factis, easque servare sub peccato mortali, si materia gravis sit. Quare cum violet obligationem in suo genere gravissimam, nempe sponsaliorum, ideo graviter peccat, qui ab iisdem sine justa causa resilit. D. Thomas in 4. dist. 27. art. 4. Jure Canonico parturiunt sponsalia publicae honestatis impedimentum, quod efficit, ut sponsi inhabiles fiant ad contrahendum cum Consanguineis in primo gradu juxta Tridentini correctionem, Cap. 3. de reform. Matr. sess. 24; non autem cum Affinibus, Cap. *Juvenes*, et Cap. *Sponsam* de sponsalib.

Q. Quinam sunt effectus sponsaliorum?

R. Sunt tres I. Impedimentum publicae honestatis. II. Obligatio contrahendi matrimonium sub gravi, itaut, si injuste resiliat, tenetur alteri parti restituere impensas factas et damna, si quae obvenerint. III. Jus inchoatum ad corpus sponsae, ita communiter.

Q. Quaenam aetas requiritur ad contrahenda sponsalia?

R. Ætas legitima requisita, et sufficiens tam in femina, quam in masculo pro contrahendis sponsalibus est septennium completum. Ita communiter per textum in Cap. *Litteris*, Cap. *Accessit*, et Cap. *Ad dissolvendum* de desponsat. impuber. At non requiritur, ut semper septennium sit omnino completum, cum aliquando usus rationis potest interdum praevenire hanc aetatem. Vide D. Thom. loc. cit., et Fagnan. in Cap. *Ubi non est* de desponsat. impuber. num. 5. Quod quidem et in Matrimonio contingit, Cap. *Tuae nobis* de desponsat. impuber.

Q. Quaenam personae jure habiles sint ad contrahenda sponsalia?

R. Illae sunt, quae habent aetatem legitimam a jure requisitam, sufficientem usum rationis, et non sint aliquo impedimento sive dirimente, sive impediente irretitae.

Digitized by Google

CAPUT II.

De conditionibus ad contrahenda valide sponsalia de futuro

Q. Quaenam conditiones requiruntur ad sponsalia ?

R. Plures, scilicet ut sint vera, libera, acceptata, mutua, et tandem ut sint inter personas jure habiles, hoc est non irretitas aliquo impedimento, sive dirimente, sive impediente. Quare habens votum castitatis nulliter contrahit sponsalia.

Q. Quotuplici modo sponsalia fieri possunt ?

R. Multiplici modo, scilicet vere, et ficte, absolute, et conditionate, libere, et coacte, tacite, et expresse, per se, et per procuratorem, publice, et clandestine. *Vere* fiunt sponsalia, quando ex utraque parte apponitur verus consensus, et mutuus. *Ficte*, quando habetur fictio in contrahendis sponsalibus. *Absolute*, quando fiunt sponsalia independenter a quacumque conditione, vel circumstantia. *Libere*, quando fiunt sponsalia absque vi, vel metu. *Coacte*, quando fiunt per vim, vel metum. *Tacite*, quando fiunt per signa, vel munera juxta loci consuetudinem. *Expresse*, quando fiunt verbis expressis. *Per se*, quando fiunt per proprias personas. *Per procuratorem*, quando procurator interveniens pro sponso, vel sponsa contrahit. *Publice*, quando celebrantur sponsalia coram Parocho, vel adhibito instrumento dotali. *Clandestine*, quando sine hisce solemnitatibus celebrantur.

Q. An sponsalia ficte celebrata valeant ?

Ante respons. nota. In sponsalibus triplicem fictionem posse advenire Prima habetur, quando quis promittit absque animo promittendi, Secunda, quando promittit absque animo se obligandi. Tertia, quando promittit absque animo exequendi, hoc notato :

R. Sponsalia prima fictione facta non valent, quia revera non habetur promissio, cum defuerit consensus. Si secunda fictionis specie celebrata fuerint, et nec etiam valent, quia deest essentia promissionis, nempe animus se obligandi. Quod est verum etiamsi ea sint juramento vallata, cum juramentum sit quid accessorium, licet obligent tantummodo virtute Religionis, cum juramentum ob honorem Divini Numinis in testem invocati semper servandum est, quoties servatum non redundet in detrimentum tertii, neque in dispendium salutis aeternae, Cap. *Debitores* 6., et Cap. *Cum contingat* 26. de jurejurando..... Tertia fictione celebrata valent ; quia animus exequendi est quid accessorium, et animus se obligandi est quid principale. Hinc, *cum accessorium sequatur naturam sui principalis*, dicendum, sponsalia celebrata absque animo exequendi, sed cum animo se obligandi valere. Ita communiter.

Hic nota. Quod si ex supradictis duabus fictionibus damnum parti deceptae irrogatum est, v. g. quia aliud Matrimonium commodum neglexit, atqua propterea respuit, compensandum est. Ita communiter per textum in Cap. *Si culpa* 9. de injur. Immo hujusmodi contrahentes verum apponere consensum debent in hisce sponsalibus ad reserciendam injuriam parti deceptae illatam.

Q. Num Liberi obligentur sponsalibus a Parentibus pro ipsis celebratis ?

Digitized by Google

R. Maxime, atque est casus expressus in jure, nempe si Parentes sponsalia contraxerint pro filiis sive puberibus, sive impuberibus, et ipsi filii vel expresse consenserint, vel tacite, ut si filii praesentes fuerint, nec contradixerint, tunc ex hujusmodi sponsalibus obligantur filii, atque ex illis oritur justitia, sive impedimentum publicae honestatis. Bonifacius VIII. in Cap. unic. de desponsat. impuber. §. *Porro* in VI.

Q. Quid si filii tempore, quo fuerunt contracta sponsalia, fuerint absentes, atque etiam ignoraverint eadem sponsalia?

R. Adhuc ex hujusmodi sponsalibus filios teneri, atque obstringi dicendum est, modo postquam sciverint, vel expresse, vel tacite, scilicet per aliquod factum. Extra praedictos autem casus ex sponsalibus a Parentibus contractis pro filiis, nec ipsi filii obligantur, nec publicae honestatis justitia, sive impedimentum ex illis consurgit, citat. Cap. unic. de desponsat. impuber.

Q. Quid si parentes spondeant pro filiis septennio minorennibus?

R. Non valere sponsalia, nisi per cohabitationem seu alias verbo, vel facto ipsorum liquido appareat illos factos majores septennio in eadem voluntate perdurare, quia sponsalia hujusmodi, quae ab initio nulla fuerunt, per lapsum dicti temporis non convalescunt, cit. Cap. unic.

Q. An ille, qui ficte promittit matrimonium puellae, causa extorquendi ab ea copulam, tenetur eam in uxorem ducere, habita copula?

R. Vel puella est aequalis conditionis, et tenetur eam ducere in uxorem, non ex vi promissionis, sed ex vi damni illati, vel ut alii dicunt ex vi contractus innominati *do*, *ut des*. Vel non est aequalis conditionis, et non tenetur eam ducere, licet teneatur eam dotare, vel de nuptiis providere; quia in contractibus onerosis solum tenetur quis ex justitia, quod servetur aequalitas, nam in rebus in quibus ad hoc habetur inaequalitas, non tenetur ficte contrahens integre implere, sed solum aequale solvere. Ita communiter cum D. Thoma in 4. dist. 28. q. 1. art. 2. ad 4. contra D. Antonin., aliosque absque ulla distinctione asserentes ficte promittentem non tenere eam ducere, sed tantum eam dotare, vel de nuptiis providere.

Q. Quid dicendum de eo, qui extorsit copulam a vidua sub ficta spe matrimonii?

R. Vel est honestae vitae, et aequalis conditionis, et tenetur rationi damni eam ducere, nam non interest, quod sit corrupta, eo quia matrimonium contrahere cum viduis honestae vitae, nullum dedecus judicatur in hominibus, praesertim nobilibus. Vel non est honestae vitae, et aequalis conditionis, et non tenetur, quia est longe majoris existimationis eam ducere, quam id, quod ab ea accepit, ut si sit meretrix. Sanchez, aliique.

Q. An detur casus, in quo ficte promittens defloror non tenetur eam ducere, quamvis mulier sit aequalis conditionis et honestae vitae?

R. Maxime, et est quando defloror ad bonam frugem se recipiens vult statum meliorem eligere, nempe Religionis, et quando ex tali matrimonio sequitur grave scandalum, mala, rixae, discordiae inter Parentes, exitus infelices, quia tunc mulier non est rationabiliter invita, in quo casu promissor tenetur tantum dotare, vel providere de nuptiis, quia non tenetur ex virtute justitiae ad id, quod sine peccato exequi non potest. Sanchez, Concina. Vid. Cl. Muscettola in dissert. Theologico Legali de Sponsalib.

Digitized by Google

et Matrimon., quae a filiisfamilias contrahuntur Parentibus inciis, vel juste invitis, Dub. V.

Similiter tenetur damna compensare per pecuniam, et non tenetur ad Matrimonium, quando femina deflorata cum alio fornicetur, quia promittenti fecit injuriam, et recedendi juste dedit causam.

Q. Quid si vir superioris conditionis vere, et sponte nuptias promiserit puellae inferioris conditionis ad copulam obtinendam?

R. Tenetur ad nuptias, nisi grave scandalum ex illis merito timeatur; quia tunc juri suo cessit, et ratione promissionis verae, et acceptatae ad nuptias se obligavit. Quare si aliam ducit, tenetur compensare, quantum feminae intererat, habere ipsum in virum, cum tantumdem damni ei injuste illatum sit; nam per promissionem, et corporis sui traditionem acquisivit jus ad rem promissam, tanquam ad aliquid sibi debitum ex justitia. Laymann, Sanchez, aliique.

Q. Ad quid tenetur vir, qui postquam extorsit copulam a muliere sub ficta promissione matrimonii, vult eam ducere, sed ipsa, aut Parentes nolunt matrimonium contrahere?

R. Ad nihil tenetur, quia jam erat paratus eam ducere, et promissionem adimplere, et per ipsum non stetit, quin promissio adimpleretur, Sanchez. Si vero femina sit longe melioris conditionis, nec ei velit nubere, quia aliud sibi dedecus timeretur, juxta Panormitanum tenetur defloretor illam dotare pro damno.

Q. Teneturne fictus promissor ad matrimonium secuta copula, quando puella simulabat se virginem et tamen talis non erat?

R. Minime, tum quia istis causis possunt dissolvi sponsalia valida; tum quia fictio feminae compensatur cum fictione viri, cum utriusque delicta mutua compensatione tollantur, argum. Cap. *intelleximus* 6. de Adulter. In quo tamen casu damnum compensare tenetur, si huic virgini putatae irrogatum sit damnum: communiter.

Q. Ad quid tenetur ille, qui sub promissione matrimonii, consanguineam violavit?

R. Vel impedimentum tale est, quod per dispensationem tolli possit, et tenetur ad dispensationem petendam; quia tali modo potest promissionem adimplere. Vel impedimentum est tale, quod non soleat Pontifex, vel non possit dispensare, et non tenetur ad matrimonium, quia fit moraliter impossibile, sed tenetur compensare injuriam, et damnum, si aliquod illatum sit, reparare.

Q. Num peccet graviter, qui ficte celebrat sponsalia?

R. Maxime, quia decipit Proximum in re gravi, et quia in contractu utrinque obligatorio lex justitiae praecepit, ut uterque vere contrahat, et animum adimplendi habeat (1).

(1) Notandum quod si quis sponsalia cum duabus contrahit, et secunda conscia erat sponsaliorum, quae cum prima inita erant, Matrimonium cum prima erit contrahendum. Si vero erat inscia, aliqui DD. dicunt, quod in casu, quo copula intercessisset cum secunda, sponsus hanc ducere debet. Sed communius, et probabilius dicunt *Nav. Sanch.*, *Led.*, *Bon.*, *Ronc.*, *Elbel*, *Laym..*, *Soto; Holzm.*, *Anacl.*, *Croix* etc. in omni casu ducendam esse primam, quia promissio facta se-

Digitized by Google

Q. An ignorans obligationem sponsalium, teneatur stare sponsalibus cum tali ignorantia initis?

R. Respondent aliqui minime, quia qui ignorat obligationem ex sponsalibus subsequentem, non habet veram voluntatem promittendi, cum non habeat cognitionem verae promissionis. At rectius, ac probabilius melioris notae Auctores contrarium defendunt, quod ex hujusmodi sponsalibus oriatur obligatio eadem adimplendi, tum quia ex promissione libere facta oritur obligatio, tanquam effectus necessarius, tum quia ille, qui absolute vult aliquid, censetur etiam velle illud omne, quod consequitur ejus naturam, ac proinde, qui sponte, ac libera, atque independenter a quacumque conditione contrahit sponsalia, censetur saltem implicite voluisse adstringi illorum obligationi, ideoque ad illa tenetur.

Q. An ille, qui dubitat, num contraxerit sponsalia, teneatur stare illis?

R. Vel dubium est mere negativum, tunc adhibita diligentia, et facta sufficienti consideratione, si nulla appareat probabilis ratio, unde saltem praesumi possit sponsalia revera fuisse contracta, non tenetur stare sponsalibus, cum hujusmodi dubium rejiciendum sit veluti purus, purusque scrupulus, et conscientiae levis, ac temerariae credulitatis, quae saltem ad Pastoris consilium erit contemnenda, atque explodenda, argum. Cap. *Inquisitioni* 44. De sentent. excommunic.

Si autem dubium erit positivum, tunc standum sponsalibus. Etenim cum in dubio semitam debeamus eligere tutiorem, Cap. *Ad audientiam* 12. de homic., ne quis sese committat discrimini violandi legem sponsaliorum, aut agendi contra judicium propriae conscientiae, quod graviter est illicitum, idcirco urgente dubio positivo de celebratione, aut validitate Sponsaliorum, quod aliter excuti non possit, adstringimur ad illa servanda.

Neque obstat huic adsertioni Celsus in L. *Quidquid adstringendae*, quae est 99. D. de Verbor. obligat, ubi decernitur, quod in adstringendis obligationibus quidquid verbis palam non exprimitur, id censetur omissum. Etenim lex isthaec, quam urgere solent probabilismi Patrocinatores, est intelligenda de Foro externo, in quo Judici mandatur, ut reum stipulationis, seu promissorem non damnet, neque adstringat, nisi ad illud, quod verbis palam fiat illum promisisse. Quod quidem est secundum aequitatis regulas; ut nemo adstringatur, aut damnetur ad aliquid, quod sit ultra promittentis voluntatem verbis expressam. Interim tamen quisque semetipsum convenire debet in judicio conscientiae, atque ubi dubium, quo urgetur, excuti non possit ope illius regulae: *Pro eo standum, pro quo stat praesumptio*, ad tutiora servanda, sive amplectenda adstringitur, ne peccandi periculo quis fiat obnoxius. Quod est in proposito casu, et in aliis consimili-

cundae semper nulla est, et de re illicita, cum jam promissa fuerit priori sponsae; ideoque non tenet, licet juramento firmata fuisset. An autem cum intercesserit copula cum secunda debeat prior cedere ex aequitate? Alii affirmant, sed non improbabiliter *Holzm. Anacl. Cuttier, et Pihler* sentiunt, ne teneri quidem ad hoc primam, dum secunda sponsa imbecillitati suae imputare debet incommodum talis damni. *S. Ligorius homo apost. loc. cit. §. 9.*

Digitized by Google

bus ipso Naturae lumine dictante, atque adeo Lege naturali jubente est servandum (1).

Q. Quid si quis dubitat, num contraxerit animo se obligandi?

R. Potiori jure tunc teneri ad sponsalia servanda, tum quia, ut ajunt, possessio stat pro sponsalibus, tum quia multo magis juxta regulam adductam: *Pro eo standum, pro quo stat praesumptio.* Sed quisque praesumitur illud verbis velle exprimere, quod in animo gerit, atque in mente habet; cum ergo verbis quis expressit se velle obligare ad legem sponsaliorum servandam, praesumendum merito erit illud animo, et mente etiam voluisse, ac proinde contraxisse animo se obligandi. Quod quidem, ut patet, satis esse debet, ut quis ad sponsalia servanda teneatur adstrictus.

Q. Num valeant sponsalia per vim, et metum celebrata, sive potius extorta?

R. I. Si sermo sit de vi absoluta, atque efficaci, tunc pro certo omnino habendum sponsalia esse invalida, cum illa urgente, atque impellente omnino desit consensus, et voluntarium; qui enim per coactionem ad aliquid adstringitur, *magis pati, quam agere videtur.* Cap. *Sacris* de his, quae, vi, metuve etc.

R. II. Si vero contracta fuerint per metum, et tunc ita distinguendum. Vel contracta fuerint per metum levem, et tunc pro validis habenda erunt sponsalia, quia metus levis *vanus* dicitur in jure et *vani timoris justa excusatio non est*, L. 146. D. de divers. Regul. Jur. et L. *Nec timorem* D. de eo, quod met. caus, etc., licet in foro conscientiae, et ille, qui metus causa fuit, teneatur injuriam resarcire, et qui metum passus est, possit etiam ad compensandam injuriam sibi illatam privata auctoritate illa rescindere.

R. III. At si celebrata fuerint per metum gravem injuste incussum a causa libera, ad extorquendum consensum, tunc probabilius dicendum ea non valere, quia non habetur sufficiens, et plena libertas ad hunc contractum requisita, quemadmodum et in matrimonio. Cap. *Cum locum* 14. de sponsalib., et Cap. *Ex litteris* 11. de desponsat. Impuber. Praeterea quidquid decernitur de matrimonio, de sponsalibus quoque sancitum est intelligendum, ubi eadem utrobique occurrunt rationes. At matrimonia coacta, et

(1) Quaeritur 1. An in dubio verborum; aut signi promissionis sponsalium sit potius favendum Matrimonio, an libertati? Alii dicunt Matrimonio, sed probabilius (ut dicit *Viva*) favendum est libertati. Quaeritur 2. An teneretur vi sponsalium qui diceret: *Non ducam aliam, nisi te?* Quidquid dicant alii, verior sententia est, et valde communior *Laym.*, *Castrop.*, *Sanch.*, *Escob.*, *Boss. Holzm. Salm. Anacl.*, quae docet istum non posse aliam ducere uxorem, sed non teneri ad illam ducendam. Teneretur tamen, ut dicunt *Pontius*, *Viva*, *et Perez*, si verba essent de praesenti: *Nolo aliam, nisi te.* Mittere annulum, aut alia dona sponsalitia non inducunt sponsalium obligationem, nisi is esset regionis mos, ut docent communiter *Sanch*, *Castrop.*, *Conc.*, *Bossius*, *Busemb.* etc. aut nisi praecessisset promissio alterius partis, et altera acceptasset annulum ab illa missum, et communiter *Castrop. Busemb.*, *Escob. Sanch.*, *Silvest*, *Holzm.*, et alii: aut si missus fuerit a parentibus cum illius consensu, et recte subjungunt *Sanch.*, *Castrop.*, *Boss.*, *Mol.*, etc. Sponsalia autem celebrata inter eos, qui aliquo tenentur impedimento, sub conditione, *si Papa dispensat*, licet non sint valida, obligant tamen ad expectandum usque dum exitus videatur dispensationis, si ipsa de facili obtineri possit. *S. Ligorius homo apost. Tract. XVIII. de Mat. Cap. 1. De sponsal.*, §. 6.

Digitized by Google

invita sunt invalida ne tristes illi sequantur exitus, qui de invitis nuptiis sequi consuevere, cit Cap. *Cum locum*, et Cap. *Veniens* 15. de sponsalibus. Cum ergo eadem ratio urgeat in sponsalibus, dicendum sponsalia quoque metu gravi contracta esse invalida.

Quare merito docent Theologi hujusce sententiae Patroni, quod licet sponsalia ob metum gravem celebrata per se, et directe non reperiantur jure Ecclesiastico irritata, censenda tamen sunt irritari indirecte, et per quamdam consequentiam eo quod matrimonium, tali metu celebratum, ipso jure irritum decernitur, cit. Cap. *Cum locum*, et Cap. *Veniens* de sponsalib., siquidem fieri non potest ut quis promissione sua obligetur ad actum, sive contractum invalidum. Vid. Laym. in Tract. de Pact., et contract., cap. 6.

Aut saltem dici poterit hujusmodi sponsalia metu gravi injuste incusso extorta posse rescindi ad arbitrium illius, qui metum passus est. Etenim aequitati valde repugnat, ut alicui adquiratur jus firmum, et stabile adversus alterum, a quo illud per injuriam, et metum gravem incussum extortum fuit. Qua in hypothesi docent communiter Theologi, teste Cuniliati in tract. de sponsalib. §. 1. n. 14. Quod si ille, qui metum passus est, vellet stare promissioni, pars altera resilire nullo modo potest, sed et ipsa stare tenetur, ne ex iniquitate sua commodum suae libertatis reportare videatur. At prior sententia est dicenda probabilior.

Q. Num sponsalia metu gravi celebrata firmentur juramento?

R. I. Certum est juramento minime firmari hujusmodi sponsalia, quia cum juramentum metu gravi extortum non confirmat contractum, est enim quid accessorium contractui, illum relinquit in suo robore, aut nullitate, ac proinde non firmantur juramento sponsalia metu gravi extorta, sive illa dicantur nulla ipso jure, sive tantum rescindibilia ad arbitrium illius, qui metum passus est, Vid. Sanchez de matrim. lib. 4. disp. 21. n. 1.

R. II. Neque ipsum juramentum hujusmodi sponsalibus appositum obligare virtute Religionis, neque indigere relaxatione, quia dum contractus aliquis prohibetur propter publicam utilitatem, si juramento stabiliatur, juramentum nullam parit obligationem, neque opus erit ejus relaxatione. Sed sponsalia coacta prohibentur propter publicam utilitatem, sicut et ipsum matrimonium, inde enim orirentur rixae, et seditiones inter Conjuges, atque in Republica male consuleretur prolis educationi. Ergo juramentum adjunctum hujusmodi sponsalibus non obligat. Confer Cap. *Si diligenti* de foro compet.

Porro in Cap. *Ex litteris* 11. de desponsat. impuber. puella quaedam duodenis, quae fuerat desponsata, et jurata metu minarum Parentum, h. e. sponsalia contraxerat per metum gravem inducta, et juramento apposito confirmaverat, decernitur non esse cogendam ad servandam obligationem sponsaliorum, licet ad id esset diligenter commonenda. Ergo non tenebatur ad illa servanda neque vi contractus, neque virtute Religionis propter interpositum juramentum. Vid. Sanchez de Matrim. lib. 4. disp. 19. n. 2. et disput. 21. n. 3.

Non desunt tamen Auctores, contrarium sentientes. Vide Cuniliati. Verum proposita a nobis sententia longe probabilior, atque efficacioribus rationibus innixa.

Q. Quaenam libertas requiritur ad sponsalia?

Digitized by Google

R. Libertas perfecta, quae est sufficiens ad peccatum mortale, quia sponsalia sunt contractus humanus, qui humano modo fieri debet, et sicuti ad matrimonium requiritur perfecta libertas, ita et ad sponsalia, quae sunt via ad matrimonium: communiter.

Q. Quid dicendum, si Tutores, Curatores, vel Fratres promittant, sponsalia pro pupillo, minore, vel fratre tacente, et non contradicente?

R. Sponsalia sunt nulla; etenim illud privilegium est tantum concessum Parentibus, ceu patet ex Cap. unic. de desponsat. impuber. in VI. Ratio disparitatis est, quia pater videtur spondere in commodum filiorum, non vero tutor etc., ita Sanchez, et alii passim, licet Layman teneat, quod praesumitur consentire, quando tutor, curator etc. sit talis persona, quae incommodum, aut favorem puellae spondere videatur.

Q. Num sponsalia a Parentibus pro filiis celebrata valeant tam in foro externo, quam interno?

R. Valent tantum in foro externo, quia Lex praesumit, quod filius, vel filia praesens, dum parens spondit, et omni secluso metu non contradicit, vere, ac proprie consentit. Hujusmodi tamen praesumptio in foro interno non attenditur, unde valide erunt sponsalia in tali foro si filius, vel filia apposuit sunm consensum. Neque obstat Textus in Cap. 1. §. *Potest* de desponsat. impuber., ubi dicitur, quod pater filium impuberem matrimonio tradere potest, et filius adepta pubertate illud omnino adimplere debeat; nam ille Textus intelligitur, si filius consensu suo illud ratificet, vel ut ait Glossa cum Abbate, illud matrimonium est adimplendum ex honestate, non vero ex necessitate.

Verum cum isthaec interpretatio Glossae aperte videatur refragari verbis Textus, quae non possunt accipi de sola honestate, cum diserte imponant omnimodam necessitatem, ut patet ex illis verbis: *Omnino debet adimplere*, quod parens promiserat, rectius videtur dicendum hoc fuisse correctum jure novo a Bonifacio VIII. in cit. Cap. unico de desponsat. impuber., ubi decernitur filium impuberem, pro quo forte pater sponsalia contraxerat post adquisitam pubertatem posse ab illis resilire, nec teneri ea implere, nisi tacite, vel expresse in illis consenserint.

Q. Num requiratur praesentia Parochi, et testium ad sponsalia?

R. Non requiritur, quia non datur Lex hoc prohibens, et Concil. Trident. sess. 24. Cap. 1. de reformat. Matrim. irritavit Matrimonium clandestinum, non vero sponsalia, nec porro ad contrahenda sponsalia valida requiritur consensus Parentum, aut eorum, sub quorum cura existunt contrahentes argum. deducto ex Cap. *sufficiat*, causa 27. qu. 2., ibi: *Sufficiat eorum consensus, de quorum conjunctionibus agitur.* Vid. Trident. loc. cit.

Q. Num sponsalia celebrata sub conditione de futuro contingenti valeant?

R. Non valent, nisi post conditionis eventum, eo quia post illam consensus habetur, licet qui sic contrahit, teneatur sponsalibus stare, conditione verificata, et interim non se reddere impotentem: ita communiter.

Q. Quid de eo, qui celebravit sponsalia absoluta, contractis jam sponsalibus conditionatis?

R. Absoluta sunt nulla, quatenus de re illicita, nam res uni promissa non potest alteri promitti. Quin si conditio primorum sponsalium non veri-

Digitized by Google

ficatur, non tenetur stare sponsalibus absolutis, quia quod ab initio fuit invalidum, tractu temporis non convaluit, Cap. *Non firmatur* de Regul. Jur.

Q. Quid si quis contraxerit sponsalia cum duabus sub conditione, quibusnam tenetur stare?

R. Tenetur stare primis, etiamsi conditio posteriorum sponsaliorum primo eveniat, quia posterior desponsatio neque licita, neque invalida fuit, nam res uni promissa, licet sub conditione, alteri promitti nec poterat, nec debebat.

Q. Quid dicendum de eo, qui ante conditionis eventum carnaliter cognoscit sponsam.

R. Praesumitur remittere conditionem, ideoque sponsalia habentur, uti absoluta, argum. Cap. 6. de condit. apposit., ibi: *Qui sub honesta conditione sponsalia contrahit, et ante conditionis eventum desponsatam cognoscit, a conditione recedit.*

Q. An sponsalia sub conditione turpi valeant?

R. Regulariter loquendo valent, quia sicut rejicitur a Jure talis conditio in Matrimonio apposita, ita et in sponsalibus; etenim cum sponsalia sint via ad Matrimonium, idem favor est pro illis, ac pro Matrimonio. Hinc si quis dicat: *Contraham tecum Matrimonium si occideris patrem tuum*, sponsalia valent, quia haec turpis conditio rejicitur, sicut et in matrimonio, uti infra videbimus. Laym., Salmanticenses, nisi forte animus contrahentis fuerit serio, atque ex animo talem apponere conditionem, eique suum consensum adligare, quemadmodum et de ipso Matrimonio tradunt Theologi.

Dixi *regulariter*, quia si ipsa conditio sit contraria substantiae Matrimonii, et tunc videndum, vel est adimplenda post contractionem Matrimonii, et non valet, quia si matrimonium sub hac conditione celebratum non obligat, nec obligare debent sponsalia: L. *Oratio* D. de sponsalib., et ita communiter DD. Vel est adimplenda ante Matrimonium, uti v. g. *Si foetum nunc conceptum expuleris*, et valet, et sponsalia sub hujusmodi conditione contracta, impleta conditione, suo robore consistunt, et valent, uti advertunt Sanchez, Henriquez, aliique, quia tunc illa conditio non est contraria Matrimonio, cum non referatur ad tempus Matrimonii.

Q. An filius inconsultis parentibus sponsalia contrahens, ea servare teneatur, dato quod contraxerit illa cum muliere disparis conditionis?

R. Maxime, quia licet ea fuerint illicita, sunt tamen obligatoria, uti patet ex Trident. sess. 24 Cap. 1. de Refor. Matrim., quod derogavit legibus civilibus aliter constituentibus, quia vis istorum dependet ex voluntate contrahentium, et pater mortaliter peccat, si conetur injustam retractationem ei suadere; nam pater non potest dissuadere id, ad quod filius sub mortali est obligatus. Hinc advertendum, I. Quod sicuti pater non potest impedire sine causa filio sponsalia, ita non potest sine causa illum cogere ad sponsalia. II. Filiusfamilias graviter peccat hujusmodi sponsalia contrahendo inscio, et multo magis invito patre.

Digitized by Google

CAPUT III.

De Impuberum sponsalibus

Q. An sponsalia ab impuberibus facta valent?

R. Partim sunt rata, partim suspensa. Dicuntur *rata*, quia inducunt publicae honestatis impedimentum, Cap. *Litteras* de despons. impuber. Dicuntur *suspensa*, quatenus impuber acquisita pubertate, potest a sponsalibus resilire, Cap. *A nobis*, et Cap. *De illis* tit. eod. Quin impubes, acquisita pubertate possit a sponsalibus resilire, etiam altera parte contradicente; quia hoc est privilegium illis concessum, ne cogantur approbare, quod in tenella aetate fecerunt, cit. Cap. *De illis*, ubi decernitur, quod si impubes altera adhuc existente in minori aetate, cum ad annos aptos Matrimonio contrahendo pervenerit, *reclamaverit, nec in alterum voluerit consentire, judicio Ecclesiae debent ab invicem separari.*

Q. Usquedum potest reclamare impubes, pubertate acquisita?

R. Statim, vel post triduum a die cognitionis pubertatis, quia in Jure dicitur *in continenti* aliquid fieri, quod intra triduum, seu triduo proximo fit, L. *Sententiis* C. de error. Advocat., et L. *Cum specialis* C. de judic., ibi: *Illico autem, idest intra triduum proximum sine ulla dilatione;* secus postea non poterit, quia ex quo non statim contradixit, censetur tacite sponsalia ratificare. Vid. Covarruv., in lib. 4. decretal. part. 1. Cap. 5. §. 1. n. 22. Nec porro possunt impuberes dissolvere sponsalia mutuo consensu, durante impubertate, quia aliter propter aetatis inconstantiam saepe sponsalia contraherent, et dissolverent, nam *si uterque, sive alter antequam ad annos aptos matrimoniis contrahendis pervenerint, reclament, et postulent separari, non sunt audiendi* cit. Cap. *De illis.*

Q. An pubes, qui sponsalia celebrat cum impubere, possit resilire, antequam altera pars pubertatem acquisiverit?

R. Non potest neque ante, neque post pubertatem alterius contrahentis, nisi alter pubes factus, dissolutioni consentiat, *quia cum in eum semel consenserit, amplius dissentire non poterit aliquatenus*, cit. Cap. *De illis*, §. *Utrum mulier*. Et ratio est, quia cum contractus possit ex parte impuberis claudicare, ideo in favorem ipsius tantum potest retractari, sicut, si pupillus sine tutoris auctoritate contractum cum majore ineat, propter dictam rationem illi soli permissum est resilire.

Q. An detur casus, in quo impuberes non possunt resilire a sponsalibus, adepta pubertate?

R. Maxime, et est quando ante aetatem legitimam carnalem inter se copulam habuerunt, cit. Cap. *A nobis*, quia canonico Jure pubes censetur, qui generare potest, licet annorum numerum non expleverit, Cap. *Puberes* de despons. impuber.

Q. An sponsalia ab impuberibus inita juramento firmantur, itaut acquisita pubertate, ab illis resilire non possint?

R. Vel erant proximi pubertati, et non possunt, Gloss. in cit. Cap. *De illis verbo Judicio Ecclesiae*, Sanchez l. 1. de spons. dis. 51. num. 22. Vel non erant proximi pubertati, et adest dissidium inter DD., nam aliqui

Digitized by Google

tenent non firmari, cum juramentum illis additum, sit quid accessorium : alii vero tenent firmari, quia sponsalia ab impuberibus inita valent, ideoque firmantur juramento, aut saltem dicendum, quod juramentum praestitum ab illis indiget relaxione, ut ejus obligatio cesset. Et haec opinio est probabiliter, dummodo impubes sciverit naturam, et obligationem juramenti. Vide in hanc rem Cap. *Ex litteris.* 1. de sponsalib.

Q. An Matrimonium ab impuberibus celebratum per verba de praesenti habeat vim sponsalium ?

R. Maxime, uti patet ex Cap. ultim. de despons. impub., ubi insinuatur ista ratio, scilicet, quia actus ille *valuit, ut potuit,* licet non valuisset *sicut agebatur* : ubi ait Covarruvius hanc regulam esse veram, si id, quod fieri potest, includatur sub eo, quod fit, sicut sponsalia in matrimonio. Immo ex illis oriri impedimentum publicae honestatis decernit ibidem Bonifacius VIII.

Q. An sponsalia incerta sint vera, et proprie sponsalia ?

Ante resp. not. Sponsalia incerta sunt illa, quae fiunt cum persona indeterminata, uti si quis dicat filiabus Petri: *Ducam unam ex vobis in uxorem, ipsae similiter repromittunt.* Hoc notato :

R. Minime, nam ex puris, atque etiam certis sponsalibus nascitur publicae honestatis impedimentum, non vero ex sponsalibus incertis, Cap. unic. de sponsal., et Matrim. in VI. Praeterea ista sponsalia evadunt certa, et perfecta, per personae determinationem; nam statim ac ipse se determinat ad contrahendum cum una, statim sponsalia sunt certa, et perfecta, cujusmodi antea esse non poterant, Layman. Collet, aliique.

Q. An ex sponsalibus incertis oriatur obligatio adimplendi sponsalia?

R. Maxime, quia ex vera promissione oritur obligatio; quare cum ipsa sit vera promissio, dicendum, quod ex ipsa oriatur obligatio determinandi personam, et sponsalia adimplendi, aliquam eligendo ex illis, quibus pollicitus quis erit futurum matrimonium. Electio autem, sive determinatio pertinet ad ipsum promissorem, quia in alternativis debitoris est electio, h. e. promissoris. R. J. 70. in VI. Vid. si lubet Sanchez de Matrim. lib. 1. disput. 20.

Q. Num ille, qui contractis sponsalibus cum una, contra fidem priorum sponsalium contrahat secunda, et juramento firmet, immo et sponsam hanc secundam carnaliter cognoscit teneatur stare secundis sponsalibus ?

R. Regulariter loquendo non tenetur stare; quia secunda sponsalia continent iniquam promissionem, et juramentum non est vinculum iniquitatis, Sanchez, Sotus, aliique.

Dixi *regulariter*, quia si alicubi non sit acceptum Concil. Trident., sponsalia, quae habent adnexam copulam, habent vim matrimonii, ideoque secunda, sunt valida; nam in hoc casu videtur velle consummare clam matrimonium, Cap. *Is, qui fidem* de sponsal.

Q. Ex quibus causis sponsalia nulliter celebrantur ?

R. Ex pluribus, et I. Defectu consensus, ut si fiant per metum, vel ab eo, qui nondum habet rationis usum, Cap. *Si infantes* unic. de desponsat. impub. in VI. II. Per sponsalia jam valide cum una celebrata, uti si quis celebrat sponsalia cum una, postquam cum altera sponsalia contraxit. III.

Digitized by Google

Per aliquod impedimentum, uti si quis celebret sponsalia cum qua non potest matrimonium contrahere.

CAPUT IV.

De Causis dissolventibus sponsalia

Q. Ex quibus causis possunt sponsalia dissolvi?

R. Ex pluribus, et I. Per mutuum consensum, II Per professionem Religiosam, aut per receptionem Ordinis Sacri. III. Per matrimonium subsequens. IV. Per lapsum temporis. V. Per discessum in longinquum. VI. Per impedimentum dirimens superveniens. VII. Per notabilem mutationem.

Quod possint mutuo consensu dissolvi sponsalia, patet ex Cap. *Praeterea* 2. de sponsalibus, tum quia singuli possint cedere juri suo, tum quia res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur Cap. 1. de Regul. Jur. Quin hoc idem locum habet, quamvis sponsalia juramento fuissent confirmata; etenim de hujusmodi sponsalibus agitur in citat. Cap. *Praeterea*, et decernitur, *quod si ad invicem admittere noluerint, et fidem datam, atque juratam sibi invicem remittunt, hoc in patientia possit tolerari.*

Quod dissolvantur sponsalia per Professionem Religiosam, aut per receptionem Sacri Ordinis patet ex Cap. *Veniens* qui Cleric., vel voventes etc. et Cap. unic. de Voto in VI; quia utraque matrimonii incapacitatem parit, et porro, sicuti per Professionem Religiosam dissolvitur matrimonium ratum, ut patet ex Cap. *Verum*, et Cap. *Ex publico* de Convers. Conjugat., ita multo magis per illam sponsalia dissolvuntur.

Q. Num peccet ille, qui contractis sponsalibus suscipit Ordines Sacros?

R. Minime, quia in sponsalibus semper est imbibita conditio: *Nisi ad meliorem statum transiero.* Ita Henriquez lib. 2. Cap. 14. n. 4., aliique, Sanchez. Tamen notandum, quod iste talis tenetur compensare damna sponsae illata, v. g. quia fecit expensas etc., uti colligitur ex L. *Si pecuniam* D. de conditione pro sponsalibus contrahendis, etc.

Q. Num solo ingressu Religionis dissolvantur sponsalia?

R. Dissolvuntur sponsalia solum ex parte remanentis in saeculo, non vero ex parte ingredientis Religionem, nisi Professione secuta. Innocentius in Cap. cit. *Veniens* qui Clerici., vel vovent. etc. Ratio primae partis est, quia ingrediens Religionem cedit juri suo, ideoque relinquit alteram partem liberam: ratio secundae est, quia aliter daretur locus fraudibus, cum possit aliquis ingredi Religionem, et sic liberari ab obligatione contrahendi matrimonium. Layman.

Q. An dentur casus, in quibus non potest quis licite ingredi Religionem, contractis jam sponsalibus, sed tenetur matrimonium contrahere?

R. Maxime, et est quando sunt legitimandi filii, quos habuit, vel quando est consulendum famae puellae, cum qua quis familiariter tractavit, nam in hisce casibus viget justitiae vinculum, ita communiter.

Q. Quid si quis contraxit sponsalia, quae juramento firmavit, et velit postea ingredi Religionem, num licite possit?

Digitized by Google

R. Quamvis licite possit, quia non infringit juramentum, dum illud in melius commutat, attamen ad vitandum scandalum, tutius potest matrimonium contrahere, et servare fidem juramenti, et deinde non consummato matrimonio, ingredi, sit velit, Religionem. Ita enim respondit Alexander III. in Cap. *Commissum* de sponsalib., ibi: *quia tutius est ei (Religione juramento servata) prius contrahere, et postea si elegerit, ad Religionem migrare, si tamen post primam desponsationem carnalis copula dignoscitur non intervenisse.*

Q. Num votum simplex castitatis faciat, ut sponsalia sint nulla?

R. Vel fuit emissum votum contractis jam sponsalibus, et litigium est inter Doctores. Alii enim cum D. Thoma in IV. dist. 38. q. 1. art. 3. dicunt dissolvi sponsalia, quia in isto contractu semper est imbibita conditio: *Nisi ad meliorem statum transiero.* Alii autem dicunt non dissolvi, quia non censetur Deo grata promissio, quae fit cum praejudicio alterius. Vel post emissum votum fuerint contracta sponsalia, et sunt nulla, quia facta post votum, sunt promissio de re illicita, quae non obligat. Quod quidem etiam apertissime probatur ex cit. Cap. *Veniens* qui Cleric. etc., ubi mulieri, quae post sponsalia votum simplex emiserat, ob fidem mentitam sponsaliorum congrua satisfactio imponitur.

Q. An sponsalia dissolvantur per subsequens matrimonium?

R. Maxime, quia vinculum fortius disolvit minus forte, quamvis priora sponsalia fuerint juramento firmata, textu expresso in Cap. *Si inter* de sponsal., ubi decernitur, quod si inter aliquos sponsalia intercesserint de futuro, atque alius postea mulierem illam per verba de praesenti sibi desponsaverit, *etiam si inter ipsam, et primam juramentum intervenerit* prioris desponsationis intuitu, secundum matrimonium separari non poterit, et Cap. *Duobus modis* 1. de spons. duor., ubi dicitur, quod, qui fidem pactionis alteri datam per sponsalia violaverit aliam ducendo, permanere debet cum illa, quam duxit, *non enim,* ait, *rescindi debet tantum Sacramentum.* Nec obstat Regul. Jur. 54. in VI., *Qui prior tempore, potior est jure,* nam intelligenda est inter eos, qui simili, et aequali jure, ac titulo nituntur.

Q. Num sponsalia dicantur extincta, vel suspensa per subsequens matrimonium?

R. Dissidium est inter Theologos, et Canonistas, nam alii dicunt sponsalia non reviviscere, si illa, cum qua sponsus contraxit matrimonium moriatur quia per matrimonium fuit extincta obligatio; obligatio enim semel extincta, non reviviscit, L. *Qui res* D. de solution., *In perpetuum enim sublata obligatio restitui non potest*, et Cap. *Quaeris* 129 dist. de consecrat. Et porro obligatio fortior superveniens, extinguit obligationem praecedentem minus fortem.

Alii vero dicunt, et quidem verius, ac probabilius non penitus per dictum matrimonium extinguitur obligatio priorum sponsalium quoad sponsum, qui primam fidem violavit, sed solum suspensam fuisse, ita ut remanente libero teneatur priora sponsalia adimplere ducendo primam sponsam, si ipsa velit. Confer Concina Tom. X. fol. 200., et Salmanticenses. de Matrim. Cap. 2. punct. 3.

Q. An dissolvantur sponsalia per lapsum temporis?

Ante resp. nota: duplici modo posse praefigi tempus in sponsalibus, sci-

Digitized by Google

licet, vel ad sollicitandam adimpletionem, vel ad finiendam obligationem. Hoc notato:

R. Per lapsum temporis primo modo praefixi, non dissolvuntur sponsalia, quia in tali casu habetur duplex obligatio, scilicet adimplendi promissum, et adimplendi illud tali tempore. Hinc elapso praefixo tempore, cessat secunda obligatio h.e. adimplendi tali tempore, et non cessat prima, scilicet adimplendi promissum, nam ista manet absoluta, et principalis. Praeterea ruente principali, ruit etiam accessorium, sed non e contrario, at obligatio contrahendi matrimonium tali tempore est accessoria in casu proposito. Ergo ea ruente, non ruit principalis, argum. Cap. unic. de consecrat. Eccles., vel Altar., in VI., L. *Continuus* §. 2., et L. *Celsus* D. de recept., qui arbitr. receper.

Per lapsum vero temporis secundo modo, scilicet appositi ad finiendam obligationem, et sponsalia dissolvuntur, Cap. *Sicut* 22. de spons., et L. *Fidejussor*. §. final. D. mandat. Et ratio est, quia contractus legem accipere dignoscuntur ex conventione, Regul. Jur. in VI., et concinit L. *Contractus* 24. D. de Regul. Jur.

Q. Num dissolvantur statim sponsalia per discessum in longinquum, si sponsus non obtenta licentia sponsae in terras longinquas se transferi?

R. Maxime, sive discessus fiat animo permanendi, sive redeundi, textu expresso in Cap. *De illis* 5. de sponsalib.; nam sponsus transferendo domicilium, vel ad regiones longinquas tendendo, unde brevi tempore rediturus non videatur, censetur renuntiare obligationi sponsalium. Quare, *liberum erit mulieribus ipsis, si non amplius in facto processum est, ad alia vota se transferre*, inquit Alexand. III. in cit Cap. *De illis*.

Q. Sed quanto tempore expectare debet sponsa, si sponsus discessit ob justam causam?

R. Ex jure civili, quod a Jure Canonico correctum non fuisse asserit Silvester cum aliis, expectare debet biennium, si discessit intra Provinciam, L. *Liberum est* C. de Repud. Triennium vero, si extra Provinciam, L. *Si is qui*, C. de Sponsalib. Quod tempus potest restringi a Judice Ecclesiastico, inspecta qualitate personae, aliorumve circumstantiarum, quia non debet Judex in hoc casu attendere ad juris rigorem magis, quam ad peccatum vitandum incontinentiae. Extra dictos autem casus non tenetur sponsa expectare sponsum alio commigrantem, et si aliud videatur Jure Civili sancitum hoc correctum fuisse a Jure Canonico auctoritate Cap. *De illis* recte, ac probabilius docent Salmanticenses.

Q. An sponsalia dissolvantur per impedimentum dirimens superveniens?

R. Maxime, quia stante impedimento dirimente nec licite, nec valide contrahi potest matrimonium, ac proinde dissolvuntur sponsalia ex parte innocentis, quod certum esse apud omnes testantur Salmanticenses. Attamen advertendum, quod, qui tale impedimentum sua culpa posuit, tenetur a Papa impetrare dispensationem suis sumptibus, si pars innocens velit. Ita communiter, et argum. L. *Non fraudentur* 164. D. de Regul. Jur., ubi aperte dicitur, quod nemo ex delicto suo facere potest meliorem conditionem suam, et concordat cum Cap. *Intelleximus* 7. de Judic., ubi. *Ne videatur de malitia commodum reportare*.

Digitized by Google

Q. Num sponsalia dissolvantur per notabilem mutationem ?

R. Maxime, quia si res talis fuisset a principio cognita, non contracta fuissent sponsalia. Quare promissio non obligat ultra intentionem promittentis, Cap. *Quemadmodum* 25. de Jurejur.

Q. Quando habetur mutatio notabilis in sponsalibus ?

R. In pluribus casibus, et I. Si superveniat alicui ex sponsis gravis infamia ob homicidium, adulterium, fornicationem praesertim in sponsa, furtum etc., nam tunc pars innocens potest resilire a sponsalibus, argum. cit. Cap. *Quemadmodum* II. Si cognoscatur sponsus deditus ebrietatibus, luxuriae etc., aliisque gravibus vitiis, vel asperitas morum cognoscatur in sponso, vel nimia saevitia, Cap. *Litteras* de restitut. spolior. III. Si oriantur inter sponsos graves inimicitiae, odia, aliaeque animorum aversiones, argum. Cap. *Praeterea*, et Cap. *Requisivit* de sponsal., vel istae inimicitiae capitales oriantur,, vel timeantur inter Parentes, vel Consanguineos, argum. Cap. *Cum in tua* tit. eod.

Porro dissolvuntur sponsalia, si unus ex sponsis incidat in gravem morbum, lepram, morbum gallicum etc. cit. Cap. *Quemadmodum*: si oculum, nares, aurem, manum deperdat: si unius os graviter male oleat, et medici opera, ac medicinae ope curari non possit praedicta infirmitas : si sponsa evadat notabiliter deformis : si parentes vel illi, qui promiserunt dotem, eam tradere nolunt, Cap. *De illis* de condit. apposit: si unus ex sponsis incidat in gravem jacturam bonorum. Confer. Interpretes ad cit. Cap. *Quemadmodum* de jurejur.

Q. An per fornicationem patratam post sponsalia, dissolvantur sponsalia ?

R. Maxime, ita tamen, quod solum innocens, non vero nocens potest a sponsalibus resilire, ne ex iniquitate sua commodum ferat nocens, cit. Cap. *Quemadmodum*. Quare sponsus fornicarius ad nuptias tenetur, et compelli potest, si sponsa velit stare sponsalibus, quia quod in gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum, Regul. Jur. 61. in VI.

Neque obstat Textus in cit. Cap. *Quemadmodum*, ubi decernitur, quod sponsus non possit opponere fornicationem: nam intelligendus est iste Textus de fornicatione praecedente sponsalia, et a sponso prius cognita, quia in laudato Textu dicitur: *Non potest ei opponere fornicationem praecedentem*, ideoque censetur cessisse juri suo sponsus contrahendo cum ipsa sponsalia, et non potest reprobare illum statum, nisi alia superveniente causa, Cap. *Horrendus* caus. 32. q. 5. Ita communiter DD.

Q. An sufficiunt tantum oscula, vel tactus ad dissolvenda sponsalia ?

R. Sufficiunt, si habeantur ex parte sponsae, quia per hoc fit notabiliter vilior, et timetur de fide in futurum. Quod etiam tenendum ex parte viri, si exercuerit circa aliam actus turpes valde frequentes, itaut merito timeatur, quod sponsus minus sit amaturus sponsam, vel fidem non servaturus. Sanchez, aliique communiter. Immo quamvis sponsa fuisset vi oppressa ab alio, adhuc juxta multos possint dissolvi sponsalia, quia semper vilior fit, et adest notabilis mutatio.

Q. Si ambo sponsi fuerint fornicati, possuntne dissolvi sponsalia, an vero fornicatio compensatur cum alterius fornicatione ?

R. Dissidium est inter DD., tamen probabilior dicendum, quod possint

Digitized by Google

dissolvi, quia semper sponsa redditur vilior per fornicationem. Nec obstat regula illa Juris: *Paria delicta mutua compensatione tolluntur*, et Cap. *Intelleximus* 6. de Adulter. non enim censenda sunt paria delicta, cum fornicatio mulieris longe sit turpior, ac deformior (1).

Q. An sponsi committentes fornicationem cum extranea teneantur manifestare Confessario esse sponsos de futuro?

R. Maxime, tam sponsus, quam sponsa, quia ex parte utriusque frangitur fides sponsalium; nam uterque ex vi sponsalium acquisivit jus ad corpus alterius. Layman, Salmanticenses, qui dicunt talem fornicationem continere gravem injuriam contra alium sponsum.

Q. An ad dissolvenda sponsalia ob unam ex causis assignatis requiratur auctoritas Judicis Ecclesiastici?

R. Vel causa est moraliter certa, et non requiritur Judicis auctoritas, nisi ratione vitandi scandalum, si sponsalia publica sint, quia unusquisque habet jus resiliendi ab illis, justa stante causa. Vel est causa dubia, et requiritur Judicis auctoritas; quia ob causam dubiam non est alter privandus jure suo certo, quod possidet.

Q. Num pactum lucrativum adjectum sponsalibus ab altero contrahente, si cum ipso matrimonium contraxerit, valeat?

R. Tanquam nullum esse rescindendum, uti habetur ex L. *Si ita stipulatus* 97. §. *Si tibi* D. de verb. obligat., ibi: *si tibi nupsero, decem dare spondens, causa cognita denegandam actionem puto*, quia ex libidine aut turpi quaestu matrimonium tali modo comparari censetur. Hinc talis promissio tanquam contra bonos mores rescinditur, uti docet Abbas in Cap. *Gemma mulier* 29. de sponsal. num. 6., Sanchez, Laym. aliique communiter.

Q. Num detur casus, in quo valeat talis promissio?

R. Datur, et I. est, quando cessat turpitudinis praesumptio, uti si videtur promissum ratione dotis. II. Ratione donationis ob nuptias. III. Ratione inaequalitatis, uti si senex, vel ignobilis contrahere velit cum juvene, aut cum nobili. IV. Si haec promissio non sit facta ab ipso contrahente, sed ab alio quocumque. Hinc si Cajus promittat Titio centum, si cum Sempronia contrahat, talis, non turpis quaestus, sed liberalis donatio censetur; nam ex ista non tollitur libertas matrimonii, sed ad illud allicitur, L. *Titio* D. de condit., et demonstr.

Q. Num sit licita poena conventionalis in sponsalibus?

R. Vel est apposita contra resilientes simpliciter, et est illicita, atque invalida tum jure Canonico, cit. Cap. *Gemma*, tum Jure Civili, L. *Titia* 134. D. de verbor. obligat., quia haec poena opponitur libertati matrimonii, cum poenae solvendae timor posset cogere nolentem, atque invitum ad Matrimonium. Quin si esset quoque juramento confirmata, adhuc non esset

(1) Jure Dioecesis Neapolitanae cautum *quod Sponsi, et Sponsae post contracta Sponsalia etiam privata inter se, et ante Matrimonium legitime celebratum, carnalem inter se copulam habentes, nec non parentes, consanguinei, et affines omnes, aut quicumque domus curam habentes, eamdem carnalem copulam, vel Sponsorum cohabitationem, vel pernoctationem, etiam pro una vice permittentes*, incidant in excommunicationem Ordinario reservatam Casus XVI.

Digitized by Google

solvenda, cum vergat in publicum detrimentum. Vel est apposita contra injuste resilientes, et est valida, et licita juxta multos, quia est in favorem matrimonii, et nullo jure haec poena prohibetur, ideoque in utroque foro est solvenda. Layman, aliique.

Q. An licita et valida sit arrharum traditio inter sponsos ?

Ante respons. nota arrhas in praesenti argumento accipi pro rebus, quae traduntur in pignus futuri matrimonii, hoc notato :

R. Maxime, eas enim jus approbat tum Canonicum, tum Civile, uti ex multis juribus constat, itaut injuste resiliens a sponsalibus, amittat arrhas : et porro ista traditio est favorabilis Matrimonio, cum tradatur, ut matrimonium celebretur, tum quia sic habetur, in L. *Arrhis*, et in L. *Mulier* 5. C. de sponsalib. Vide Cap. *Tuae nobis* ult. de despons. impuber. Attamen advertendum, quod si aliquid simpliciter tradatur sponsae, censetur sponsalitia largitas, quia ad hoc ut dicatur arrha, opus est ut tradatur in pignus futuri matrimonii. Salmantic., Laym. Vid. Ferrar. verb. *Arrha.*

Q. Cuinam acquirantur arrhae, celebrato Matrimonio ?

R. Illi, qui eas tradidit, tum quia haec est arrharum natura, tum quia sic fit in venditione, nam ea completa, emptor recuperat arrhas traditas in fidem emptionis faciendae, ita DD. communiter.

Q. Quid dicendum si matrimonium non celebretur ?

R. Si matrimonium non sequitur ex parte dantis, dans amittit arrhas, si ex parte recipientis, recipiens tenetur ad duplum post sententiam Judicis, dummodo non sit minor, quia minor solummodo tenetur ad arrhas acceptas textu expresso in cit. L. *Mulier* C. de sponsal. Vide Perez. ad hunc tit. C. Si vero oscula, vel tactus intercesserint, et absque culpa tradentis non sequitur matrimonium, tunc etiam arrhae sunt restituendae, quia nullo probatur jure, arrhas acquiri sponsae per oscula, ita Sanchez cum aliis.

Q. An donationes inter sponsos sint permissae ?

R. Maxime, quia non opponuntur libertati matrimonii, quae donationes contracto, et consummato Matrimonio pleno jure fiunt donatarii.

Q. Quid si non sequatur Matrimonium ?

R. Vel non sequitur culpa donatoris, et dico rem donatam non esse restituendam a donatario. Vel non sequitur culpa donatarii, et dico restituendam esse eamdem rem donatam a donatario. Ast, si matrimonium non sequitur absque culpa utriusque, tunc res donata est restituenda donatori, modo non intercesserint oscula etc., nam in hoc casu est restituenda medietas rei donatae.

Digitized by Google

DE MATRIMONIO

CAPUT I.

De natura Matrimonii, ejusque proprietatibus

Q. Unde dicitur Matrimonium ?

R. Dicitur a ly *Mater*, et *Munium*, seu *munus*, quasi sit *matris munium*, seu *munus matris*. Hinc August. lib. 19. contra Faust. scribit: *Matrimonium ex hoc appellatum est, quod non ob aliud debeat femina nubere, quam ut mater fiat.*

Q. Quotuplici modo potest accipi Matrimonium ?

R. Duplici modo, uti Contractus, et uti Sacramentum. Uti contractus est conjunctio maritalis viri, et mulieris inter legitimas personas, individuam vitae consuetudinem retinens, qua vir, et mulier mutuo inter se tradunt, et acceptant corporum potestatem in ordine ad actum generationis, et se obligant ad mutuo juvandum, et perpetuo cohabitandum, D. Thomas. Uti Sacramentum, est signum sensibile gratiae collatae viro, et mulieri legitimo consensu copulatis ad perpetuam vitae consuetudinem, et ad prolem pie, sancteque educandam, communiter.

Q. Quotuplex est Matrimonium ?

R. Triplex est, legitimum, ratum, et consummatum. *Legitimum* est illud, quod legitimo consensu inter personas habiles, seu jure non impeditas, celebratur, et *legitimum* dicitur, quia contrahitur juxta leges, quod Matrimonium datur etiam inter infideles. *Ratum* est illud, quod includit in se legitimum, sed addit praeterea rationem Sacramenti, per quam majorem firmitatem, ac indissolubilitatem adquirit. Unde ait Innoc. III. in Cap. *Quanto* de divort: *Et si Matrimonium verum inter infidelem existat, non tamen est ratum, quia potest dissolvi*, subnectit Glossa. *Consummatum* est illud, quod accedente mutua actuali traditione corporis, et copulatione carnis completur, et consummatur.

Hinc inferas, quod matrimonium mutuo consensu constituitur, ac perficitur, quia nuptias non concubitus, sed mutuus consensus facit, ut ait Ulpianus in L. 3. D. de Regul. Jur., attamen ipsa copula maritali completur, ac veluti integratur. Simile quoddam videre est in contractu emptionis, qui licet mutuo perficiatur consensu, traditione vero consummatur.

Q. An Matrimonium sit unum ex septem Sacramentis a Christo Domino institutum ?

R. Maxime, et est de fide, uti patet ex Trid. sess. 24. de reform. matrim. Can. 1., ibi: *Si quis dixerit Matrimonium non esse vere, et proprie unum ex septem novae Legis Sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit.*

Q. Quinam sunt Ministri hujusce Sacramenti ?

R. Sunt ipsi Conjuges, quia ille dicitur minister cujuscumque Sacra-

Digitized by Google

menti, qui verborum formam profert, quique Sacramentum conficit. Hinc cum Conjuges, ipsam verborum formam proferant, dicendum, quod ipsi sint ministri. D. Thomas in IV. dist. 26. qu. 2. art. 1. ad 1., Sanchez, aliique.

Q. Quare Parochus adsistit Matrimonio?

R. Assistit uti testis auctorizabilis juxta Trid., nam matrimonium olim celebratum absque praesentia Parochi, erat validum et ratum, uti apertis, ac disertis verbis declarat, ac pronuntiat ipsum Tridentinum sess. 24. de reformat. matrim. Cap. 1.

Q. Quaenam est materia remota, et proxima hujus Sacramenti?

R. Materiam remotam esse Conjugum corpora mutuo tradenda, quia Christus Dominus instituens hoc Sacramentum in nulla re penitus immutavit naturam contractus matrimonialis. D. Antonin., Layman. S. Bonavent. aliique. Materia vero proxima est ipsamet legitima traditio mutua corporum, in ordine ad generationem prolis. Vid. Manstrium Theolog. Moral. disp. 20 n. 9., et 10., aliosque.

Q. Quaenam est forma hujusce Sacramenti?

R. Sunt verba a contrahentibus prolata, vel alia signa externa, verbis aequivalentia, et mutuum consensum internum diserte exprimentia. Praeterea hic consensus debet esse verus, internus, mutuus, de praesenti, per verba aliave signa sensibilia expressus, plene deliberatus, in se liber, et immunis a metu gravi injusto. Ita DD. comm. ex Cap. *Tua nos* 26. et Cap. *Tuae Fraternitati* 25., de sponsal., aliisque ex juribus. Vid. Conc. Florentinum.

Q. Quid si unus ex contrahentibus simulatum animum habeat contrahendi Matrimonium?

R. I. Omni jure nullum est matrimonium, quia deficit consensus, nam simulatus consensus non est verus consensus. Ad rem Ulpianus in L. 3. D. de Reg. Jur.: *Nuptias non concubitus, sed consensus facit.* II. Deceptor duplex grave peccatum committit: primum sacrilegii contra reverentiam Sacramento debitam, secundum injustitiae, quia infert alteri contrahenti injuriam. III. Tenetur apponere verum consensum, et vere contrahere ad tollendam injuriam alteri illatam, quae ad aequalitatem reparari non potest, nisi per matrimonii contractionem veram, et legitimam.

Q. Num dentur casus in quibus deceptor ad Matrimonium non obligatur, sed potest alteri alio modo compensare damna orta ex sua deceptione?

R. Maxime, et est. I. Si decepta finxit se virginem, dum virgo non erat; quia deceptio deceptione tollitur. II. Si timeantur ex tali matrimonio discordiae, rixae, infelices exitus. III. Si deceptor longe eminentioris sit conditionis, dummodo copula non fuerit subsecuta, uti supra dictum est. IV. Si deceptus, cognita deceptione, aliam damni compensationem sponte accepit. V. Si deceptus aliud matrimonium validum contraxit.

Q. An requiratur ex necessitate Sacramenti, ut consensus requisitus ad matrimonium verbis exprimatur?

R. Minime, nam sufficit, ut sit signis sufficientibus expressus: D. Thom., patet etiam ex Cap. *Cum apud sedem* 23., et cit. Cap. *Tuae* 25. de sponsal.; ubi decernitur mutos, et surdos optime posse matrimonium contrahe-

Digitized by Google

re ; et ratio est, quia ad quemcumque contractum sufficit, quod consensus contrahentium signis, aut verbis exprimatur, ergo et ad matrimonium, cum sit essentialiter contractus.

Q. An requiratur consensus Parentum, ut valide filii matrimonium contrahant ?

R. Minime, et est de fide, uti aperte statuit Concil. Trident. cit. sess. 24. de reform. matrim. Cap. 1., et matrimonium a filiis celebratum absque consensu parentum est validum, et indissolubile, ratio est, quia omnis homo legitima aetate, ac ratione praeditus plenum habet dominium sui corporis independenter a Parentibus. Verum tamen est, quod filius sine Parentum consensu contrahens, ubi nulla subsit legitima causa, peccat graviter, ita communiter. Quinimo ex nostris municipalibus constitutionibus filii contrahentes matrimonia sine consensu Parentum possunt a Patre exheredari, et filias dotis denegatione puniri. Vid. Pragmatic. unic. de matrimon. a filiisfam. contrah., edit. ann. 1771.

Q. Ad rite celebrandum matrimonium, quid requiritur ?

R. Requiritur I. Legitima aetas, hoc est pubertas, quam in maribus expleto anno 14., in foeminis anno 12. Justinianus definivit, L. ult. C. Quando tutor esse desin., licet Jus Canonicum permittit matrimonium ante istam aetatem, si sint habiles ad generationem, Cap. *De illis* de despons. impub. Vide S. Isidorum Cap. 3. tit. eod. II. Praesentia Parochi, et duorum testium; secus nullum est matrimonium, Trid. sess. 24. de reform. matrim. Cap. 1.: III. Mutuus contrahentium consensus. IV. Omnis absentia impedimenti.

Q. An matrimonium celebratum per Procuratorem sit validum, et sit Sacramentum ?

R. Maxime, uti patet ex Cap. *Procurator* de Procuratoribus in VI., quia quando Christus Dominus evexit hunc contractum ad rationem Sacramenti, non immutavit naturam illius. Quare cum contractus matrimonii poterat, et potest contrahi per Procuratorem tanquam contractus, potest proinde etiam tanquam Sacramentum contrahi per Procuratorem, h. e. Matrimonium a Procuratore contractum valebit etiam uti Sacramentum juxta probabiliorem Theologorum sententiam, cum nihil deesse videretur ad veram Sacramenti rationem.

Q. Quot conditiones requiruntur, ut matrimonium per Procuratorem initum valeat ?

R. Ex citat. Cap. *Procurator*, plures I. Ut Procurator habeat speciale mandatum. II. Ut sit de determinata persona. III. Ut non possit alium substituere Procurator, nisi specialem, et expressam licentiam habeat a mandante. IV. Ut mandatum non sit revocatum ante matrimonii contractionem; etenim, quamvis isthaec revocatio non innotuerit Procuratori, vel sponsae, nihilominus invalidum erit Matrimonium cum *illius consensus defecerit, sine quo firmitatem habere nequiverit*, cit. Cap. *Procurator*. Ultima, ut non excedat fines mandati; quia, quae a mandatario exercentur, excedendo mandatum, censentur facta absque potestate mandantis, L. *Diligenter* D. mandati (1).

(1) Jure Dioecesis Neapolitanae cautum quod causa contrahendi matrimonium per procuratorem sit cognita, nec non adprobata ab Ordinario, vel ejusdem Vicario, Synod. Pignat. part. 2. cap. 9. n. 14.

Digitized by Google

Quartae conditioni opponi potest. In aliis contractibus revocatio mandati innotescere debet mandatario, aliter contractus ab illo initi valent ex L. *Si mandassem tibi* 15. D. mandati. Ergo etiam matrimonium valet, quando mandatum est revocatum ante contractionem, et revocatio non innotuit mandatario.

R. Negando paritatem, et disparitatem assignando; nam disparitas est, quod in aliis contractibus jus potest supplere partis consensum, in matrimonio vero nulla est potestas sive Civilis, sive Canonica, quae possit consensum deficientem supplere. Ita communiter.

Q. An valeat matrimonium celebratum a Procuratore nomine Petri, qui ante matrimonii contractionem evasit amens?

R. Maxime, quia quando prior consensus non revocatur, semper manet in virtute, uti consensus in Baptismo ante amentiam habitus sufficit ad illud valide recipiendum, si forte in amentiam incidat, Sanchez, Bonacina, Layman, aliique.

Q. An peccat Procurator, qui assistit matrimonio cum peccato lethali?

R. Non peccat mortaliter, quia non est minister, sed ministri instrumentum. Hinc cum minister sit mandans, si non sit in gratia tempore, quo scit verosimiliter nomine sui Procuratorem contracturum, peccat graviter ob indignam Sacramenti matrimonii receptionem. Sanchez.

Q. Num requiratur diversitas sexus ad contrahendum matrimonium per Procuratorem.

R. Minime, quia Procurator in tali casu se habet, uti instrumentum contrahentis ad exprimendum consensum per verba ipsius Procuratoris, quod aeque fieri potest per virum, vel feminam. Sanchez lib. 3. disp. 41. n. 8.

Q. Num matrimonium adjectione temporis initum valeat?

R. Vel tempus fuit appositum pro duratione contractus matrimonii, uti: *contraho tecum pro hoc anno*, et dico matrimonium non valere, quia hoc est contra matrimonii substantiam. Vel fuit appositum ad designandum tempus pro quo quis vult obligari, uti: *Contraho tecum hoc tempore, ut te post mensem habeam in uxorem*, et dico esse suspensum, quia non habetur consensus perfectus ante temporis adventum. Ita Sanchez cum aliis.

Q. An matrimonium initum sub conditione valeat?

R. Vel conditio est de praesenti, uti: *Contraho tecum si pater tuus mortuus sit*, et statim matrimonium validum est, si conditio vera sit, quia istae conditiones non suspendunt consensum, cum non sint verae conditiones. Vel conditio est de futuro contingenti, honesto, et possibili, uti: *contraho tecum, si pater tuus consenserit*, et tunc non valet, nisi verificata conditione; quia non habetur consensus a principio, et suspenditur actus, cui apponitur conditio, Cap. *Super eo* de condit. appos.

Dixi *de futuro contingenti honesto*, et *possibili*, quia si matrimonium sit celebratum sub conditione turpi, aut impossibili, matrimonium valet, quando conditio ista non opponitur bonis substantialibus matrimonii, quia conditio turpis in matrimonio, in ejus favorem a jure rejicitur, Cap. *Si conditiones* 7. de condit. apposit. etc: ubi decernitur, quod conditiones appositae in matrimonio, si turpes, aut impossibiles fuerint, dummodo non sint contra substantiam conjugii insertae, debent propter matrimonii favorem pro non adjectis haberi. Idemque dicas de matrimonio spirituali, scilicet

Digitized by Google

Professione Religiosa, inita sub modo, vel conditione turpi, aut impossibili, modo non opponatur ejus substantiae.

In quo est advertendum, quod ad hoc ut conditio turpis aut impossibilis rejiciatur a Jure in matrimonio, requiritur, ut *jocose* sit apposita, utque turpis, vel impossibilis a contrahentibus cognoscatur, nam si conditio turpis sit *serio* apposita, aut ut honesta, et possibilis teneatur, matrimonium est nullum, cum non habeatur consensus, et matrimonialem consensum nullum jus supplere potest. Secus tamen est de ultimis voluntatibus, in quibus jus supplere potest consensum. Vide Gonzalez ad Cap. *Si conditionis* 7. de condit. appos.

Dixi *quando conditio turpis non opponatur bonis substantialibus matrimonii*, nam si istis opponatur, matrimonium est nullum, quia nihil potest subsistere sine propria substantia, quod patet ex cit. Cap. Si *conditiones*.

Q. Quaenam sunt bona substantialia matrimonii?

R. Sunt tria, scilicet bonum Sacramenti, quod dicit indissolubilitatem, bonum prolis, scilicet ne impediatur proles, sed suscipiatur, et educetur, bonum fidei, scilicet ut servetur matrimonii fides.

Q. Num requiritur, ut sit deducta in pactum conditio bonis substantialibus matrimonii opposita, ut matrimonium sic factum non valeat?

R. Vel conditio opponitur bono prolis, et fidei, et requiritur, quia si mente retineatur, non nocet matrimonio, quod potest stare sine prole, et fide, ut ait D. Thom., semper ac contrahens habuit animum se obligandi ad matrimonium, ejusque bona, licet sine animo exequendi suam obligationem. Vel opponitur bono Sacramenti, et sufficit, si sit mente retenta, eo quia versatur circa consensum, nam non dicitur matrimonio consentire, nisi qui illud vult ut in se est, perpetuum, et indissolubile, et consensus quocumque modo non habetur, semper reddit matrimonium nullum. Laym., Gonzalez.

Q. Quid de matrimonio celebrato sub conditione cum duabus?

R. Teneri istum stare matrimonio, cujus conditio primo verificatur, quia per conditionis adimpletionem evadit ratum, et absolutum, licet peccet, qui talem matrimonium contraxit. Layman, et Abbas in Cap. *Per tuas* de condit. apposit. Ast si conditiones utriusque matrimonii simul eveniant, neutrum matrimonium est validum, quia incertitudo vitiat matrimonium. Sanchez, Layman, aliique commun. ex Cap. *Ex litteris* 10. de sponsalib., et matrimon. Nec post verificatam conditionem novus consensus requiritur, uti aliqui dicunt, quia contractus celebratus sub conditione honesta pendente in futurum, ea adimpleta, purificatur, et perficitur.

Ita enim absque ulla controversia res se habet in contractibus ex L. *Haec venditio* 7. D. de contrah. empt. Utrum vero hoc idem obtineat in Matrimonio gravis, et satis implexa quaestio est, affirmativam sententiam sequuntur graviores Theologi Laym. Salmanticen., Sanchez, Natal. Alexand., qui etiam refert Clement. VIII., et S. Pium V. ita declarasse, atque in judicio servandum decrevisse. At vero clar. Collet proponit tanquam tutius, cum agatur de Sacramento, ut impleta conditione novus accedat consensus.

Q. Num matrimonium sit indissolubile?

Digitized by Google

R. Omne matrimonium est indissolubile, uti patet ex Trident. sess. 24. de refor. matrim.: *Matrimonii perpetuum, indissolubilemque nexum primus humani generis Parens Divini Spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit . . . . . Itaque jam non sunt duo, sed una caro, statimque ejusdem nexus firmitatem ab Adamo tanto ante pronuntiatum his verbis confirmavit. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*

Q. Num possit dari causa, ex qua potest dissolvi matrimonium legitimum?

R. Datur causa, ex qua potest dissolvi quoad vinculum, et est quando unus conjugum convertitur ad fidem, et alter non vult converti, neque habitare cum converso sine Creatoris injuria, h. e. blasphemando, aut sollicitando conversum ad infidelitatem, et quidem ex dispensatione Divina concessa in favorem fidelis, Cap. *Quanto* 7. de Divort. Patet diserte etiam ex D. Paulo 1. ad Corinth. 7., ibi: *Quod si infidelis discedit, discedat, non enim servituti subjectus est frater, aut soror in ejusmodi*, h. e. nullo conjugali vinculo tenetur, uti intelligendum jubet Innocent. III. in cit. Cap. *Quanto*, adeo ut qui relinquitur, h. e. fidelis ad secunda vota, si voluerit, transire possit: alia quod ad hoc, videbimus disputando de impedimento cultus disparitatis.

Q. An detur casus, in quo dissolvitur quoad vinculum matrimonium ratum, ita ut alter conjux possit novum contrahere matrimonium?

R. Maxime, et I. Dissolvitur per Professionem Religiosam, uti constat ex perpetua Ecclesiae Traditione, quod aperte patet ex Cap. *Verum*, atque ex toto ferme titulo de convers. conjugator. Quare Concil. Trident., anathema dixit illis, qui forte istud pernegare, aut in dubium revocare auderent, Sess. 24. de ref. matrim. Can. 6.: *Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis Professionem conjugum non dirimit, anathema sit.*

II. Potest dissolvi matrimonium ratum per dispensationem Summi Pontificis, uti patet ex dispensatione facta a Mart. V., et Eugenio IV., teste D. Antonino; a Pio II., et Pio IV. teste Navarra etc., nam si potest Pontifex dispensare in professione religiosa, quae est vinculum fortius, multo magis in matrimonio rato.

Neque obstant verba Christi, Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Neque obstant, inquam, quia haec verba spectant ad matrimonium consummatum, quo solo Conjuges fiunt una caro. Ita PP., et DD. omnes auctoritate Cap. *Ex publico* 7. de convers. conjugat., ubi Alexand. III. consimilia ferme verba Christi Salvatoris hac ratione interpretatur, h. e. tantum de matrimonio consummato. Confer laud. Cap. *Ex publico.*

Q. Quare inter Fideles tantummodo dissolvi potest matrimonium ratum, et matrimonium consummatum non potest?

R. Quia ratum caret integrali perfectione, quae consistit in significatione unius Christi cum Ecclesia per incarnationem, et significat conjunctionem Christi cum anima fideli per gratiam, quae non est indissolubilis, immo amittitur per quodcumque peccatum mortale. Consummatum vero significat conjunctionem Christi cum Ecclesia per assumptam humanitatem quae est indissolubilis, uti notatur in Cap. *Debitum* de Bigam. non ordinand., adeoque matrimonium consummatum habet totam suam integram

Digitized by Google

significationem, et indissolubile est ex quacumque causa. Ita communiter DD. omnes. Quare consummati matrimonii vinculum neque per adulterii crimen potest inter Christianos dissolvi, quod definivit. Trident. sess. 24. de reform. Can. 7., neque per Professionem Religiosam, quod unanimi consensu nos docent DD. omnes, auctoritate Cap. *Praeterea* 8., et Cap. *Verum* 2. de convers. conjugat.

CAPUT II.

De Divortio

Divortium licet aliquando sumatur pro separatione Conjugum, dissoluto matrimonio, ut apparet in tit. D. et C. de Divort., et Repud., tamen hic sumitur divortium, uti legitima separatio viri ab uxore, vel e contrario, manente adhuc vinculo conjugali. Divortium triplex est, quoad torum tantum, quoad habitationem tantum, vel quoad torum, et habitationem simul. Hinc.

Q. Num sit licitum divortium?

R. Maxime, et patet ex Trid. loc cit. Can. 8. *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter Conjuges quoad torum, seu quoad habitationem ad certum, incertumve tempus fieri posse decernit, anathema sit.*

Q. Quotupliciter fieri potest divortium?

R. Dupliciter, et *perpetuo*, et *ad tempus*, licet divortium perpetuum sit verum, et proprium, L. *Divortium* D. de divort. Effectus divortii perpetui est, quod potest pars innocens assumere statum perpetuum, scilicet profiteri, vel Sacros Ordines recipere.

Q. Quotuplici ex capite fieri potest divortium?

R. Ex duplici, ex amore virtutis, scilicet, ut Deo tutius inserviant, atque liberius, ac sine impedimento facultatem habeant Dominum obsecrandi, uti loquitur Apostolus 1. ad Corinth., vel causa delicti. Conditiones requisitae ad faciendum divortium amore virtutis sunt tres, scilicet mutuus consensus, ut non adsit periculum incontinentiae, et ut sit factum amore virtutis. Hujusmodi autem divortium potest fieri vel ad tempus, vel in perpetuum, qua de re infra uberius.

Q. Conjux potestne facere divortium ob quodcumque alterius Conjugis crimen?

R. Minime, nam si ob quodlibet peccatum Conjugis fieri posset divortium, fere omnia matrimonia per divortium dissolverentur, cum multi sint, qui sine crimine non vivant. Verum si Conjux Conjugem ad peccatum tradere nitatur, fieri potest divortium, Cap. *Quaesivit* de divort.

Q. Quaenam ergo sunt crimina, unde fieri potest divortium?

R. Sunt I. Adulterium carnale, Cap. *Significasti*, et Cap. *Litteris* de divort. II. Adulterium spirituale, nempe lapsus in haeresim, vel infidelitatem, Cap. *De illa* tit. eod., et Cap. ult. de convers. conjugat. III. Saevitia Conjugis, unde sibi grave malum timetur, Cap. *Ex transmissa*, et Cap. *Litteras* de restit. spoliat. IV. Periculum Animae, et periculum corporis, Cap. *Si habes* 24. quaest. 23, et arg. Cap. *Quae sint* de divort.

Quod potest fieri divortium ratione adulterii patet, quia Conjux carnem

Digitized by Google

suam divisit in alterum, contra naturam pacti matrimonialis, sic ex communi sententia DD. cum D. Thoma, et habetur etiam expresse ex Matth. 19: *Dico autem quia quicumque dimisit uxorem suam, nisi ob fornicationem, moechatur*

Q. Ex quo delicto fieri potest divortium perpetuum ?

R. Ex delicto fornicationis Cap. *Gaudemus* de divort., nam frangenti fidem matrimonii, non est fides amplius servanda: ex aliis vero delictis potest fieri divortium ad tempus, scilicet durante causa. Ratio disparitatis est, quia adulterium violat substantiam matrimonii, cetera vero tantum accidentalia violant. Praeterea factum divortium perpetuum potest pars innocens assumere statum perpetuum, h. e. vel profiteri Religionem, vel Ordines sacros suscipere: communiter.

Q. Num facto divortio propter adulterium, si Conjux adulter emendatus sit, utrum debeat revocari ?

R. Ordinarie loquendo non tenetur pars innocens ad recipiendum adulterum, quia frangendo semel matrimonii fidem privatus est ille jure exigendi debitum. Praeterea per poenitentiam non desinit quis esse nocens, uti recte advertit. Glossa in Cap. *Admonere* causa 23. quaest. 2. verb. *Poenitentia*.

Dixi *ordinarie*, nam interdum ex honestate, immo ex caritate tenetur recipere emendatum, uti esset, si Conjux emendatus in incontinentiae periculo versetur, nisi ad matrimonii jura a Conjuge innocente iterum admittatur, ac recipiatur: ita communiter ex Cap. *Si vir* de adult.

Q. Num ille qui ratione haeresis alterius Conjugis assumpsit statum perpetuum, puta emisit professionem etc. teneatur redire ad partem jam emendatam.?

R. Vel divortium factum fuit auctoritate Ecclesiae, et non tenetur, textu expresso in Cap. *De illa* de divort. ibi: *Si vero judicio Ecclesiae ab eo recessit, ad recipiendum eum nullatenus dicimus compellendum*: et concordat Cap. *Mulier* de convers. conjugat. Vel fuit factum auctoritate privata, et tenetur ad eum iterum redire, cit. Cap. *De illa*, ibi: *De illa, quae viro suo labente in haeresim, sive judicio Ecclesiae declamavit, videtur nobis, quod mulier ei, cum conversus fuerit, est reddenda, quae etiam si reverti noluerit, compellatur.*

Q. Num Conjux teneatur facere divortium ?

R. Regulariter loquendo non tenetur, uti colligitur ex Cap. *Quemadmodum* de jurejur., nam cum hoc sit concessum in favorem Conjugis innocentis, dicendum, quod possit pars innocens cedere juri suo. Permisit enim Dominus, *non jussit*, inquit D. Augustin. de Serm. Domini in Monte Cap. 27.

Dixi *regulariter*, quia dantur casus, in quibus tenetur innocens facere divortium, et I. Est quando divortium requiritur ad salutem delinquentis spiritualem, Cap. *Si vir* de adult., ibi: *Si vir sciens uxorem suam deliquisse, quae non egerit poenitentiam, sed permanet in fornicatione, vixerit cum illa, reus erit, et ejus peccati particeps.* II. Quando adest injuria Proximi, aut periculum damni ab eo incurrendi, uti si ex consortio cum uxore adultera proles incerta redderetur, aut adulterinus filius reputandus esset legitimus. Sed hanc causam, qua vir teneatur divertere ab uxore adul-

Digitized by Google

tera, plures rejiciunt. Vide Sanchez lib. 10. de Matrim. disp. 13., et Salmantic. Cap. 16 de Matrim. punct. 1. III. Quando requiritur ad vitandum scandalum, ne maritus videatur indulgere crimini mulieris.

Q. An etiam hoc jus faciendi divortium competat uxori respectu viri?

R. Maxime, quia jus divortii oritur ex conjugalis fidei violatione, ad quam Conjuges aequali jure obligantur.

Q. Quid si facto divortio per judicis sententiam ratione adulterii, conjux innocens postea fornicetur?

R. Ante sententiam Judicis non teneri recipere uxorem adulteram, ita D. Thomas, Sotus, aliique. Sed alii cum Glossa probabilius dicunt teneri, quia ipse etiam irrogavit injuriam fidei maritali, ac proinde haec sua injuria compensat injuriam alterius, et hanc sententiam probant ex argum. Cap. *Ex litteris* de divort., ubi vir, qui post divortium aliam duxerat, restitui jubetur priori uxori, licet adulterii crimine inquinatae, ut vir ei exprobabat, et ipsa mulier id fateri non erubescebat. Idem dic, quando crimen alterius est notorium, et suum adulterium est occultum. Vid. clar. Gonzalez Commentar. in cit. Cap. *Ex litteris*.

Q. Quid si cum Conjuge Conjux sine gravi periculo Animae cohabitare non possit?

R. Quamdiu durat periculum hujusmodi, non solum posse, sed teneri facere divortium, quando aliter malo occurrere non potest, ut colligitur ex Cap. *idolatria* caus. 28. q. 1. Quare faciendum est divortium, si maritus uxorem ad sodomiticum concubitum, vel ad adulteria, vel ad lenocinia inducere, atque impellere directe vel indirecte conetur, vel conjux sit veneficus, et cohabitatio cum illo esse non possit sine periculo Animae, vel corporis. Quin docet D. Thomas, quod potest conjux instituere divortium, si sic faciendo, potest Conjugem retrahere ab aliquo gravi crimine, quo est implicatus, et ratio, quia praevalet bonum commune.

Q. Ad quem conjugem spectant liberi facto divortio inter Conjuges?

R. Ordinarie loquendo debent remanere apud conjugem innocentem, expensis tamen patris, si hic divortio causam dedit. Sin contra, apud Patrem, expensis matris locupletis, saltem post Judicis sententiam. Dixi *ordinarie loquendo liberos relinquendos esse apud conjugem innocentem*, quia excipitur I. Si hic innocens sit infidelis, nam in tali causa tradenda est proles conjugi fideli, licet nocenti. II. Si hic innocens sit pauper, et conjux nocens sit dives. Laymau. Verum in secundo hoc casu innocens debet adire Judicem, cui exponendo periculum prolis, si sub cura patris nocentis maneat, ut adstringat partem nocentem ad alimenta pro prole, et interim sit sub cura patris innocentis.

Q. Qua auctoritate potest fieri divortium?

R. Vel adulterium est publicum, et potest fieri auctoritate privata, arg. Cap. *Significasti* 4. de divort.: *Si notorium est, milierem ipsam commisisse adulterium, ad eam recipiendam vir cogi non debet.* Sanchez, Barbosa, aliique, modo tamen non adsit ratio scandali, nam tunc judicio Ecclesiae faciendum est divortium, uti docet D. Thomas, Bonaventura, et alii communiter.

Vel delictum est occultum, et non potest fieri auctoritate privata quoad habitationem, Cap. *Ex parte* de sponsalib., ibi: *Nemini licet uxorem*

Digitized by Google

suam sine manifesta causa fornicationis dimittere. et Cap. *Significasti* de divor., quoad torum autem potest fieri auctoritate privata; quia talis negatio debiti est actio privata.

Q. Num possit pars nocens assumere statum perpetuum?

R. Potest I. Quando innocens statum perpetuum assumat, nam si innocens non mutat statum, non potest nocens assumere statum perpetuum, quia divortium nihil incommodi innocenti afferre debet, Sanchex, et DD. communiter. Tamen excipe, quando obtinuit consensum innocentis: II. Quando emendatus semel, atque iterum petiit veniam ab innocente, et ille recusavit, Cap. *Gaudemus* 19. de conversion. conjugat. Et licet in laud. Cap., ubi dicitur, mulier tantum collocanda ad perpetuam poenitentiam, h. e. peragendam in monasterio, neque ex hoc ipso fieri, aut effici Monialem probat, ac docet Gonzalez in dict. Cap. *Gaudemus*, et in Cap. 1. de Regul., non inde tamen deducendum non posse adulteram Religionem etiam profiteri ex praesumpta saltem et interpretativa licentia conjugis innocentis, uti probat Sanchez de Matrim. lib. 10. Cap. 10. n. 15. Profitente tamen conjuge adultera non tenetur conjux innocens profiteri, aut continentiam vovere, quia jura id decernentia non loquuntur in causa divortii perpetui ob jus violatum matrimonii.

Q. Num facto divortio debeatur dos uxori?

R. Vel divortium factum fuit ex licita causa, et debetur, Cap. *Mulieris* de donat. inter vir., et uxor. Vel factum fuit ratione adulterii ab uxore patrati auctoritate Ecclesiae, vel voluntate propria delinquentis, et non debetur, Cap. *Plerumque* tit. eod.

Q. In quibus causis non potest fieri divortium?

R. In pluribus, et I. Si conjux innocens remiserit injuriam Conjugi adultero, quia jam cessit juri suo, arg. Cap. *Quam periculosum* caus. 7. q. 1., L. *Si maritus* §. *Si negaverit* D. ad L. Jul. de adult. II. Si uterque conjux adulterium commiserit, cit. Cap. *Significasti* de divort. III. Si adulterium sit materiale tantum, sivè sine culpa commissum, puta per vim, per ignorantiam invincibilem etc., Cap. *Revera* causa 32. q. 5., ibi: *Revera non potest caro ante corrumpi, nisi mens fuerit ante corrupta,* et Cap. *In lectum* caus. 34. qu. 1. IV. Si vir fuit uxori causa adulterii, veluti si eam prostituat; vel adulterium permittat, *quia scienti, et consentienti non fit injuria,* Regul. 28. Jur. in VI; vel scit uxoris adulterium, et non contradicit, L. *Cum quid* D. si cert. petat., ibi: *Taciti, et expressi idem est judicium.*

CAPUT III.

De debito conjugali

Q. Quo jure conjuges tenentur simul habitare?

R. De Jure Divino, et ex natura contractus, nam pertinet hoc ad bonum fidei conjugalis, sicut redditio debiti conjugalis pertinet ad idem bonum fidei conjugalis, patet et ex Genesi 2: *Quamobrem relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una,* et ex matrimonii definitione: *Individuam vitae consuetudinem retinens.*

Digitized by Google

tera, plures rejiciunt. Vide Sanchez lib. 10. de Matrim. disp. 13., et Salmantic. Cap. 16 de Matrim. punct. 1. III. Quando requiritur ad vitandum scandalum, ne maritus videatur indulgere crimini mulieris.

Q. An etiam hoc jus faciendi divortium competat uxori respectu viri?

R. Maxime, quia jus divortii oritur ex conjugalis fidei violatione, ad quam Conjuges aequali jure obligantur.

Q. Quid si facto divortio per judicis sententiam ratione adulterii, conjux innocens postea fornicetur?

R. Ante sententiam Judicis non teneri recipere uxorem adulteram, ita D. Thomas, Sotus, aliique. Sed alii cum Glossa probabilius dicunt teneri, quia ipse etiam irrogavit injuriam fidei maritali, ac proinde haec sua injuria compensat injuriam alterius, et hanc sententiam probant ex argum. Cap. *Ex litteris* de divort., ubi vir, qui post divortium aliam duxerat, restitui jubetur priori uxori, licet adulterii crimine inquinatae, ut vir ei exprobabat, et ipsa mulier id fateri non erubescebat. Idem dic, quando crimen alterius est notorium, et suum adulterium est occultum. Vid. clar. Gonzalez Commentar. in cit. Cap. *Ex litteris*.

Q. Quid si cum Conjuge Conjux sine gravi periculo Animae cohabitare non possit?

R. Quamdiu durat periculum hujusmodi, non solum posse, sed teneri facere divortium, quando aliter malo occurrere non potest, ut colligitur ex Cap. *idolatria* caus. 28. q. 1. Quare faciendum est divortium, si maritus uxorem ad sodomiticum concubitum, vel ad adulteria, vel ad lenocinia inducere, atque impellere directe vel indirecte conetur, vel conjux sit veneficus, et cohabitatio cum illo esse non possit sine periculo Animae, vel corporis. Quin docet D. Thomas, quod potest conjux instituere divortium, si sic faciendo, potest Conjugem retrahere ab aliquo gravi crimine, quo est implicatus, et ratio, quia praevalet bonum commune.

Q. Ad quem conjugem spectant liberi facto divortio inter Conjuges?

R. Ordinarie loquendo debent remanere apud conjugem innocentem, expensis tamen patris, si hic divortio causam dedit. Sin contra, apud Patrem, expensis matris locupletis, saltem post Judicis sententiam. Dixi *ordinarie loquendo liberos relinquendos esse apud conjugem innocentem*, quia excipitur I. Si hic innocens sit infidelis, nam in tali causa tradenda est proles conjugi fideli, licet nocenti. II. Si hic innocens sit pauper, et conjux nocens sit dives. Laymau. Verum in secundo hoc casu innocens debet adire Judicem, cui exponendo periculum prolis, si sub cura patris nocentis maneat, ut adstringat partem nocentem ad alimenta pro prole, et interim sit sub cura patris innocentis.

Q. Qua auctoritate potest fieri divortium?

R. Vel adulterium est publicum, et potest fieri auctoritate privata, arg. Cap. *Significasti* 4. de divort.: *Si notorium est, milierem ipsam commisisse adulterium, ad eam recipiendam vir cogi non debet.* Sanchez, Barbosa, aliique, modo tamen non adsit ratio scandali, nam tunc judicio Ecclesiae faciendum est divortium, uti docet D. Thomas, Bonaventura, et alii communiter.

Vel delictum est occultum, et non potest fieri auctoritate privata quoad habitationem, Cap. *Ex parte* de sponsalib., ibi: *Nemini licet uxorem*

Digitized by Google

suam sine manifesta causa fornicationis dimittere. et Cap. *Significasti* de divor., quoad torum autem potest fieri auctoritate privata; quia talis negatio debiti est actio privata.

Q. Num possit pars nocens assumere statum perpetuum?

R. Potest I. Quando innocens statum perpetuum assumat, nam si innocens non mutat statum, non potest nocens assumere statum perpetuum, quia divortium nihil incommodi innocenti afferre debet, Sanchex, et DD. communiter. Tamen excipe, quando obtinuit consensum innocentis: II. Quando emendatus semel, atque iterum petiit veniam ab innocente, et ille recusavit, Cap. *Gaudemus* 19. de conversion. conjugat. Et licet in laud. Cap., ubi dicitur, mulier tantum collocanda ad perpetuam poenitentiam, h. e. peragendam in monasterio, neque ex hoc ipso fieri, aut effici Monialem probat, ac docet Gonzalez in dict. Cap. *Gaudemus*, et in Cap. 1. de Regul., non inde tamen deducendum non posse adulteram Religionem etiam profiteri ex praesumpta saltem et interpretativa licentia conjugis innocentis, uti probat Sanchez de Matrim. lib. 10. Cap. 10. n. 15. Profitente tamen conjuge adultera non tenetur conjux innocens profiteri, aut continentiam vovere, quia jura id decernentia non loquuntur in causa divortii perpetui ob jus violatum matrimonii.

Q. Num facto divortio debeatur dos uxori?

R. Vel divortium factum fuit ex licita causa, et debetur, Cap. *Mulieris* de donat. inter vir., et uxor. Vel factum fuit ratione adulterii ab uxore patrati auctoritate Ecclesiae, vel voluntate propria delinquentis, et non debetur, Cap. *Plerumque* tit. eod.

Q. In quibus causis non potest fieri divortium?

R. In pluribus, et I. Si conjux innocens remiserit injuriam Conjugi adultero, quia jam cessit juri suo, arg. Cap. *Quam periculosum* caus. 7. q. 1., L. *Si maritus* §. *Si negaverit* D. ad L. Jul. de adult. II. Si uterque conjux adulterium commiserit, cit. Cap. *Significasti* de divort. III. Si adulterium sit materiale tantum, sivè sine culpa commissum, puta per vim, per ignorantiam invincibilem etc., Cap. *Revera* causa 32. q. 5., ibi: *Revera non potest caro ante corrumpi, nisi mens fuerit ante corrupta,* et Cap. *In lectum* caus. 34. qu. 1. IV. Si vir fuit uxori causa adulterii, veluti si eam prostituat; vel adulterium permittat, *quia scienti, et consentienti non fit injuria,* Regul. 28. Jur. in VI; vel scit uxoris adulterium, et non contradicit, L. *Cum quid* D. si cert. petat., ibi: *Taciti, et expressi idem est judicium.*

CAPUT III.

De debito conjugali

Q. Quo jure conjuges tenentur simul habitare?

R. De Jure Divino, et ex natura contractus, nam pertinet hoc ad bonum fidei conjugalis, sicut redditio debiti conjugalis pertinet ad idem bonum fidei conjugalis, patet et ex Genesi 2: *Quamobrem relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una,* et ex matrimonii definitione: *Individuam vitae consuetudinem retinens.*

Digitized by Google

Q. Quando tenetur conjux reddere debitum ?

R. Quando alter petit serio, instanter, et rationabiliter sive verbis expressis, sive tacitis, puta per aliquos tactus, signa, etc. Praeterea tenetur conjux reddere debitum sub mortali, quando non adest juxta causa illud denegandi. Diserte Apostolus 2. ad Corinth. Cap. 7. vers. 3.: *Uxori vir debitum reddat, similiter et uxor viro.* Hinc mortaliter peccat conjux si reddat se impotentem ad debitum reddendum, puta per jejunia, labores, voluntarias pollutiones etc., ita communiter. Vide Sanchez lib. 9. disput. 3. num. 3. et 4., et S. Antonin. part. 3. tit. 1. Cap. 16. §. 10.

Q. An actus conjugales sint liciti ex se ?

R. Maxime, et si sint vestiti debitis circumstantiis sunt honesti, et meritorii, quia est remedium ex natura rei ordinatum ad finem bonum, ac honestum, scilicet ad legitimam generis humani propagationem: immo Deus protoparentibus nostris praecepit actum conjugalem, Genesi 2.: *Crescite, et multiplicamini.* Dicitur actus conjugalis vestitus, debitis circumstantiis, quando elicitur modo, loco, tempore, et fine debito. Sanchez loc. cit. disp. 1. n. 2.

Q. An ille, qui exercet actum conjugalem ob solam voluptatem, careat omni culpa ?

R. Minime, uti patet ex propos. ab Innoc. XI. damnata die 2. Martii 1679. (1). Ratio est, quia non bonum delectabile, quod est naturae sensitivae congruum, sed bonum honestum, quod naturae rationali convenit, debet esse humanarum actionum finis. Licet autem Deus quibusdam actibus vitae necessariis aliquid intermiscuerit voluptatis, ut facilius executioni demandari possent, atque iterari, non inde tamen sequitur, quod voluptas possit esse finis nostrae deliberatae actionis, quod esset injusta ordinis inversio.

Q. Ob quem finem licite, et honeste possit exerceri actus conjugalis?

R. Praecipue ob generationem prolis, nisi per accidens, v. g. ob senectutem, vel sterilitatem haberi non possit. Secundario ad tollendam incontinentiam propriam, vel alterius conjugis: dixit enim Apostolus 1. ad Corinth. 7: *Propter fornicationem* (scilicet vitandam) *unusquisque suam uxorem habeat.* Num autem vacet culpa, si ad sanitatem tantum capiendam liceat conjugio uti, dicendum cum D. Thoma esse peccatum veniale, quia est talis usus praeter finem tum primarium, tum secundarium a Domino intentum in institutione matrimonii. Idem etiam docent multi de eo, qui ad evitandam in se incontinentiae periculum, jure matrimoniali utitur petendo conjugale debitum, quod probant ex Apostolo, qui loc. laud. ad Corinth. post verba adducta, adjungit: *Hoc autem dico secundum indulgentiam*, quando enim indulgentia tribuit, culpam denotat, inquit Augustinus.

Q. Quando conjux non tenetur reddere debitum ratione justae causae ?

R. Quando non potest reddi debitum sine notabili periculo salutis corporalis, quando alter conjux in amentia, ebrietate etc. petit, quando conjux petens debitum, adulterium commisit, quia sicuti cessat petendi, ita et reddendi obligatio, quando immoderate, et nimis frequenter petit, quando conjux ante consummationem potest ingredi Religionem, h. e. intra

(1) *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum penitus omni caret culpa, ac defectu veniali.*

Digitized by Google

duorum mensium spatium, quod ab Ecclesia conceditur Conjugibus ad deliberandum de Religione, intra quod temporis spatium non tenetur ad matrimonii consummationem juxta concordem Theologorum doctrinam innixam auctoritati, Cap. *Ex publico* 7. de convers. conjugat., demum quando loco, tempore indebite petit.

Q. Quibus ex causis non licet petere debitum?

R. Ex communi sententia DD. sub mortali non licere. I. Quando quis vovit castitatem sive ante, sive post matrimonium, Cap. *Quidam* de convers. conjug., nam tenetur servare votum, quantum potest, abstinendo ab omni actu venereo ex justitia indebito. II. Quando quis tempore matrimonii culpabiliter cognoverit consanguineam compartis in primo, vel secundo gradu; nam Ecclesia id graviter vetat ob affinitatem contractam cum Conjuge per incestum, Cap. *Si quis* 1., et Cap. *Tuae* 10. de eo, qui cognovit etc. Excipe si sequatur incestus per ignorantiam invincibilem, vel per vim, quia cum sit quaedam poena, inferri non potest, ubi non adest culpa, cit. Cap. *Si quis* III. Quando quis extra casum necessitatis prolem suam baptizat, aut in Baptismo, aut in Confirmatione tenet, quia contrahit spiritualem cognationem cum uxore, quae impedit petitionem debiti. IV. Quando quis contraxit cum dubio de valore matrimonii, nam iste talis donec dubium prudenter non deposuerit, non potest petere, licet possit reddere alteri comparti, quae bona fide contraxit, Cap. *Dominus* 2. de secund. nupt., et Cap. *In quaestionem* 47. de sent. excom.

Q. Num Conjux possit licite negare debitum intra bimestre alteri Conjugi petenti, dato quod Religionem ingredi nolit?

R. Quod licet detur conjugibus bimestre ad deliberandum de ingressu Religionis, uti patet ex cit. Cap. *Ex publico* 7. de convers. conjug., tamen probabilius dicendum est, quod non possit negare debitum in allato casu, quia Canonica Lex non intendit restringere jus debiti conjugalis, nisi in ordine ad Religionis ingressum, quia si hic cessat, cessat etiam juris restrictio, aliter tamen Clar. Sanchez; attamen Textus bimestre concedens, de ea loquitur, quae cogitabat de Religione.

Q. Num conjux innocens possit a conjuge nocente, ac spoliato proinde jure petendi, petere debitum, v. g. ab incestuoso viro, a viro, qui baptizavit extra necessitatem?

R. Maxime, quia nemo jure suo sine sua culpa privari debet, Cap. *Discretionem* de eo, qui cognov., et Cap. *Tuae fraternitatis* tit. eod., ibi: *Affinitas post matrimonium inique contracta illi nocere non debet, qui iniquitatis particeps non existit.* Verum consultius erit si pars innocens abstineat ab ipsa debiti petitione, quoad ejus fieri poterit, salvo tamen incontinentiae periculo, quod et in cit. Text. non obscure decernitur, cum dicatur ad id partem innocentem esse sollicite, et diligentius commonendam.

Q. Num possit negari debitum eo quia aliter proles multiplicatur, et eam Parentes difficile alere possint?

R. Minime, quia datur petenti occasio pollutionis, et peccati, ideoque infertur illi injuria. Neque timor multiplicandae prolis, cui alendae vix suppetere possunt facultates, potest excusare conjugem negantem a peccato tum injustitiae, tum scandali, quod certum esse videtur apud omnes, et christiana pietas suadet in Deum, qui pascit volucres, et confidentes in

Digitized by Google

se vere non deserat, juxta illud Prophetae, Psal. 36. v. 25.: *Junior fui, etenim senui, et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quaerens panem.*

Q. Num licitum sit accipere pharmacum ad impediendam generationem, quia uxor experta est se conjici in periculum mortis, si prolem concipiat, et pariat, et tali modo satisfacere viro suo petenti debitum?

R. Minime, nam id directe repugnat principali, ac directo fini matrimonii, qui est generatio prolis. Neque obstat, quod secundum aliquorum sententiam, potest mater foetum nondum animatum expellere pharmaco, non obstat, inquam, quia foetus tunc est, uti actualis aggressor matris, contra quem habet jus mater se defendendi per ejus expulsionem, quod non dicitur de foetu, qui actu non est, sed creditur esse posse. Layman. Huc etiam accedit, quod allata opinio vix sustineri posse videatur, licet illam Theologi docuerint quando quidem nunquam licebit directe procurare abortum foetus inanimis, etiam ad servandam matris vitam.

Q. Num sit licitum accedere ad Uxorem tempore gestationis?

R. Accedere ad uxorem eo tempore, quo illa in utero gestat foetum conceptum, communissime docent non esse peccatum mortale, nisi adsit periculum abortus, ita Theologi omnes duce D. Thoma in IV. sent. dist. 31., qui ait: *Hieronymus vituperat accessum viri ad uxorem impregnatam, non tamen ita quod semper sit mortale, nisi forte quando probabiliter timeatur de periculo abortus.*

Quando autem hujusmodi periculum recte, ac prudenter praesumi possit docet cl. Ligorius num 924.

Negari tamen non potest id esse venialem tantum culpam, uti communius docent Theologi contra Sanchez. Etenim ex doctrina D. Augustini, conjugalis concubitus etiam sedandae concupiscentiae causa, sed tamen cum conjuge, culpam habet venialem.

Q. An sit licitum petere debitum tempore menstrui?

R. Accedere ad uxorem tempore menstrui, uti communissima, et probabilior sententia docet, teste cl. Ligorio n. 925. non esse mortale, sed tamen non excusari a veniali. Quod non sit mortale patet, nam finis generationis per se non frustratur tali concubitu, non tamen caret culpa veniali, quia nolle conjuges expectare tempus generationis aptius brevi adventurum, involvit quandam turpitudinem, atque inordinationem, cum foemina tunc sit inepta commodae receptioni, ac retentioni seminis. In utroque tamen casu graviter moneantur conjuges, ut se abstineant a copula, si fieri potest citra periculum incontinentiae.

Q. Quot peccata committit, qui habens copulam cum muliere, ob periculum concipiendae prolis effundit semen extra vas naturale?

R. Esse manifestam culpam mortalem contra naturam semine emisso impedire generationem, quia Natura ad solam generationem semen destinavit, quod damnabile est in coitu fornicario, et damnabilius perpetratur cum Conjuge, cum sit contra bonum fidei, et prolis, atque etiam esset peccatum contra justitiam, si uxore invita, et dissentiente id fiat, quia lege matrimonii is concubitus debitus est uxori, ex quo sequi possit generatio, cum ad id ordinetur matrimonium. Hujusmodi autem, uti patet, non est concubitus, ubi vir semen effundat extra vas.

Digitized by Google

Atque hoc fuit peccatum, quo sese inquinavit Onan, qui ne suscitaret semen fratri suo praemortuo, semen effundebat in terra, rem detestabilem faciens, atque idcirco percussus fuit a Domino, Geneseos cap. 38 v. 9 et 10.

CAPUT IV.

De Matrimonii impedimentis

Impedimentum est illud, quod impedit, vel dirimit matrimonium. Hinc duplicis generis sunt matrimonii impedimenta, alia sunt *impedientia*, quae reddunt illicitum matrimonium, licet sit validum, alia sunt *dirimentia*, quae reddunt illud et illicitum, et invalidum, non obstante quacumque ignorantia sive juris, sive facti, communiter.

Q. Quaenam sunt impedimenta impedientia?

R. Sunt ista, quae in hocce versiculo continentur:

Sacratum Tempus, vetitum, sponsalia, Votum.

Q. Quid venit nomine sacrati temporis?

R. Venit tempus illud, quo perdurante quibusdam anni temporibus ex instituto, et praescripto Ecclesiae non potest celebrari solemnitas nuptiarum non vero matrimonium, quod tempus, licet juxta antiquos Canones longius erat, uti patet ex Cap 8. 10., et 11. caus., 33. qu. 4., tamen juxta Trid. sess. 24. de reform matrim. Cap. 10. est ab Adventu Domini usque in diem Epiphaniae, et a Feria quarta cinerum usque ad octavam Paschatis inclusive.

Q. Quid venit nomine vetiti?

R. Vetitum Ecclesiae nihil aliud significat, nisi generalem vel particularem prohibitionem Ecclesiae, aut Episcopi, vel Parochi ex justa, et rationabili causa, contractionem matrimonii prohibentis, usque dum causa, quae impedit, discutiatur a Judice competente, argum. Cap. 1. 2., et 3. de matrim. contr. interdict. Eccles. celebration., et Cap. ult. de clandest. desponsat.

Q. Quid venit per ly sponsalia?

R. Venit, quod quis non potest licite contrahere matrimonium cum aliqua, contractis jam sponsalibus validis cum alia persona, nisi prius sint rite dissoluta, argum. Cap. *Ex litteris*, et Cap. *Duobus modis* 1. de sponsal. duor., ubi dicitur, quod si aliquis alicui mulieri fidem fecerit pactionis, non debet aliam ducere, *si aliam duxerit, poenitentiam debet agere de fide mentita, manet tamen cum illa, quam duxerat.*

Q. Quid venit nomine voti?

R. Venit omne votum simplex castitatis, item votum simplex ingrediendi Religionem, assumendi ordinem sacrum, vel nunquam nubendi, quia directe adversantur statui matrimonii, ideo impediunt illud contrahendum non tamen dirimunt contractum, cum hoc nullo jure expressum reperiatur, Cap. *Consulit*, et Cap. *Rursus* qui Cleric., vel vovent matrim. contraher. poss., et Cap. unic. de vot. in VI.

Q. Quomodo, et quando peccetur contrahendo Matrimonium cum voto simplici castitatis, aut cum voto ingrediendi Religionem, vel nunquam nubendi, aut assumendi Ordinem Sacrum?

R. I. Ille, qui cum voto simplici castitatis matrimonium contrahit, peccat nubendo, et nunquam petere potest ab uxore conjugale debitum, nisi obtenta prius dispensatione ab obligatione voti; reddere tamen valet, ac

Digitized by Google

tenetur saltem post elapsum bimestre temporis spatium, mortua autem uxore, tenetur abstinere a secundis nuptiis. Horum autem ratio est, quia constante jam matrimonio valide contracto, licet non sine peccato, votum antea emissum servandum erit, quatenus, et quantum poterit sine injuria compartis, Cap. *Quidam* 3. de convers. conjugator.

R. II. Qui matrimonium contrahit cum voto ingrediendi Religionem peccat consummando matrimonium, sive prima vice reddendo, vel petendo, qui redditur inhabilis ad observationem voti, quod implere tenebatur ante matrimonii consummationem. Matrimonio autem semel consummato, matrimoniali jure uti poterit indiscriminatim, sive petendo, sive reddendo quia tunc votum cum evaserit de re impossibili, suspensum manet, donec uxor vel moriatur, vel adulteratur, vel consentiat, vel maritus Religionem ingrediatur, tunc enim veluti reviviscit obligatio voti, ac proinde ad illud implendum vovens adstringitur.

R. III. Qui autem se adstrinxit voto non nubendi, et postea contrahit matrimonium, peccat quidem contrahendo matrimonium, quia directe agit adversus obligationem voti, ut patet. Matrimonio autem contracto, licite, et sine peccato posse petere, ac reddere conjugale debitum communiter docent Theologi. Mortua vero uxore, aliud inire matrimonium non debet, ne novo se peccati reatu obstringat adversus Religionis virtutem iterum violando votum.

R. IV. Qui cum voto suscipiendi Ordines sacros matrimonium contrahit peccat contrahendo, quia contrahendo matrimonium jam fit inhabilis ad votum implendum, cum durante matrimonio etiam nondum consummato, nullum sacrum Ordinem potest recipere, Extravag. *Antiquae* de voto. Quinimo, et consummando matrimonium prima vice, novo se peccato crederem illigare, cum hac ratione omnino fiat inhabilis ad votum. Poterat enim ante matrimonii consummationem Religionem profiteri, ubi per Professionem jam dissoluto matrimonio potuisset votum servare suscipiendo sacros Ordines, quos semel consummato matrimonio recipere amplius non potest, nisi de licentia uxoris, aut in causa adulterii, aut mortis ejusdem. At consummato semel matrimonio, licet posse petere, et reddere non dubitarem, cum votum maneat suspensum. Defuncta vero uxore reviviscit voti obligatio.

Q. Quisnam possit dispensare in impedimentis impedientibus matrimonium?

R. Certum est posse Episcopum dispensare in impedimento Sacrati Temporis, aut Vetiti, ut illis non obstantibus contrahatur matrimonium. At non potest dispensare in impedimento sponsalium, cum illud sit de Jure Naturae. Quin nec etiam Summus Pontifex id potest, nisi gravissima intercedente causa. In impedimento voti perpetuae castitatis, aut ingrediendi Religionem non posse Episcopum dispensare, constat apud omnes, cum sint Sedi Apostolicae reservata. Potest vero dispensare in aliis recensitis votis.

Q. Quaenam sunt impedimenta dirimentia?

R. Sunt ista, quae sequentibus versiculis relatis comprehenduntur a D. Thoma part. 3. q. 50. supplemen.

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas,

Digitized by Google

Si sis affinis, si forte coire nequibis,
Si Parochi, aut duplicis testis praesentia desit,
Raptaque sit mulier, nec parti reddita tutae :
Haec facienda vetant connubia, facta retractant.

Q. Quo jure sint haec impedimenta ?

R. Quinque sunt de Jure Naturae, scilicet error circa personam, consanguinitas in primo gradu lineae rectae, vis absoluta, ligamen, et impotentia antecedens, et perpetua, cetera vero sunt de Jure positivo.

Q. Num omnia sint de jure antiquo?

R. Duodecim sunt de Jure antiquo, duo vero sunt de Jure novo Tridentini, scilicet Parochi, et testium praesentia, ac Raptus.

Q. An Ecclesia habeat hanc potestatem opponendi impedimenta dirimentia?

R. Maxime, et patet ex Tridentino sess. 24. can. 4. *Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit.* Quinimo Concil. Trid. sess. cit. can. 12. generaliter definivit causas matrimoniales spectare ad forum ecclesiasticum, his verbis: *Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos, anathema sit.*

Q. Quale peccatum sit matrimonium contrahere cum impedimento dirimente ?

R. Est peccatum mortale, cum sit violatio Legis justae in re magni momenti, ut omnes Doctores tenent, probabilius est etiam esse peccatum mortale sacrilegii, quia taliter contrahentes ad velandum suum scelestum contractum, ritibus, ac nomine matrimonii abutuntur, non sine ejus injuria, ac irreverentia.

Q. Num detur casus, in quo nulliter contrahens non peccat ?

R. Maxime, et est, quando metus gravis, et cadens in virum constantem cogit aliquem in matrimonium invalide, et tantum exterius consentire, iste enim non peccat, cum revera non habet animum contrahendi, sciens se absolute, efficaciterque non posse, sed tantum promittendi, quatenus ex sua parte potest. Layman.

Neque dicas, quod si esset verus hic casus, daretur locus proposit. 29. ab Innoc. XI. proscriptae (1). Neque dicas, inquam, quia propositio damnata loquitur de vera simulatione Sacramenti, quatenus quis ponit veram materiam, et formam Sacramenti, et tamen non intendit, neque vult facere Sacramentum. At in casu proposito non ponitur neque materia, neque forma Sacramenti matrimonii ; nam contrahens non tradit corpus suum, neque apponit consensum tradendi, ideoque non simulat Sacramentum.

Q. Quot peccata committit, qui contrahit matrimonium cum aliquo impedimento dirimente ?

R. Peccat mortaliter I. Contra praeceptum Ecclesiae II. Contra Religionem, quia infert injuriam Sacramento matrimonii. III. Contra justitiam, quia decipit compartem, quae credit valide contrahere, dum nulli-

(1) *Urgens metus est causa justa Sacramentorum simulationem administrandi.*

Digitized by Google

ter contrahit. IV. Contra Religionem, quia indigne, seu indisposite quantum est de se, atque effective recipit Sacramentum.

Q. Num incidant in aliquam poenam?

R. In aliquibus casibus incidit in excommunicationem nemini reservatam, uti patet ex Clementina *Eos, qui* unic. de consanguinit., et affinit. Casus istius Clementinae sunt. I. Qui celebrat matrimonium cum consanguinea, vel affine usque ad quartum gradum. II. Qui in sacris constitutus matrimonium celebrat. III. Religiosus, vel Religiosa matrimonium celebrantes.

Q. Quaenam est differentia, quae intercedit inter excommunicationem Clementinae, et illam, quae opponitur a Synodo Dioecesana Neapolitana contra committentes incestum?

R. Haec est: prima non est reservata, secunda est reservata Ordinario Neapolitano quoad viros, nam quoad mulieres licet sit reservata, tamen ex benignitate Ordinarii, a quocumque Confessario potest absolvi, imposita salutari poenitentia, et remota occasione. Ad contrahendum primam, requiritur contractio matrimonii, ad secundum requiritur copula. Prima extenditur usque ad quartum gradum, secunda usque ad secundum sive consanguinitatis, sive affinitatis.

§. I. *De impedimento erroris*

Q. Quid est error in matrimonio, et quotuplex:

R. Est acceptio unius personae pro alia. Duplex est, *circa personam*, *et circa qualitatem*. Primus habetur, cum quis intendit contrahere cum Theresia, et contrahit cum Berta, quae loco illius se offert, secundus habetur, cum quis credit contrahere cum Theresia vestita aliquibus qualitatibus, quas revera non habet, uti cum virgine, divite etc., et ea est deflorata, et pauper, Cap. *Quod autem* caus. 29. q. 1.

Error tam circa personam, quam circa qualitatem potest, esse et *antecedens*, seu dans causam contractui, et *concomitans*, seu incidens in contractum, et *consequens*. Primus habetur, cum quis credit contrahere cum una, et contrahit cum alia, et si scivisset esse aliam, nullo modo contraxisset. Secundus habetur, cum quis credit contrahere cum una, et contrahit cum alia, tamen si scivisset esse aliam, adhuc contraxisset, sed non tam de facili. Tertius habetur cum quis credit contrahere cum una, et contrahit cum alia, tamen in contractione dubitabat, et noluit diligentiam adhibere, hinc:

Q. Num matrimonium celebratum per errorem valeat?

R. Vel fuit celebratum per errorem circa personam, et matrimonium est nullum Jure Naturae defectu consensus, sive error sit antecedens, sive concomitas, nam animus contrahentis non est in quamcumque mulierem, sed in illam, quam credebat, et in mente sua decreverat, quae cum non sit, deficit proinde animus, seu intentio, et consensus contrahentis, cap. *Tua nos* de sponsalib., et Cap. *Sufficiat* causa 27. qu. 2.

Vel fuit celebratum per errorem circa qualitatem, et est validum, cum habeatur consensus substantialis circa illam personam, cum qua contrahitur matrimonium, et error circa qualitatem non tollit voluntarium abso-

Digitized by Google

lutum, sive consensum substantialem circa personam sive antecedens, sive concomitans, sive consequens sit error. Ita communiter ex cit. Cap. *Quod autem* caus 29. qu. 1., ubi dicitur *quod error fortunae, et qualitatis, conjugii consensum non excludit. Error vero personae, et conditionis*, (nempe servilis) *conjugii consensum non admittit.*

Q. Daturne casus, in quo error est circa qualitatem, et matrimonium est nullum?

R. Maxime, et I. Est, quando error qualitatis redundat in personam, uti si quis contrahere intendat cum primogenita, et contrahit cum secundagenita, quia error circa talem qualitatem impedit consensum circa personam, quae fuit determinata per talem qualitatem. II. Est, quando qualitas est apposita sive verbis expressa, sive in mente ipsius contrahentis, tanquam conditio, *ut accipio te in uxorem, si sis dives;* quia consensus conditionatus non subsistit, non subsistente conditione, cui alligatur. Etenim omnis contractus sub conditione honesta de praesenti initus, conditione non subsistente nullus est, L. *Cum ad praesens* 37. D. de reb. credit., et L. *Cum in secundo* D. de injusto rupt. Vide D. Thom. in IV. dist. 30. quaest. 1. art. 2. ad 5., Sanchez lib. 7. disp. 18. n. 21.

§. II. *De impedimento conditionis*

Q. Quando habetur hoc impedimentum conditionis?

R. Quando liber ex ignorantia celebrat matrimonium cum serva, vel e contrario, textu expresso in Cap. *Ad nostram* 4. de conjug. servor. Quod impedimentum fuit appositum ad tollendam inequalitatem, nam liber plenam sui corporis potestatem traderet alteri Conjugi, et haec, quia serva plenam sui corporis potestatem tradere non posset, neque ad individuam vitae consuetudinem se obligare, cum esset sub potestate dᵒmini.

Q. Num matrimonium initum a persona libera cum serva scienter valeat?

R. Valet, ut aperte patet ex Cap. *Proposuit*, et cit. Cap. *Ad nostram* de conjug. servor., nam volenti, et consentienti nulla fit injuria. Sanchez, aliique. Praeterea non peccat, quia contrahit matrimonium cum serva, quia non datur lex hoc prohibens, sed solum incidit in irregularitatem, Can. *Si quis* 15. dist. 34.

Q. Num matrimonium initum a libero cum serva ex ignorantia concomitanti, puta si scivisset esse servam, adhuc contraxisset, valeat?

R. Non valet, quia non adest actualis consensus, liber, et voluntarius cedendi juri suo, nisi forte actualiter haberet animum contrahendi cum ea, etiamsi esset ancilla. Salmanticenses, Bonacina, aliique.

De natura, et qualitate servorum, vide interpretes juris Civilis fuse hanc tractantes materiam.

§. III. *De impedimento Voti*

Q. Ex quo voto oritur hoc impedimentum?

R. Oritur ex voto solemni, quod est duplex, scilicet votum solemniza-

Digitized by Google

tum per susceptionem sacri ordinis, et per professionem in Religione approbata emissam, argum. Cap. unic. de vot. in VI.

Q. An haec duo vota dirimant matrimonium eodem modo?

R. Minime, nam primum votum, scilicet sacri Ordinis, dirimit matrimonium contrahendum, non autem dirimit matrimonium jam prius contractum, quamvis nondum fuerit consummatum, uti definitum fuit a Joanne XXII. in Extravag. *Antiquae* de vot. Secundum votum, scilicet professionis, dirimit matrimonium etiam contractum ratum, textu expresso in Cap. *Verum* 2., et Cap. *Ex parte* 14. de convers. conjugat., et Trident. sess. 24. de Matrim. Can. 6. *Si quis dixerit matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.*

Q. Quare Ecclesia vult, ut per professionem matrimonium ratum dirimatur, et non per susceptionem Ordinum sacrorum?

R. Quia per primam censetur fieri perfectissima traditio sui ipsius, et reciproca obligatio cum Religione, ideoque mors quaedam spiritualis, ac veluti alterum spirituale matrimonium uti docet Divus Thomas, cui merito prius secundum carnem initum cedere debet, quae perfecta traditio, ac spiritualis mors in susceptione sacri Ordinis non reperitur.

Q. In quibus casibus vir potest recipere sacros Ordines post contractum matrimonium?

R. In duobus casibus, et I. Ex licentia uxoris. II. Ratione justi divortii, uti supra diximus. Attamen, ut maritus possit recipere sacros Ordines ex uxoris licentia, vel ingredi Religionem post matrimonii consummationem, constat requiri licentiam liberam uxoris spontaneam, et expressam, et ut uxor voveat castitatem perpetuam, Cap. *Conjugatus* 5. de convers. conjugat., et ut ab Episcopo licentia petatur, licet haec licentia non sit de substantia, sed solum de praecepto; quare, ut licite id fieri possit, requiritur ex consuetudine consensus Episcopi, Can. *Si quis* caus. 27. q. 2., et Cap. *Praeterea* de convers. conjug.

Q. Num ista uxor, viro profitente Religionem; aut recipiente sacros Ordines, teneatur ingredi Religionem?

R. Vel est juvenis, et tenetur ob periculum incontinentiae. Vel est senex, et non tenetur, nisi adsit periculum incontinentiae, vel maritus fiat Episcopus, quia tunc tenetur ingredi Religionem, et profiteri, Cap. *Sane* 6. de convers. conjugat. Ita DD. communiter, teste Sanchez.

Q. Quid si conjux altero inscio, vel invito post consummatum matrimonium profiteatur Religionem?

R. Professionem esse invalidam, quia cum Conjux vinculo conjugali adstrictus, sui corporis potestatem non habeat juxta Apostoli sententiam, nihil habet, quod ad Religionem deferat. Quare altero Conjuge ipsum repetente, tenetur iste Religionem professus e Monasterio egredi, atque ad conjugem suum redire, immo nec etiam mortuo altero Conjuge tenetur, aut cogendus est ad Monasterium regredi, licet arcendus sit, atque prohibendus ab ineundo secundo matrimonio, et primo perdurante carnale debitum exigere non potest, cum simplici castitatis voto: quo se obligare potuit altero inscio, aut invito, maneat adstrictus. Quae omnia constant ex Cap. *Quidam* 3., et Cap. *Placet* 12. de convers. conjugat.

Digitized by Google

Q. Quid si de licentia Conjugis facta fuerit Professio, at non servatis aliis a jure praescriptis solemnitatibus?

R. Professionem esse validam, quamvis illicitam, quia cum intercesserit conjugis consensus, alter Religioni obligare sese potuit, quod sufficit ad validam Professionem; est tamen illicita, cum fuerit emissa contra juris praescriptum, Cap. *Ex parte* 9. de convers. conjugat. Vid. cl. Gonzalez. Commentar. in Cap. 1. de convers. conjugat.

Interim animadvertendum profecto erit, quod licet Conjux, qui alteri consentiente professionem emittat, valide profiteatur, poterit tamen repeti a conjuge remanente in saeculo, et revocari a monasterio modo non ingressa fuerit Religionem, nec emiserit votum castitatis, Cap. *Praeterea* 1. de convers. conjugat., ubi decernitur, quod viro Religionem profitente, *nisi etiam uxor ad Religionem transierit, aut castitatem perpetuo servare promiserit, vir potest, et debet a Monasterio revocari,* ac revocatus carnale debitum reddere, non tamen potest petere. Mortua vero uxore aliud Matrimonium inire valide non potest, Cap. *Ex parte* tit. eod.

Q. In quam poenam incidit ille, qui post susceptionem Sacri Ordinis celebret matrimonium.

R. Incurrit ipso facto excommunicationem, et irregularitatem, Cap. *Si qui Clericorum* 1. de Cleric. conjugat., et Clement. unic. de consanguinit., et affinit, ibi: *Clericos in sacris ordinibus constitutos matrimonium contrahentes. . . . . Excommunicationis sententiae ipso facto subjacere decernimus.* At si post contractum matrimonium recipiat Ordines sacros, etiam incurrit irregularitatem: quae durat etiam uxore mortua, usque dum ab ea absolvatur, cit. Extravag. *Antiquae*; et ratio est, quia indigne suscipit sacros Ordines. Quare isthaec irregularitas est ex indigna susceptione Ordinum, cum prior irregularitas sit ex defectu Sacramenti, h. e. ex bigamia similitudinaria.

Q. Num ille, qui post contractum matrimonium ratum suscipit Ordines sacros, teneatur ingredi Religionem, et profiteri, ut possit votum adimplere?

R. D. Antoninus, aliique tenent partem affirmativam, tamen dicendum est non teneri, tum quia in cit. Extravag. *Antiquae* solum habetur, quod a Dioecesano Episcopo admoneatur, ad id faciendum, tum quia multo plus est ingredi Religionem, quam servare castitatis votum simpliciter. Sanchez. Salmant., aliique.

Q. Num peccet contra castitatem, qui post susceptionem Ordinis sacri de licentia uxoris, eam postea carnaliter cognoscit?

R. Maxime, et tam ipse, quam mulier sacrilegium committunt, nam uterque amisit jus se amplius cognoscendi, et ambo peccant contra Religionis virtutem ob voti violationem.

Q. Num ille, qui recipit Ordines per metum gravem cadentem in virum constantem, ad castitatem teneatur?

R. Vel non habet animum recipiendi sacros Ordines, et non tenetur, quia in tali casu nulla est Ordinatio, ac proinde nullum est votum. Vel habet animum Ordines recipiendi, et adest dissidium inter DD. Aliqui putant teneri ad castitatem, ac proinde non posse valide matrimonium contrahere; quia accessorium, quod est votum, sequitur sui principalis naturam,

Digitized by Google

quod est Ordo. Alii vero tenent non esse obligatum ad votum, ideoque posse licite, et valide contrahere matrimonium, quia Ordinatus, nonnisi ex voto tenetur ad castitatem, nam votum gravi metu extortum est irritum, uti colligitur ex Cap. *Perlatum* 1. de iis, qui vi met. caus. etc. Verum illa potior ac probabilior videtur sententia, quae docet tum in hoc, tum in alio proxime adducto casu utrumque teneri ad castitatem saltem ex praecepto Ecclesiae, ideoque non posse praedictos contrahere matrimonium, nisi obtenta dispensatione.

Tamen advertendum, quod in hisce supradictis casibus jam expositi est intelligendum de illo, qui adepta aetate, vel post ordinationem metu factam non ratificavit, aut verbis, aut exercendo munus ordinis hoc modo recepti. Salmantic. Praeterea tenetur ad castitatem ille, qui in receptione sacrorum Ordinum nesciebat illis adnexum castitatis votum, quia qui vult aliquem statum, vult etiam ea, quae illi statui sunt adnexa. Communiter.

Q. Quanti temporis spatium conceditur conjugibus ab Ecclesia, ut possint de Religioso instituto capessendo deliberare?

R. Bimestre, intra quod non tenentur reddere debitum, cum ambo non habeant jus petendi, Cap. *Ex publico* 7. de conv. conjug. Ubi adverte, quod si bimestre, vel aliud majus spatium temporis transeat, et matrimonium non fuit consummatum, si Religionem Conjux, invito Conjuge, profiteatur, valida erit professio, licet illicita, uti aliqui putant, quia injuriam infert alteri Conjugi remanenti, et propterea matrimonium nondum consummatum dissolvitur, ut adnotat Glossa in cit. Cap. *Ex publico*. Immo nec etiam illicita videtur hujusmodi professio, nec alteri Conjugi injuriosa, quia cuique liberum est, et licitum post consensum legitimum de praesenti, altero etiam repugnante, eligere Monasterium, in eoque profiteri, dummodo inter eos carnalis commixtio non intervenerit, quia cum non sint effecti una caro, satis potest unus ad Deum transire, et alter in saeculo remanere, Cap. *Verum* 2. de convers. conjugat.

Q. Num uxor, quae per vim fuit cognita carnaliter a suo viro, nondum elapso bimestre, possit ingredi Religionem, et profiteri?

R. Potest, etiam invito suo viro, quia nemo injuste debet expoliari suo jure. In quo est advertendum, quod vir peccavit consummando sic matrimonium, et non potest porro amplius hoc matrimonium dissolvi, quia jam sunt facti una caro, Cap. *Verum*, et Cap. *Conjugatus* de convers. conjug. Vid. Pontas verb. *Votum* cas. 2.

Q. Num valida sit Professio emissa a viro post consummationem matrimonii absque licentia uxoris, vel cum licentia, sed extorta per dolum, vel metum gravem?

R. Est irrita, Cap. *Quidam* de convers. conjugat., quia non potest corpus obligatum uxori obligari Monasterio; quare aliter inferretur gravis injuria illi. In quo est advertendum, quod iste talis tenetur redire ad Conjugem, et tenetur reddere, sed non potest petere, quia licet illud votum non valeat uti solemne, valet tamen uti simplex, cit Cap. *Quidam*, et cap. *Placet* tit. eod.

Q. Num soluto matrimonio per mortem, teneatur Religionem ingredi?

R. Minime, cit. Cap. *Quidam*, quia corpus obligatum uxori, Monasterio obligari non potuit, et obligatio, quae non subsistit a principio, tractu

Digitized by Google

temporis non convalescit, et cit. Cap. *Placet* habetur: *Consultius esse, et congruentius, si vanitatibus saeculi derelictis ad Monasterium redeat; si tamen ad hoc induci non potuit, non credimus*, inquit Pontifex, *ipsam invitam cogendam.*

Q. An datur votum simplex, quod dirimit matrimonium?

R. Maxime, et est votum emissum a muliere, quae dedit licentiam viro recipiendi Ordines sacros, uti patet ex Can. *quia sunt* 10. dist. 28, quod est Gregorii I. responsum, et Cap. *Feriatim* 14. distinct. 42., quod est Leonis IX. responsum.

§. IV. *De impedimento Cognationis*

Cognatio triplex est, scilicet Carnalis, Spiritualis, et Legalis

De Cognatione carnali

Q. Quid est Cognatio carnalis?

R. Est vinculum personarum ab eodem stipite, carnali propagatione descendentium, seu quarum una descendit ab altera, ita communiter a DD. definitur.

Dicitur *vinculum*, quia consanguinei, cum ab eodem sanguine oriantur, majori amoris, et familiaritatis nexu connectuntur. Dicitur *personarum*, id est rationalium creaturarum, inter quas solum reperitur consanguinitas, quaeque sunt capaces veri amoris. Dicitur *carnali propagatione*, quia non contrahitur consanguinitas per quamcumque dependentiam ab alio, sed per carnalem descendentiam.

Q. Qua ratione assignatur hoc impedimentum?

R. Pluribus de causis I. Ob reverentiam, quam consanguinei sibi mutuo debent propter sanguinis communionem. II. Ad removendum periculum incestus, a quo valde arcet impotentia contrahendi matrimonium inter se, nam alioqui cum consanguinei inter se multum familiariter versentur, et invicem utantur, et continuo se invisent, si adesset spes contrahendi matrimonium, nimis latus pateret aditus incestibus. III. Ad amicitiae vincula, ac foedera protendenda, seu connectenda cum extraneis.

Q. Quid est stipes?

R. Est illa persona, a qua aliae personae, de quarum cognatione tractatur, carnali propagatione descendunt. Cognatio per lineas, et gradus distinguitur.

Q. Quid est linea, et quid gradus?

R. Linea est ordinata series personarum ab eodem stipite descendentium. Gradus est distantia cognatorum. Linea duplex est, *recta*, et *transversalis*, seu *collateralis*.

Q. Quid est linea recta?

R. Linea *recta* est collectio eorum, quorum unus ab altero descendit; quae si fiat descendendo, v. g. a patre ad filium, ac nepotes, dicitur *linea recta descendentium*, si vero fiat ascendendo, v. g. a filio ad patrem, Avum etc., dicitur *linea recta ascendentium* Linea *transversalis*, seu collateralis est collectio eorum, qui ab eodem stipite descendunt, tamen unus

Digitized by Google

non descendit ab alio, puta fratres, aut germani, aut consobrini, et hujusmodi.

Q. Quotuplex est linea transversalis ?

R. Duplex est, *aequalis*, et *inaequalis*. Prima est illa, quae habetur inter personas aequaliter distantes a communi stipite, uti duo fratres, duo patrueles etc. Secunda est illa, quae habetur inter personas a communi stipite inaequaliter distantes, uti patruus et nepos.

Q. Quaenam sunt regulae, quibus uti debemus ad computandos gradus ?

R. Tres regulae assignantur a D. Thoma in suppl. q. 54. art. 1. una pro linea recta, altera pro linea transversali aequali, et ultima pro linea transversali inaequali.

Prima haec est, *Tot sunt gradus, quot sunt personae, dempto stipite*, uti nepos distat ab avo duobus gradibus, nam pater, filius, et nepos sunt tres personae, dempto stipite, scilicet Avo, remanent duae personae, ac proinde duo gradus.

Secunda pro linea transversali aequali est: *Collaterales tot gradus distant inter se, quot a communi stipite absunt.* Hinc duo fratres uno gradu distant inter se, quia uno gradu distant a communi stipite, scilicet a patre.

Tertia pro linea transversali inaequali est: *Collaterales tot gradibus distant inter se, quot remotior distat a communi stipite*, uti patruus, et nepos, nepos distat a patruo duobus gradibus, quia ipse, qui est persona remotior, distat a communi stipite duobus gradibus.

Q. Num eodem modo computentur gradus a jure Canonico, ac a jure Civili.

R. Minime, nam Jus Civile in linea recta, et transversali una regula utitur. Jus vero Canonicum in linea recta tenet eamdem regulam, quae dat Jus Civile, minime vero in linea transversali aequali, et inaequali; quia pro unaquaque dat suam regulam, ut supra exposui. Praeterea Juris Canonici computatio habet locum in matrimoniis, in successionibus vero Juris Civilis computatio.

Q. Num consanguinitas sit impedimentum dirimens de jure naturae

R. Certum, atque exploratum apud omnes DD. esse impedimentum dirimens Jure Naturae in primo gradu lineae rectae; quia maxima reverentia debetur principio familiae, cui repugnat actus matrimonialis ob conjunctionem cujusdam turpitudinis cum eo actu, per quam fiunt conjuges una caro, et quamdam aequalitatem adquirunt inter se. In aliis vero gradibus adest litigium inter DD.; nam quidam tenent esse impedimentum de Jure Naturae usque in infinitum, et probant ex L. *Nuptiae* 53. D. de rit. nuptiar., ibi: *Nuptiae consistere non possunt in eas personas, quae in numero parentum, liberorumve sunt, sive proximi, sive ulterioris gradus sint usque in infinitum.* Ita etiam Bellarminus, et ratio est, quia viget eadem ratio, quae viget pro primo gradu, non enim est majus principium familiae pater, quam avus.

Quidam vero tenent esse tantum de Jure Naturae in primo gradu, in aliis vero de Jure positivo, et probant ex Cap. *Gaudemus* de divort; ubi Innoc. III. docet infideles, qui ad fidem convertuntur, non esse separandos a Conjugibus, si in secundo, aut tertio gradu contraxerint. Ita D. Thomas, et

Digitized by Google

alii. Licet in cit. Cap. *Gaudemus* agi videatur de illis, qui matrimonia contraxerint in secundo, vel tertio gradu lineae transversalis ; attamen certum est, quod consanguinitas in quolibet gradu lineae rectae irritat matrimonium saltem de Jure humano, ut patet ex Nicolao I. ad Consulta Bulgarorum Cap. 39., ibi: *Inter personas, quae Parentum, liberorumve locum inter se obtinent, nuptiae contrahi non possunt, veluti inter Patrem, vel Avum et neptem, et usque in infinitum.* Vide Gonzalez in cit. Cap. *Gaudemus.*

Q. Usque ad quem gradum extenditur consanguinitatis impedimentum in linea transversa?

R. Antiquitus extendebatur hocce impedimentum usque ad septimum gradum, et hoc viguit usque ad saeculum XII. At hodie ex Concil. Lateran. constitutione sub Innocent. III. celebrati extenditur usque ad quartum gradum inclusive, Cap. *Non debet*, et Cap. *Vir* ult. de consang., et affinit.

Q. In quam poenam incidit ille, qui contrahit matrimonium cum consanguinea, vel affine sua?

R. Incidit in excommunicationem nemini reservatam, cit. Clementin. *Eos qui* de consanguin. Praeterea si scienter contraxit tale matrimonium ex Concil. Trid. sess. 24. Cap. 5. debet separari a tali matrimonio absque ulla spe consequendae dispensationis: *Non enim est dignus qui Ecclesiae benignitatem experiatur, cujus salubria praecepta temere contempsit.*

De Cognatione spirituali

Q. Quid est cognatio spiritualis?

R. Est propinquitas personarum orta ex susceptione, vel administratione Sacramenti Baptismatis, aut Confirmationis.

Q. Inter quas personas hoc impedimentum contrahitur?

R. Inter baptizantem, et baptizatum, baptizatique patrem, et matrem, inter patrinos, et baptizatum, baptizatique patrem, et matrem, et sic etiam de Confirmatione. Trident. sess. 24. de reform. matrim. Cap. 2.

Q. Quaenam conditiones requiruntur, ut patrini cognationem spiritualem contrahant?

R. Plures requiruntur, et I. Est, ut teneatur infans in baptismo, hinc si quis teneat infantem jam domi baptizatum, quando supplentur solemnitates in Ecclesia, cognationem hanc non contrahit, quia non tenet illum in baptismo. II. Ut teneat infantem in primo Baptismo ; hinc si teneat illum in rebaptizatione, cognationem hanc non contrahit, quia secundus non est verus baptismus juxta Regulam Juris 52. in VI. *Non praestat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum.* III. Ut teneat puerum in baptismo solemni ; hinc si teneat illum, dum ob necessitatem domi baptizatur, cognationem non contrahit, uti constat ex Trident. loc. cit.; aliter tamen Auctor decisionum Casuum conscientiae juxta mentem, et jussu Benedicti XIV. verb. *Baptismus* relate ad cognationem spiritualem, at mihi probabilior videtur communis sententia, quam retulimus, quamque hac in re praefert cl. Sanchez. IV. Ut suscipiat puerum a sacro fonte, h. e. de manibus baptizantis, statim ac est baptizatus, Can. *Post susceptum* caus. 30.

Digitized by Google

qu. 4., vel teneat illum, dum baptizatur. V. ut habeat intentionem suscipiendi, nempe praestandi munus patrini, sive expressam, sive tacitam. VI. Ut non adsit error personae; hinc si quis per errorem teneat filium Pauli, quem existimat filium Petri, cognationem non contrahit, quia habet intentionem praestandi munus patrini quoad filium Petri, non quoad filium Pauli.

Tandem requiritur ut sit baptizatus, cum sit impedimentum de Jure ecclesiastico, et si loquamur de Patrino Confirmationis, requiritur ut sit confirmatus, Can. *In Baptismate* 102. de consecrat. distinct. 4 *In Baptismate*, inquit, *vel in Chrismate non potest alium suscipere in filiolum ipse, qui non est baptizatus, vel confirmatus*, quae verba designare invaliditatem actus, quantum ad effectum spiritualis cognationis, probat Sanchez lib. 7. disput. 60. Quare si patrinus Confirmationis, confirmatus non sit, non contrahit cognationem, uti declaravit S. Congregatio die 13. Junii 1654., et ut sit designatus vel ab aliis curam habentibus.

Q. Quaenam conditiones requiruntur, ut baptizans contrahat hanc cognationem?

R. Duae requiruntur, scilicet ut sit baptizatus, et ut revera baptizet. Ast si in domo baptizat in casu necessitatis, etiam contrahit cognationem. Sacr. Congreg. Concil. in dub cognat. spiritual. 5. Mart. 1678.

Q. Num ille, qui tenet puerum cum voluntate fungendi munere Patrini, sed absque voluntate contrahendi cognationem, hanc contrahat?

R. Maxime, quia qui vult principale, vult et accessorium; hinc cum principale sit animus praestandi munus patrini, et accessorium animus contrahendi cognationis vinculum, dicendum, quod contrahat hanc cognationem; quia habet voluntatem fungendi munere Patrini, licet non habeat voluntatem contrahendi, nam cognatio resultat ex officio Patrini, cui est adnexa cognatio ex statuto Ecclesiae.

Q. Num mandans, vel mandatarius contrahat hanc cognationem, si mandat ad suscipiendum aliquem in nomine suo?

R. Contrahit mandans cognationem, quia acta per procuratorem reputantur ipsius mandantis, nam qui per alium facit, per seipsum facere videtur, quod etiam patet ex Cardinalium declaratione, teste Navarro, et Fagnano.

Q. Quot personae possunt infantem tenere?

R. Unum vel unam, vel ad summum unum, et unam, uti ex Trident. sess. cit. Cap. 2., qui debent esse designati, ut jam diximus.

Q. Num sponsus de futuro possit matrimonium contrahere cum sua sponsa, dato, quod baptizet, vel teneat ejusdem filium?

R. Vel baptizat, et non potest, etiamsi ignoranter faciat, quia jam contraxit impedimentum, quod dissolvit sponsalia: vel tenet, et videndum: vel ignoranter tenet, cum ignorantia scilicet facti, et potest contrahere, quia habetur error circa personam, et non habetur intentio praestandi munus Patrini, quoad filium sponsae, ac proinde non habetur cognatio: vel scienter tenet, et non potest ob impedimentum jam contractum, Cap. *Veniens* 6. de cognat. spiritual.

Q. Quid dicendum, si conjux baptizat filium ex ignorantia, vel teneat in baptismo?

Digitized by Google

R. Jure petendi non privatur, si ignoranter fecerit, Cap. *Si vir* 2. de cognat. spiritual., nam prohibitio ista cum sit in solo Jure ecclesiastico fundata, ille, qui ignoranter fecerit, ab eodem excusatur, Sanchez.

Q. Num infidelis, qui baptizat filiam fidelis, possit cum ea contrahere, dato quod veniat ad fidem?

R. Maxime, quia tempore quo baptizavit non erat capax cognationis, quoniam erat ipse sine Baptismo; cum enim in Christo spiritualiter per Sacramentum Baptismi genitus nondum fuisset, nec etiam cognationem spiritualem contrahere potuit. Ita D. Thomas, quo duce communi calculo hanc sententiam docuere Theologi, neque isthaec cognatio postea per Baptismi susceptionem consurgit, quia fundamentum, quo unice innititur istiusmodi cognatio, scilicet Baptismus, non amplius existit licet alii contrarium opinentur.

De Cognatione Legali

Q. Quid est cognatio, seu affinitas legalis?

R. Est vinculum, sive propinquitas personarum orta ex adoptione perfecta. Ita communiter, et argum. L. *Adoptivus* D. de Rit. Nuptiar.

Q. Quid est adoptio, et quotuplex?

R. Definitur a D. Thoma in supplemento quaest. 57. art. 1. *Extraneae personae in filium, aut nepotem legitima assumptio.* Dicitur *extraneae*, scilicet quae non fit ex descendentibus adoptantis, ac proinde sub ejus potestate non resideat.

Duplex est adoptio, una dicitur *perfecta*, seu *Adrogatio*, et est illa, quae fit auctoritate Principis, qua adrogatus necessario succedit adroganti tam ex testamento, quam ab intestato, et transit in potestatem adrogantis, §. *Sed hodie* Instit. de Adopt. et L. 2. C. eod. Alia dicitur *imperfecta*, et est illa, quae fit cujuslibet Judicis competentis auctoritate, cum tamen apud illum plena actio, idest merum, et mixtum imperium. Vide Sanchez, et L. *Si quis* 1. C. de Adoption., et tantum succedendi jus habet ab intestato, cit. §. *Sed hodie*, ita ut, si in testamento non vocetur heres, non potest dicere de nullitate testamenti, et per eam non discedit a patris naturalis potestate.

Q. Quinam sunt effectus adoptionis perfectae, seu adrogationis perfectae?

R. Sunt tres, scilicet I. Impedimentum dirimens matrimonium inter certas personas. II. Adoptatus adoptione perfecta succedit ex testamento, et ab intestato. III. Transit pleno jure in potestatem adoptantis. D. Thom., loc. cit.

Q. Quinam sunt effectus imperfectae adoptionis?

R. Sunt tres I. Nullum parit impedimentum, uti docent melioris notae Theologi post D. Thomam, teste Sylvio. Vid. Pontas Dictionar. cas. Conscient. cas. 1. II. Adoptatus non transit in potestatem adoptantis. L. 2. §. ult. D. de Adopt., et Gloss. in Cap. unic. de cognat. legal. III. Solum succedit ab intestato, unde adoptans potest per testamentum de bonis suis disponere in favorem alterius sine laesione, et injuria adoptati, cit. §. *Sed hodie.*

*

Digitized by Google

Q. Quaenam conditiones requiruntur ad adoptionem perfectam, seu adrogationem ?

R. Istae requiruntur. I. Ut adoptans sit masculus, nam foemina adoptare non potest, nisi ex speciali Principis concessione, §. *Foeminae* Instit. de Adop. II. Ut adoptans et adoptatus sint sui juris. III. Ut adoptans sit major 25. annis, si loquamur de adoptione imperfecta, cum minor 25. annis sua bona nequeat administrare, aliter vero in adrogatione; etenim adrogare nequit, nisi qui annos quadraginta jam implevit, et ut adoptatus saltem sit 17. annis minor suo adoptante, §. 4. Instit. tit. eod. IV. Ut adoptans possit naturaliter gignere filios, hinc castrati adoptari non possunt, §. 9. Instit. tit. eod. Ultima, ut persona extranea, quae adoptatur, praesens sit adoptanti, et in adoptionem consentiat. Quare non potest fieri per litteras, vel Procuratores. L. *Neque*, et L. *Post mortem*, §. *Neque* D. tit. eod.

Q. Inter quas personas contrahitur cognatio legalis ?

R. In linea recta contrahitur inter adoptantem, et adoptatum, adoptatique descendentes usque ad quartum gradum, si sint in ejus potestate tempore adoptionis. In linea per modum affinitatis contrahitur inter adoptatum, et uxorem adoptantis. In linea transversali contrahitur inter adoptatum, et filios ac nepotes adoptantis, legitimos, et naturales, durante patria potestate. Hinc fratres, et sorores adoptivi, si sint ex diversis familiis, valide possunt contrahere inter se matrimonium, cum non contrahant cognationem legalem.

In quo est advertendum, quod prima, et secunda est perpetua, ita ut semper duret, cum reverentia, vi cujus istiusmodi impedimentum est, inter hujusmodi cognatos semper durare debet: tertia vero est temporalis, h. e. tamdiu durat, quamdiu durat patria potestas. Ita apud Layman ex cit. L. *Adoptivus*, et L. *Per adoptionem*, D. de Rit. nupt.

Q. Ex qua adoptione contrahitur haec Cognatio ?

R. Ex perfecta adoptione, quia jura dicunt induci cognationem legalem per adoptionem absolute, et simpliciter talem, talis non est imperfecta, cum sit dispositio ad veram adoptionem. Sanchez, Laym, Concin., D. Thom., aliique communiter ex cit. L. *Adoptivus* et L. *Per adoptionem*. Licet autem hujusmodi impedimentum Jure Civili fuerit inductum, fuit tamen adprobatum Jure Canonico, uti patet ex Cap. unic. de cognat. legal., quod est Nicolai I. responsum ad consulta Bulgarorum.

Q. Num sit certum, quod cognatio legalis in linea recta extendatur usque ad quartum gradum ?

R. Minime, nam aliqui tenent extendi usque ad primum, et dicunt contrahi istam cognationem etiam ab illis omnibus, qui reperiuntur tempore adoptionis sub potestate adoptati. Ita Palaus, Sanchez, aliique. Alii vero tenent extendi usque ad quartum gradum descendentium, quia cognatio legalis introducta est ad similitudinem cognationis carnalis; hinc sicuti ista extenditur usque ad quartum gradum, ita et illa. At Concina rejicit hasce duas diversas opiniones, quia dicit, quod hoc impedimentum nunc contrahitur, nunc protrahatur in linea recta, quod variis exemplis illustrat.

Hinc Titius adoptavit Bertam, potest ducere Sejam Bertae filiam, quia Seja nunquam fuit sub patria potestate Titii, cum nunquam fuerit sub potestate Bertae, ex quo non datur patria potestas in foeminis; quia foeminae in

Digitized by Google

neminem jus patriae potestatis habere possunt §. *Foeminae* instit. de adoptionib.

Praeterea Titius adoptavit Cajum habentem sub potestate Bertam filiam, nequit Titius Bertam ducere, quia ob Caji adoptionem loco filii, Berta fuit quoque sub potestate Titii loco neptis, §. 11. Inst. tit. de adop. Vide Concina in not. fol. 237. tom. 10.

Q. Num adoptans contrahat valide matrimonium cum sorore, aut matre adoptati?

R. Maxime, quia inter tales dicta cognatio non habetur, cum soror, aut mater non descendat ab adoptato.

Q. Num adoptans possit contrahere cum filia adoptati?

R. Vel ista filia erat sub patria potestate tempore adoptionis et non potest, quia habetur legalis cognatio, vel non erat, et potest, quia cognatio non habetur.

Q. Num adoptans possit contraher e cum filia adoptati, post sui Patris adoptionem, nata?

R. Potest, quia ista tempore adoptionis non erat sub patria potestate. Praeterea filia adoptati valide contrahit cum filio adoptantis, quia inter ipsos non habetur cognatio legalis. Porro adoptatus potest contrahere cum filia illegitima adoptantis, quia, illegitimi non censentur esse in potestate sui patris, §. ult. instit. de Nupt. Adhaec adoptatus valide contrahit cum Berta ab eodem Patre adoptata, quia etiam inter ipsos non habetur talis cognatio. Etsi adoptans emancipet suam filiam vel ante, vel post adoptionem, potest adoptatus cum ea contrahere matrimonium, quia jam per emancipationem expiravit cognatio. Idem quoque dicendum, si Titius adoptivus fuerit emancipatus, quod apertissime comprobatur ex cit Cap. unic. de cognat.. legal., ubi decernitur, quod *si qua per adoptionem mihi soror esse coepit, quamdiu durat adoptio inter me, et ipsam nuptiae consistere non possunt;* etenim hoc impedimentum ex hac tertia adoptionis specie resultans tantum temporale est.

§. V. *De impedimento criminis*

Crimen, ob quod contrahitur hocce impedimentum, est delictum contra fidem matrimonii patratum, ex quo timetur mors conjugis. Quod fuit introductum, ne desumeretur ansa machinandi mortem conjugis spe futuri matrimonii. Quando autem, et quomodo istiusmodi impedimentum contrahatur Ecclesiasticae Sanctiones declarant, et praesertim patet ex Cap. *Si quis vivente* caus. 31. qu. 1., et Cap. *Laudabilem* de convers. Infidel.

Q. Ex quo crimine hoc oritur impedimentum?

R. Ex homicidio cum conspiratione, ex adulterio cum homicidio, ex adulterio cum promissione matrimonii, et ex adulterio cum matrimonio attentato. Ubi nota, quod sufficit homicidium ad impedimentum inducendum, etiamsi ad illud moralis tantum causa data sit, nempe mandato, consilio etc., cit. Cap. *Si quis vivente.*

Q. Quaenam conditiones requiruntur ad contrahendum hoc impedimentum ratione homicidii cum conspiratione?

R. Plures, 1. Ut matrimonium antecedens fuerit validum, II. Ut adsit con-

Digitized by Google

spiratio ex parte utriusque III. Ut sequatur mors conjugis. Ultima ut sequatur causa contrahendi matrimonium cum ipsa, argum. cit. Cap. *Laudabilem*, et Cap. *Si quis vivente.*

Q. Num maritus, qui uxorem occidit, contradicente, vel nesciente puella, cum qua matrimonium contrahere desiderat, possit cum ea valide contrahere?

R. Maxime, quia impedimentum in casu non habetur, nisi etiam praecesserit adulterium, quia non adest conspiratio ex parte puellae, cit. Cap. *Si quis vivente.*

Q. Num ille, qui ex conspiratione exoneravit scoplum causa occidendi Petrum, possit cum ejus uxore contrahere, si leviter eum vulneravit?

R. Potest, si mors Petri non sit secuta ex vulneratione, sed ex incuria Medicorum, vel ex alia causa, quia non est secuta mors ratione conspirationis.

Q. Num ille, qui dedit mandatum ad occidendum Petrum causa contrahendi cum ejus uxore, possit cum ea contrahere, secuta morte Petri post illius revocationem?

R. Vel revocatio innotuit mandatario, et potest, quia censetur factum culpa mandatarii: vel non innotuit, et non potest, quia culpa mandantis fuit factum. Ast si mandatarius occidat Petrum non vi mandati, sed ob aliam causam, puta, ob injuriam a Petro acceptam, potest mandans contrahere matrimonium, quia homicidium non est factum ex vi mandati. Layman.

Q. Num ille, qui ratam habet occisionem Petri factam nomine sui possit contrahere cum ejus uxore?

R. Potest, tum quia ratihabitio cum sit facto posterior, nullum omnino influxum, neque physicum, neque moralem potuit praebere in ipsum homicidium, tum quia non est expressum, quod sola ratihabitione hoc impedimentum contrahatur, communiter.

Q. Quaenam conditiones requiruntur ad contrahendum hoc impedimentum ratione adulterii cum homicidio?

R. Plures, I. ut matrimonium antecedens fuerit validum. II. Ut adulterium sit perfectum, et formale, hoc est ab utraque parte cognitum. III. Ut occisio facta fuerit causa contrahendi matrimonium. IV. Ut adulterium, et homicidium concurrant constante eodem matrimonio, Cap. *Significasti* 6. de eo, qui duxit in matrim., et cit. Cap. *Si quis vivente*, et Cap. *Laudabilem*, at si una ex istis deficiat conditionibus, impedimentum non habetur.

Q. Num ille, qui post copulam habitam cum Seja occidit ejus virum, possit cum ea contrahere dato, quod copula fuerit habita ante matrimonii consummationem?

R. Minime, quia semper verificatur adulterium, quia matrimonium antecedens fuit validum, et non requiritur, ut sit consummatum. Quare accedente etiam homicidio dubitandum non est quin supradictum impedimentum incurratur. Quod quidem aperte colligi poterit ex sacris Canonibus, qui hoc impedimentum decernentes sive ex adulterio cum homicidio, sive cum matrimonio attentato, nunquam exposcunt matrimonii consummationem, Cap. *Ex litterarum* de eo, qui duxit in matrim., et Cap. *Super eo* tit. eod.

Digitized by Google

Q. Num ille, qui occidit virum Franciscae post adulterium cum ea commissum, possit cum ea contrahere, dato, quod Seja nunquam habuit intentionem contrahendi cum adultero?

R. Minime, quia non requiritur conspiratio, et haec est differentia, quae intercedit inter impedimentum criminis ex homicidio, et ex homicidio cum adulterio simul; quia ad primum requiritur conspiratio, ad secundum vero non, et aliunde satis verificatur, ut patet in casu proposito, adulterium cum homicidio, atque id factum causa matrimonium contrahendi.

Q. An ille, qui occidit maritum adulterae causa fruendi ea liberius, possit postea cum ea contrahere?

R. Maxime, quia homicidium non fuit commissum causa contrahendi matrimonium. Praeterea qui occidit propriam uxorem causa contrahendi cum aliqua indeterminata, potest postea cum adultera contrahere, quia homicidium non fuit commissum causa contrahendi cum adultera, communiter.

Q. Num ille, qui commisit adulterium cum quatuor uxoribus diversis, possit cum una ex iis contrahere, dato, quod occidit propriam uxorem, causa contrahendi cum una ex iis?

R. Maxime, quia verificatur homicidium commissum esse causa contrahendi cum adultera. Ast si quis occideret propriam uxorem suasu Liae, cum qua habuit copulam, ut contraheret cum Seja, potest postea cum eadem Lia contrahere, quia homicidium non fuit patratum causa contrahendi cum adultera, Layman, Concina.

Q. Quaenam conditiones requiruntur ad contrahendum impedimentum criminis ratione adulterii cum promissione matrimonii?

R. Plures, I. Ut matrimonium antecedens fuerit validum, et utrique cognitum. II. Ut adulterium sit perfectum, et formale. III. Ut tam promissio, quam adulterium habeatur vivente eodem Conjuge, sive promissio praecedat, sive sequatur adulterium. IV. Ut promissio sit signis exterioribus expressa: serio, et absque fictione facta, atque ut sit ab altero acceptata; Cap. *Significasti nobis*, Cap. *Veniens*, et Cap. *Si quis* 8. de eo, qui dux. in matrim., ubi speciatim decernitur, quod si quis, uxore sua vivente fide data, promisit se aliam ducturum, si nec antea, nec postea legitima uxore superstite cognoverit eamdem, non erit eorum matrimonium, quando cum illa post uxoris obitum contraxit, dirimendum.

Q. Num ille, qui cognovit mulierem, eo, quia existimabat eam solutam, possit cum eo contrahere, mortuo illius viro, dato, quod promiserit eam ducere in uxorem, postquam cognovit esse uxoratam.

R. Maxime, quia non verificatur adulterium formalem cum promissione matrimonii, communiter.

Q. Num ille, qui promisit matrimonium puellae, quia existimabat solutam, possit cum ea contrahere, mortuo illius viro, si cognoverit carnaliter eam, dum sciebat esse uxoratam?

R. Minime, quia verificatur promissio, et adulterium, nam per copulam videtur ratificata promissio, communiter.

Q. Num ille, qui cognoscit uxoratam, possit cum ea contrahere, mortuo illius viro, si ante copulam revocaverit promissionem?

R. Maxime, quia non habetur promissio, et adulterium simul: si vero revocaverit promissionem post adulterium, non potest contrahere matri-

Digitized by Google

monium cum adultera, mortuo illius viro: quia jam contraxerunt impedimentum, cum habeatur connexio inter promissionem, et adulterium. Concina, Layman, aliique.

Q. Num quis possit contrahere cum adultera, si ficte illi promiserit matrimonium, mortuo viro, contrahendum?

R. Adest dissidium inter DD. Tamen Layman, Henriquez, aliique, et sequuntur Salmanticenses num. 62. tenent posse in casu ficte promittentem cum adultera matrimonium contrahere; et ratio est, quia sicut requiritur verum adulterium, ita et vera promissio, atque hoc juxta probabilem sententiam. Ceterum probabilior sane videtur sententia Sanchez etiam in praedicto casu fictae promissionis, dum tamen exterius serio fiat, et serio acceptetur, incurri hoc impedimentum; quia ratio, qua innituntur Canones inducentes hoc impedimentum est, ne spe futuri matrimonii ad mortem conjugis captandam inducantur: quae ratio aeque militat in adducto casu.

Q. Quaenam conditiones requiruntur ad contrahendum hoc impedimentum ratione adulterii cum matrimonio attentato?

R. Plures, I. Ut matrimonium antecedens fuerit validum, et utrique parti notum. II. Ut adulterium sit formale, et perfectum. III. Ut adsit matrimonium attentatum, ita ut contrahatur matrimonium de praesenti, vivente altero conjuge, argum. Cap. *Propositum* 1., et Cap *Veniens* 7. de eo, qui duxit in matrim.

Q. Num requiratur, ut adulterium sit antecedens?

R. Minime, sed sufficit, ut sit subsequens, et per consummationem matrimonii attentati, quia semper verificatur adulterium, et matrimonium attentatum, Cap. ult. de eo, qui duxit etc.

Q. Num contrahatur hoc impedimentum ab eo, qui post adulterium commissum cum Francisca, cujus vir creditur vivus, qui e vivis excessit, et attentat cum ea contrahere matrimonium?

R. Minime, quia non habetur adulterium a jure requisitum, ut patet ex cit. Cap. *Significasti*: quod etiam dicendum, quando vir existimatur mortuus, qui revera est vivus.

Q. Titius invenit propriam uxorem turpiter agentem cum Cajo, et dicit illi, aut contrahas cum ea uxore, aut te occidam, et ille, ne occidatur, contrahere attentat, num mortuo Titio, possit Cajus ducere in uxorem adulteram?

R. Potest, quia non habetur attentatio requisita a Jure, eo quia non fuit omnino voluntaria, communiter.

Q. Quid dicendum de Infidelibus, qui contraxerunt ista delicta in infidelitate, num possint inter se matrimonium contrahere, vi ambo veniant ad fidem?

R. Maxime, quia ista delicta fuerunt commissa extra Ecclesiam, et cum hoc impedimentum sit de Jure Ecclesiastico, tantum subditos Ecclesiae ligat, Cap. *Quanto* de divor.

Q. Quid de fideli, qui cognovit uxoratam infidelem, et matrimonium contrahere attentavit, num possit cum ea contrahere dato, quod baptismum recipiat?

R. Minime, quia licet Ecclesia non possit punire infidelem, potest tamen fidelem inhabilitare ad contrahendum cum complice delicti, argum.

Digitized by Google

Cap. *Laudabilem* 1. de convers. Infidel. Idem dicendum, si mulier fidelis maritum occidat, ut nubat gentili ad fidem converso, habita cum illo conspiratione occidendi, vel commisso adulterio, uti patet ex constitut. Coelest. III. in cit. Cap. *Laudabilem*, ubi omnino vetat, ne christianae quaedam mulieres nubant Saracenis, qui, dum in captivitate essent, eorumdem viros insidiis, et machinationibus ipsarum occiderunt, licet postea earum studio Saraceni ad Fidem Catholicam accessissent, tamen decerni nec illis mulieres matrimonialiter adhaerere debere, nec si adhaeserint esse tolerandas, *non enim hic dispensatio*, inquit, *sine periculo posset admitti, cum tale damnum tali lucro Ecclesia compensare non velit.*

Q. Quid si Infidelis, vivente uxore, promittat mulieri infideli matrimonium, et postea ambo ad fidem conversi, carnalem inter se copulam habent?

R. Possunt inter se matrimonium inire, quia facinus commissum extra Ecclesiam, ab Ecclesia non punitur. Ita Sanchez, et Layman. Probabilius tamen videtur contrahere impedimentum; nam non retractata promissione, et habita copula, videntur in copula ratificare promissionem.

§. VI. *De impedimento disparitatis cultus.*

Tunc habetur hoc impedimentum, quando homo baptizatus cum non baptizata, etiam catechumena, matrimonium contrahit, uti colligitur ex Can. *Cave* caus. 28. q. 1. ibi: *Si Christiana sit, idest catechizata sit* (ut ait. Glossa) *non est satis, nisi ambo initiati sint sacramento baptismatis.* Quod impedimentum est ex solo Jure Ecclesiastico, per universalem antiquissimam consuetudinem vim legis habentem, non tamen ante VI. Saeculum inductum, nam S. Monica, teste D. Augustino ejus filio, lib. 9. Confess. Cap. 9., viro infideli nupsit, quod non fecisset quidem nisi fuisset permissum.

Q. Quo jure sit illicitum matrimonium contractum cum hoc impedimento?

R. Est illicitum omni Jure, ita ut peccent mortaliter fideles contrahentes cum infidelibus regulariter, et communiter, nam in hac cum infideli matrimonii contractione habetur periculum subversionis ob nimiam communicationem cum infideli: habetur etiam damnum prolis, nam cum summa difficultate Christiano ritu, ac more educari potest, et cultui Dei addici; hinc Ecclesia declaravit nullum ob recensitum impedimentum.

Q. Num validum sit, et licitum matrimonium a baptizato cum haeretica contractum, vel e contrario?

R. Est validum, sed illicitum mortaliter. Primum patet ex Cap. *Decrevit* de Haeretic. in VI., ubi decernitur dotes mulierum, quae scientes, et volentes viris haereticis nupserint, esse quoque confiscationi obnoxias, at matrimonia cum illis inita nullo jure irrita, aut irritanda pronunciat. Secundum sumitur ex Can. 14. Concil. Calcedon., aliisque Conciliis; nam inter istos, licet disparitas cultus non habeatur, cum ambo sint Baptismo abluti, atque initiati, tamen subversionis periculum habetur, D. Thomas, aliique communiter.

Digitized by Google

Q. An dissolvatur matrimonium in infidelitate initum, si uterque conjux ad fidem convertatur.

R. Minime, tum quia non est ratio, ut in praesenti casu dissolvatur, cum ambo veniant ad fidem, tum quia fides non destruit matrimonium, sed perficit. Immo secundum communiorem sententiam efficitur ratum, indissolubile, ac induit rationem Sacramenti pur susceptionem Baptismi, et in cit. Cap. *Gaudemus* §. ult. habetur: *Si conversus ad fidem, et illa conversa sequatur, antequam propter causas praedictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compelletur.* Vide, si lubet, Gonsalez ad cit. Cap. *Gaudemus.*

Q. In quibus casibus dissolvi potest matrimonium infidelium per conversionem unius ad fidem, et potest conversus matrimonium aliud celebrare?

R. In hisce tribus casibus, I. Quando infidelis non vult habitare cum fideli, ex hoc praecise, quia est factus fidelis. II. Quando infidelis vult habitare, sed cum injuria Creatoris, scilicet cum blasphemiis in fidem Christi. III. Quando invitat fidelem ad aliquod peccatum mortale. Ita communiter ex 1. ad Corinth. 7., et Cap. *Si infidelis* caus. 28. q. 2. Ratio est, quia aliter fidelis teneretur absque sua culpa vitam coelibem ducere, et sequeretur, quod jugum Christi esset grave, si omnes suam fidem amplectentes ad castitatem observandam adstringerentur: *Num enim servituti*, ut ait Apostol. 1. ad Corinth. c. 7. *subjectus est frater aut soror in hujusmodi*, h. c. non impeditur in praedictis casibus, quominus aliud Matrimonium inire possit. Confer Cap. *Gaudemus* de divort.

Q. Quo tempore dissolvitur matrimonium in infidelitate factum, si unus veniat ad fidem?

R. Tempore, quo infidelis jam baptizatus cum alia fideli matrimonium celebret. Ex quo colligitur, quod si conversus non ineat aliud matrimonium, non potest infidelis aliud matrimonium contrahere, quia jus dissolvendi matrimonium legitimum est solum concessum in favorem fidei, non autem infidelitatis, communiter.

Hinc inferas I. Quod si uxor infidelis, marito ad fidem converso, alias nuptias celebravit, ille autem postea ad infidelitatem revertatur, restituenda est ipsi uxor sua, si aliam post baptismum non duxerit, quia primum matrimonium nondum fuerat solutum.

II. Si uxor infidelis post conversionem mariti, aliud matrimonium contrahat, viro converso ad nullas alias nuptias transeunte, si ipsa mulier postea convertatur ad fidem, debet ista, deserto posteriore marito, adhaerere priori, nisi Papa dispenset, quia primum matrimonium adhuc perseverat, cum nondum fuerat solutum.

Q. An dissolvatur matrimonium, dato, quod infidelis conversus ingrediatur Religionem, et profiteatur?

R. Maxime, quia si matrimonium ratum, quod est vinculum fortius dissolvitur per Professionem, multo magis matrimonium legitimum, quod est vinculum minus forte. Sanchez, Bonavent. Minime vero, si recipit sacros Ordines, quia non viget ratio jam allata.

Q. An licitum sit infideli converso habitare cum altero conjuge infi-

Digitized by Google

deli, si velit hic habitare sine Creatoris contumelia, et inductione ad peccatum?

R. Tenetur cohabitare ne Apostoli Pauli doctrinae adversetur.

Q. Ad quem spectant filii tempore infidelitatis procreati, quando venit ad fidem?

R. Vel isti filii sunt doli capaces, et relinquendi sunt in propria libertate: vel non sunt doli capaces, et sequi debent fidelis conditionem, cit. Can. *Judaei.*

Q. Quid si infideles matrimonium contraxerunt cum impedimento dirimente, et postea ambo veniant ad fidem?

R. Vel impedimentum erat dirimens solum Jure Ecclesiastico, et matrimonium in infidelitate initum fit ratum, ac verum per susceptionem fidei; quia in infidelitate contrahentes, Canonum constitutionibus non obstringebantur. Vel impedimentum erat dirimens jure naturae, et sicut antea, ita et postea matrimonium est nullum, cum Juri Naturae quisque obnoxius sit et illud nemo potest derogare, cit. Cap. *Gaudemus.*

Q. Quid si conjux fidelis jam in apostasiam a fide incidit, num pars innocens matrimonium aliud contrahere possit?

R. Minime, quia primum matrimonium fuit ratum ac indissolubile, etiamsi nondum consummatum, unde non potest aliud matrimonium contrahere, sed potest solum divortium instituere, cit. Cap. *Quando* tit. eod., ubi decernitur, quod si alter fidelium conjugum vel labatur in haeresim, vel transeat ad gentilitatis errorem non credimus, *quod in hoc casu is, qui relinquitur, vivente altero, possit ad secundas nuptias convolare*, quia matrimonium consummatum Christianorum est indissolubile. Si matrimonium est ratum, et non consummatum potest pars innocens si velit, ingredi Religionem, et profiteri, et ita solvi hujusmodi matrimonium ut dictum est.

Q. Quid si Gentilis polygamus cum pluribus uxoribus suis convertatur ad fidem, cui uxori ex illis pluribus debet adhaerere?

R. Cum Innocentio in cit. Cap. *Gaudemus*, quod sit compellendus, ut aliis relictis, primae uxori adhaereat, quia jam persistit primum matrimonium, nec per fidei susceptionem dissolutum.

§. VII. *De Impedimento Vis*

Vis duplex distingui solet, altera dicitur absoluta, et est illa, quae tollit omnino voluntarium et afficit partes exteriores, altera dicitur secundum quid, et est illa, quae minuit voluntarium, et afficit partes interiores, quae dicitur metus, his positis:

Q. An matrimonium initum per vim, valeat?

R. Vel loquimur de vi absoluta, et est nullum Jure Naturae defectu consensus, argum. Cap. *Abbas*, Cap. *Ad audientiam*, et cap. *cum dilectus* de his, quae vi metusve etc., ubi decernitur, quod ea, quae vi metusve causa fiunt, *carere debent robore firmitatis*, cit. Cap. *Ad audientiam*. Vid. D. Thom. in 4. dist. 29. q. 1.

Vel loquimur de vi secundum quid, puta de metu, et videndum, vel loquimur de metu levi, et est validum, quia metus levis in Jure pro nihilo reputatur. Ita communiter ex L. *Metum autem*, etc. ex L *Nec timorem* 7.

Digitized by Google

D de eo, quod met. caus. etc., vel loquimur de metu gravi, et est nullum Cap. *Cum locum* 14. de sponsalibus, et L. 1. D. tit. eod. nam non habetur ea libertas, quae a jure ad matrimonium requiritur.

Q. Quaenam sunt conditiones, quae requiruntur ad metum gravem, ut matrimonium per talem metum initum non valeat?

R. I. Tres, I. Ut metus sit ab extrinseco, idest, ab homine incussus. Hinc si quis ob metum a gravi infirmitate incussum contrahit matrimonium valide contrahit, cum metus non sit ab extrinseco, et per injuriam, sed ab infirma animi dispositione, de qua nemo dolere potest, ac conqueri sibi illatam injuriam. II. Ut sit injuste incussus, h. e. ab eo, qui non habet facultatem incutiendi. Hinc si pater inveniat filiam turpiter agentem cum Petro, et dicit: *aut contrahas, aut accusabo te apud Judicem*, matrimonium valet, si per talem metum contrahatur cum sit justus, non vero si Pater dicat Petro: *aut contrahas, aut te occidam*, quia tunc est injustus, III. Ut sit ad extorquendum consensum. Cetera vide in Tractatu de Actibus humanis in Cap. *de vi, et metu*, ne actum agam.

Q. Num matrimonium per metum reverentialem initum valeat?

R. Vel metus hic conjunctus fuit cum minis, ac saevitia, quarum executio prudenter timetur, et non valet, quia est timor gravis mali, et habetur uti metus gravis. Vel metus reverentialis non sic procedit, et matrimonium valet, quia ille metus habetur ut levis, qui pro nihilo reputatur. Layman, Collet. Idem dic de precibus importunis.

Q. Num matrimonium celebratum per metum incussum a Judice secundum allegata, et probata, valeat in casu, si coram Deo non habeatur delictum?

R. Minime, nam licet Judex ex parte sua juste procedat, tamen ex parte patientis injuste procedit. Hinc quia jura irritantia matrimonium ad justitiam contrahentis accedunt, dicendum, matrimonium in casu esse nullum, Basilius, Salmanticenses, aliique. Nec matrimonium metu gravi initum juramento firmatur, quia a Jure est nullum, quatenus contra bonum commune, Sanchez.

Q. Num matrimonium ex gravi metu initum, cohabitatione ratificetur, et convalidetur?

R. Convalidatur per spontaneam cohabitationem, etiam sine copula, Cap. *Ad id quod* 21. de sponsal., quia spontanea cohabitatio est signum sufficiens novi consensus, qui solus ad matrimonii valorem desiderabatur. Requiruntur autem hae conditiones, I. Ut cohabitatio sit spontanea, scilicet cohabitet, postquam sublata est timoris gravis incussa causa. II. Ut cohabitatio sit aliquo modo diuturna. III. Ut pars metum passa sciat matrimonium contractum fuisse nullum. IV. Ut adhuc perseveret consensus partis, quae metum incussit, Collet.

Q. Num matrimonium hoc, copula firmetur?

R. Vel copula habetur animo fornicario, et non firmatur, quia non apponitur consensus. Vel habetur affectu maritali, et firmatur, modo sciat fuisse nulliter celebratum matrimonium; nam est signum sufficiens consensus appositi in matrimonio per metum contracto. D. Thomas, D. Bonavent., aliique.

Q. An peccet, qui metu gravi coactus consentiat in matrimonio?

Digitized by Google

R. Non peccat mortaliter, quando verba apponit materialiter absque vero consensu, tum quia non infert injuriam Sacramento, cum non apponit neque materiam, neque formam, tum quia non infert alteri injuriam, quia non tenetur in tali casu per verum consensum illi correspondere. Bonacin., Salmantic., aliique. At ille, qui talem metum infert, duo peccata committit, unum contra justitiam, quia per injuriam extorquet ab alio rem difficilem, et indebitam, uti matrimonium, alterum contra reverentiam Sacramento debitam.

Q. An parentes possint cogere filios, vel domini servos ad matrimonium contrahendum?

R. Per se non possunt, quia matrimonium juxta D. Thom. est quaedam perpetua servitus, a qua sumus liberi a natura, et ideo sola voluntate possumus illi nosmetipsos subjicere. Dixi *per se*, quia per accidens possunt, puta si virginem defloraverint, vel sit matrimonium necessarium ad reconciliandam pacem communem; nam in hisce casibus juste coguntur, et sunt irrationabiliter inviti, cum ad illud teneantur, Salmanticens., aliique.

Q. In quam poenam incidunt illi, qui cogunt aliquem ad matrimonium contrahendum?

R. Domini temporales, et Magistratus habentes jurisdictionem in foro exteriori, cogentes injuste suos subditos, aut quoscumque alios ad matrimonium, incurrere in excommunicationem nemini reservatam ipso facto, uti patet ex Trid. sess. 24. cap. 9.

Tamen est advertendum. I. Quod ad incurrendam istam poenam non requiritur metus cadens in virum constantem, sed sufficit metus, aut coactio sufficiens ad peccatum mortale, quia Concil. Trid. non vult excludere solum coactionem per metum sufficientem ad dirimendum matrimonium, sed quamcumque aliam tollentem omnimodam voluntatem contrahendi.

II. Sub hac poena non veniunt Episcopi, qui non sunt domini temporales, habentes jurisdictionem in foro saeculari, neque Imperatores, aut Reges, quia sunt exprimendi, ut comprehendantur sub aliqua poena, uti est praxis Tridentini.

Q. In quam poenam incidunt cogentes foeminam ad Religionem?

R. Etiam incidunt excommunicationem nemini reservatam, quae non tantum est contra cogentes ad Monasterium, sed etiam ad sumendum habitum, vel ad profitendum. In quo est sciendum, quod comprehendantur sub hac excommunicatione omnes sive laici, sive Clerici, sive Regulares, cujusvis dignitatis, non tantum cogentes, sed etiam auxilium, consensum, vel favorem dantes. Idem dicendum de illis, qui impediunt voluntatem virginum, aliarumve mulierum accipiendi velum, vel emittendi votum sine justa causa. Trident. sess. 25. cap. 18.

§. VIII. *De impedimento Ordinis.*

Q. Quid est impedimentum Ordinis?

R. Est impedimentum, quo Clerici in sacris Ordinibus constituti fuerunt ab Ecclesia inhabiles reddili ad valide contrahendum matrimonium, Cap. *De Diacono*, et Cap. *Ex litterarum* de Cleric. conjugat. Attamen advertendum, quod Ordo sacer dirimit matrimonium contrahendum, non

Digitized by Google

vero contractum, licet tantummodo ratum, neque consummatum, quod solum dirimit solemne Professionis votum. Vide quae dicta sunt in impedimento Voti, ubi fuso calamo hanc materiam disputavimus.

Q. Quid dicendum, si ligatus ordinis Sacri vinculo contrahit matrimonium?

R. Matrimonium est nullum, et incurrit ipso facto excommunicationem, et Irregularitatem, Cap. *Si qui Clericum* 1. de Cleric. conjugat, et Clement. unic. de consanguin., et affinit., ibi: *Clericos in sacris Ordinibus constitutos matrimonium contrahentes..... excommunicationis sententiae ipso facto subjacere decernimus.*

§. IX. *De Impedimento Ligaminis*

Hoc impedimentum habetur, quando quis vivente priore Conjuge contrahit cum altera matrimonium. Quod impedimentum est de jure naturae, et Divino, tum quia res uni tradita non potest alteri tradi, tum quia contrahere cum pluribus repugnat paci, et quieti domus. Quod autem Juri Divino, et Naturali hoc adversetur, patet ex Matth. 29., Marc. 10., Luc. 16., et ex Concil Trid. sess. 24 de Sacram Matrim Can. 2 *Si quis dixerit, licere christianis, plures simul habere uxores, et hoc nulla lege Divina esse prohibitum, anathema sit.*

Q. Quaenam est differentia inter Polygamiam, Polyandriam, et Monogamiam?

R. Haec est, nam *polygamia* est conjugium unius viri cum pluribus uxoribus simul retentis. *Polyandria* est conjugium unius uxoris cum pluribus viris simul retentis. *Monogamia* est conjugium inter unum, et unam tantum.

Q. An Polygamia sit licita?

Ante resp. nota: Polygamia duplex est *simultanea*, et *successiva*. *Simultanea* est, quando vir eodem tempore plures uxores retinet. *Successiva* est, quando mortuo priore conjuge, solutoque matrimonio alter conjux convolat ad secundas, ulterioresque nuptias, hoc notato:

R. Polygamia simultanea, veluti Jure Naturali, et Divino contraria, interdicta omnibus hominibus ab ipsis Mundi incunabulis fuit. Quare Lamech, qui plures legitur habuisse uxores reprehenditur in Scripturis, Genes. Cap. 4 v. 9. In hac tamen cum veteribus Patriarchis post diluvii tempora Deus dispensavit ad populi propagationem, et quorumdam mysteriorum significationem. Hinc Innocentius in cit. Cap. *Gaudemus* §. 3. docet: *Quod nulli unquam licuerit plures simul habere uxores, nisi cui fuit Divina revelatione concessum.* Et multo magis post Christi legem prohibita fuit, atque interdicta omnibus omnino hominibus, ceu patet ex Cap. 19. Matth., ubi Christus matrimonium revocans ad primam institutionem polygamiam interdixit illis verbis: *Et erunt duo in carne una.* Quae Christi lex universalis complectens, atque adstringens omnes homines, et Christus, quando hunc evexit contractum ad Sacramenti dignitatem, praescripsit unitatem et perpetuum vinculum; patet etiam ex Trident. sess. 24. De Matrim. Can. 2.

Polygamia successiva est licita, et permissa. Diserte Paulus 1. ad Co-

Digitized by Google

rinth: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit, quod si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat, tantum in Domino:* patet etiam ex Concilio Nicoeno 1. Can. 8.

Q. Num Polyandria sit licita?

R. Esse illicitam Jure Naturae nemo est, qui non videt; nam opponitur primario fini matrimonii, nempe generationi, quia *una foemina a pluribus viris foetari non potest*, ait Augustinus de bon. conjugat. Cap. 17. n. 20., ad quam ex primaria sua institutione matrimonium fuit institutum, ideoque a nullo potest fieri dispensatio, immo nec a Deo dispensatum unquam fuisse, probant D. Thomas in 4. dist. 33, q. 1. art. 1., et Augustinus loc. citato.

Q. An secundum matrimonium sit vere Sacramentum gratiam conferens?

R. Maxime, uti patet ex Trid. loc. cit. Can. 1., ubi statuitur, matrimonium inter fideles contractum esse vere Sacramentum gratiam conferens.

Q. Num poenae Jure Civili statutae ad secundus nuptias transeunti, Canonico Jure sublatae sint?

R. Maxime, quia hae poenae repugnant libertati matrimonii. Hae autem poenae erant, quod mulier, intra annum ab obitu mariti nubens, esset infamis etc. At remanserunt illae poenae, quae favorem liberorum respiciebant, quia poenae non sunt, sed provisiones liberorum ac favores, uti certe illae sunt, quae continentur in L. *Foeminae*, et L. *Hac edictali* C. de secund. nup.

Q. Qualis certitudo requiritur de morte viri, ut possit mulier cum altero matrimonium inire?

R. Requiritur moralis certitudo arbitrio prudentum existimationis. Hinc non sufficit, ut per multum tempus vir in longissimum discesserit, nisi certus nuntius de ejus obitu habeatur, uti colligitur ex Cap. *Dominus* de Secund. nupt., Sanchez, Bonac., aliique.

Q. An sufficiat dictum unius testis jurati?

R. Minime, quia si in aliis rebus minoris ponderis non sufficit dictum unius testis, multo minus in hac re adeo gravi et periculosa, nisi tamen ille testis sit conjunctus cum conjecturis, vel adminiculis, quia quando probatio integra, et plena adhiberi nequit, satis est, si plena fiat per conjecturas, L. *Non omnis* de re militar.

Q. Quid dicendum, si habita morali certitudine, mulier cum alio contrahat, et postea primus vir appareat?

R. Debet redire ad primum, et relinquere secundum cit. Cap. *Dominus* de secund. nup., et Nov. 177. Cap. 11., nam secundum matrimonium fuit nullum ob impedimentum ligaminis. Praeterea bona fides licet excuset a peccato, non reddit tamen, neque reddere potest actui valorem. Communiter.

§. X. *De impedimento honestatis*

Publica honestas est propinquitas personarum orta ex matrimonio rato, vel ex sponsalibus celebratis per verba de futuro. Quod impedimentum Jure Canonico est introductum ob publicam morum honestatem. Ita communi-

Digitized by Google

ter, et argum. Cap. *Juvenis*, Cap. *Audientiam* et Cap. *sponsam* de Sponsalib., ubi decernitur, quod sponsam alterius *nullus consanguineorum aliquando sibi matrimonio potest copulare*, etiam usque ad quartum gradum juxta Juris antiqui sanctiones, aliter tamen Jure novo Tridentini, uti mox dicemus. Idem quoque decernitur in Cap. unic. de sponsal., in VI. et expressius in cit. Cap. *Ad audientiam*, *ubi dicitur quod sponsam fratris frater non potest habere.*

Q. Usque ad quem gradum hocce impedimentum extenditur?

R. Usque ad quartum gradum si loquamur de matrimonio rato: si vero loquamur de sponsalibus, extenditur usque ad primum Trident. Sess. 24. de Reform. matrim. Cap. 3. Tamen sciendum, quod de Jure antiquo extendebatur hoc impedimentum tam in sponsalibus, quam in matrimonio usque ad quartum gradum, quod de Jure novo Tridentini hoc jus fuit correctum, et moderatum quoad sponsalia solum, non vero quoad matrimonium, uti expresse declaravit S. Pius V. constit. incip. *Ad Romanum.*

Q. Ex quibus sponsalibus oritur hoc impedimentum?

R. Ex sponsalibus validis, certis, et absolutis, cit. sess. 24. licet de jure antiquo oriebatur etiam ex sponsalibus invalidis, cit. Cap. unic. de sponsalibus., modo non erant invalida ex defectu consensus, vel quia in praejudicium priorum sponsalium.

Q. Ex quo matrimonio tale oritur impedimentum?

R. Ex matrimonio rato valido, et etiam ex matrimonio rato nullo, modo non sit nullum defectu consensus, vel quia in praejudicium priorum sponsalium, quia ita erat statutum jure antiquo, a quo non est recedendum, nisi ob jus novum, quod in praesenti non datur, uti Theologi, et Canonistae docent. Palaus, Sanchez, Gonzalez, Salmanticenses, aliique communiter.

Q. Num ex matrimonio invalido, quia per errorem circa personam inito, impedimentum publicae honestatis oriatur?

R. Minime, quia est nullum defectu consensus. Quare si quis celebrat matrimonium cum Lia, credens contrahere cum Caja, Liae sorore, potest quidem postea cognito errore cum Caja matrimonium contrahere, non obstante matrimonio antea contracto cum ejus sorore, cum istud matrimonium sit nullum ob defectum consensus. Idem dic de matrimonio contracto ex metu gravi, vel cum ebrio, furioso, amente, cit. Cap. unic. de Sponsalib. in VI.

Q. Num ex matrimonio invalido ob impedimentum criminis, oriatur impedimentum publicae honestatis?

R. Oritur, quia non est nullum defectu consensus. Hinc si quis contrahat matrimonium nullum ob criminis impedimentum, non potest cum sorore illius, cum qua prius matrimonium contraxerat, matrimonium inire ob publicae honestatis impedimentum. Idem dicendum de aliis consanguineis prioris mulieris usque ad quartum gradum, cum ad hunc gradum extendatur impedimentum.

Q. Num ille, qui contraxit sponsalia cum una, et deinde matrimonium cum altera, valide contraxit?

R. Vel contraxit matrimonium cum consanguinea sponsae in primo gradu, et invalide contraxit ob impedimentum publicae honestatis ortum ex

Digitized by Google

sponsalibus. Vel contraxit cum extranea, et valide contraxit, licet illicite, quia sponsalia respectu extraneae sunt impedimentum impediens, Collet, Antoin., aliique.

Q. Num ille, qui contraxit matrimonium cum sorore sponsae, possit cum sponsa deinde contrahere?

R. Maxime, quia ex illo matrimonio non fuit contractum impedimentum publicae honestatis quoad antecedentia, h. e. quantum ad propria sponsalia, quia fuit in praejudicium priorum sponsalium, licet contrahatur hoc impedimentum quantum ad alia sponsalia consequentia, cit. Cap. unic. de sponsalib. Layman lib. 5. tract. 10. part. 4. Cap. 9. n. 3, et 5. modo non intercesserit copula.

Q. Num valide contrahat matrimonium quis cum consobrina suae sponsae?

R. Maxime, quia impedimentum, quod oritur ex sponsalibus, extenditur usque ad primum gradum, uti supra diximus. Hinc si quis contractis sponsalibus cum Berta, contrahat matrimonium cum consobrina Bertae, licet illicite, tamen valide contrahit, quia non habetur publicae honestatis impedimentum, quod cum ex sponsalibus oriatur, primum gradum non excedit: Consobrina vero sponsae est tantum in secundo gradu cum illa, uti patet.

Q. Num matrimonium celebratum cum sorore sponsae valeat, dissolutis sponsalibus mutuo consensu?

R. Non valet ob impedimentum publicae honestatis ex sponsalibus ortum, quia licet sponsalia possint mutuo consensu dissolvi, non possunt tamen ab impedimento jam contracto sponsi contrahentes liberari, quia hoc impedimentum fuit inductum ab Ecclesia independenter ab eorum voluntate, atque est perpetuum, quod proinde durare debet etiam dissolutis sponsalibus. Confer Fagnan. in lib. IV. decret. in Cap. *Ad audientiam* de sponsalib. n. 29.

Q. Titius contraxit sponsalia cum Berta, deinde matrimonium cum sorore Bertae in primo gradu, et postea cum consobrina illius, num ex sponsalibus ortum sit impedimentum, num ex primo matrimonio, num ex secundo?

R. Ex sponsalibus est ortum, ex primo matrimonio est ortum quoad subsequentia, non vero quoad antecedentia: ex secundo matrimonio est ortum quoad antecedentia, et subsequentia. Hinc dicendum, quod iste talis non possit matrimonium contrahere cum prima ob impedimentum ortum ex secundo matrimonio, non cum secunda ob impedimentum ortum ex sponsalibus; non cum tertia ob impedimentum ortum ex primo matrimonio; cum ex hoc oriatur publica honestas, quoad subsequentia.

Q. Titius celebrat sponsalia conditionata cum Antonia, deinde absolute cum sorore matrimonium, num matrimonium valeat?

R. Valet, quia ex primis sponsalibus non oritur publica honestas, quatenus conditionatis, ideoque validum dicendum matrimonium contractum; quod apertissime constat ex Cap. unic. de sponsalib. in VI. Idem dicendum si quis contraxerit sponsalia conditionata cum una, deinde contra fidem istorum contraxit alia sponsalia absoluta cum ejus sorore, quia tunc neque ex primis sponsalibus oritur impedimentum, quia sunt conditionata, neque ex secundis, quia sunt illicita, et invalida, adeoque non impeditur

Digitized by Google

quominus saltem valide matrimonium contrahere possit cum alia eorumdem sorore.

Q. Quaenam est differentia inter matrimonium nullum ex defectu consensus, et nullum, quia in praejudicium priorum sponsalium?

R. Haec est, nam ex primo non oritur impedimentum neque quoad antecedentia, neque quoad subsequentia, ex secundo non oritur quoad antecedentia, oritur vero quoad subsequentia, cit. Cap. unic. de sponsalib. in VI., hoc est potest redire ad primam sponsam injuste relictam, sed non potest contrahere cum ceteris consanguineis sponsae usque ad quartum gradum, ita communiter.

§. XI. *De Impedimento Affinitatis*

Affinitas est propinquitas personarum orta ex copula carnali. Ubi est advertendum, quod non interest, num carnalis copula habetur cum muliere sponte, ac scienter cognita, an cum ignorante, ebria, aut coacta, sed sufficit, ut fiat per seminis effusionem in vase naturali foeminae sufficiente ad generationem, uti docent DD. in Cap. *Discretionem*, et Cap. *Fraternitatis* de eo, qui cognov. consanguin., qui vir, et mulier per hujusmodi conjunctionem efficiuntur una caro, et id non tantum in legitimo conjugio juxta illud Geneseos 2., sed etiam in fornicatione, ut ait Apost. 1. ad Corinth. 6.: *Qui adhaeret meretrici unum corpus efficitur*. Ex his ergo dicitur, quod ex copula cum mortua non contrahitur affinitas, quia non sufficit ad generationem haec commixtio.

Q. Usque ad quem gradum extenditur hoc impedimentum?

R. De Jure antiquo affinitas dirimebat matrimonium usque ad septimum gradum, uti patet ex Cap. *Nullum* et Cap. *Æqualiter* caus. 35. quaest. 3; tamen postea fuit restrictum usque ad quartum gradum hoc impedimentum, modo perveniat ex copula licita, Cap. *Non debet* 8. de consanguinit. et affinit., quia si pervenit ex copula illicita extenditur solum usque ad secundum gradum, uti expresse statuit Concil. Trident. sess. 24. de refor. matrim. Cap. 4.

Q. Quare dicitur affinitas?

R. Quia dicta est *a fine*, nam duae cognationes, quae divisae inter se sunt, per nuptias copulantur, et altera ad alterius cognationis finem accedit, uti perbelle ait Ictus in L. 4. §. 3. D. de gradib., et affin.

Q. Quomodo computantur gradus affinitatis?

R. Haec est regula, cujus ope gradus affinitatis computantur: *Quo gradu quis est cognatus marito, eodem est affinis uxori, et vicissim.* Nota tamen, quod vir, et uxor non dicuntur affines, sed principium affinitatis, sicut Pater et Mater, dicuntur principium consanguinitatis. Antoine.

Q. Num consanguinei viri fiant affines cum consanguineis uxoris, et e contrario?

R. Minime, quia affinitas non parit affinitatem, uti definitum fuit in Concil. Later. IV. sub Innoc. III., et expresse habetur. in Cap. *Non debet* de consanguin. et affin. Hinc duo fratres possunt contrahere cum duabus sororibus ex alia familia. Pater, et filius possunt contrahere cum Matre, et filia alienae familiae, Cap. *Quod super* tit. eod. Item ducere aliquis pote-

Digitized by Google

Matrem, vel filiam Vitrici, aut Novercae suae, quia inter hasce personas nulla adest affinitas per se, et directa, quae valeat matrimonium dirimere, sed tantum aliqua affinitas per accidens, quae nihil nocet matrimonio. Layman.

Not. Ad cognoscendum, num in aliquo casu adsit affinitas directa, vel per accidens, haec regula tenenda est: si neque vir cognovit carnaliter consanguineam mulieris, cum qua ille nuptias vult contrahere, neque mulier carnaliter cognovit consanguineum viri, tunc si quae inter eos affinitas est, ea per accidens tantum est, matrimonii contractum non impediens. Layman.

Q. Quo Jure sit hoc impedimentum?

R. Ex copula illicita certum est esse de Jure Ecclesiastico in omni gradu, sive loquamur de linea recta, sive de linea transversali, quia ex ista de jure naturae nulla nascitur affinitas, L. *Non facile* D. de gradib affinitat.

Ex copula vero licita in primo gradu lineae rectae aliqui dicunt esse de jure naturae. Vid Pontas verb. *Dispensatio matrim.* cas. 3., qui docet si quando dispensatum fuisset in hujusmodi impedimento, dispensationem veluti subreptitiam causatam fuisse: aliqui vero, et quidem probabilius dicunt esse de Jure Ecclesiastico, et probant ex Concil. Arelatensi, in quo prohibetur matrimonium cum Privigna, et cum Noverca relicta Patris. Ceterum certum est, quod in ceteris gradibus hoc impedimentum sit de jure Ecclesiastico, ceu tenent DD. omnes Vide Sanchez de matrim. lib. 7. disput. 66.

Q An infidelis, qui habet copulam fornicariam cum infideli, possit matrimonium inire cum sorore, matre, filia, etc. illius, si ambo veniunt ad fidem?

R. Maxime, quia illa affinitas est de Jure Ecclesiastico, ideoque isti in infidelitate non contraxerunt tale impedimentum, quia legibus Ecclesiae non tenebantur, secus vero si copula conjugalis in infidelitate processisset, quia affinitas ex hac copula contracta, est vinculum naturale, quod non contingit in copula fornicaria. Vide Sanchez. loc. cit. disput. 65.

Ast si fidelis habet copulam fornicariam cum femina infideli, non potest celebrare matrimonium cum sorore illius conversa, quia pars fidelis jam impedimentum contraxit, et Ecclesia vult, ut fideles in casu contrahant hanc affinitatem, ut ex ipsius praxi patet.

Q. Quid si conjugatus habeat copulam cum consanguinea Conjugis intra secundum gradum?

R. Iste privatur jure petendi, uti rescripserunt Coelestinus III. Cap. 4., et Innoc. III. Cap. 10. de eo, qui cognovit etc., quia jam per copulam contraxit affinitatem cum sua conjuge, licet reddere teneatur. At si habeat vir copulam fornicariam cum pronepte uxoris, jure petendi non privatur, cum non contraxerit ex hac copula affinitatem cum sua uxore, quia ex copula fornicaria exorta affinitas non extenditur usque ad tertium gradum ex novissima Tridentini sanctione: proneptis autem cum uxore est tantum in tertio gradu, uti patet. Haec affinitas vocatur a Theologis, et Canonistis *affinitas superveniens.*

Q. Quid si incestus fuit materialis, v. g. uxor per vim est oppressa a consanguineo viri, vel vir per alterius dolum accedit ad consanguineam uxoris, ratus accedere ad uxorem ipsam?

*

Digitized by Google

R. Non privatur jure petendi, cit. Cap. *Discretionem* tit. eod., ubi dicitur, quod nec affinitas, quae post contractum matrimonium legitimum iniquе contrahitur, ei debet objici, qui hujus iniquitatis particeps non existat: *Cum suo jure non debeat quis sine sua culpa privari*. Ubi notat Glossa, quod haec affinitas non ex rei natura affert impedimentum usui conjugali, sed in poenam delicti ex ecclesiastica constitutione, ideoque ubi cessat delictum, cessat etiam hocce impedimentum, Layman.

§. XII. *De impedimento Impotentiae*

Q. Quid est impotentia?

R. *Est illa, qua nequit copula matrimonialis haberi per penetrationem vasis naturalis foeminae, et effusionem seminis intra illud, ad generationem prolis aptam.* Toto tit. de frigid., et malefic.

Impotentia multiplex est, et I. dividitur in *absolutam*, et *respectivam*. Prima habetur, quando quis est impotens respectu omnium, secunda, quando quis est impotens respectu alicujus. II. Dividitur in *perpetuam*, et *temporalem*. Prima est, quae nequit tolli sine miraculo, vel sine peccato, vel sine periculo vitae. Secunda est illa, quae potest tolli mediis licitis, et ordinariis, sive naturalibus, sive supernaturalibus, uti precibus, et exorcismis Ecclesiae. Dividitur ultimo in *antecedentem*, et *subsequentem*, seu *supervenientem*. Prima est, quae ante matrimonii contractionem jam aderat. Secunda est, quae post contractionem matrimonii habetur.

Q. Quaenam impotentia est impedimentum dirimens?

R. Impotentia perpetua, et antecedens, sive cognita, sive ignorata, Cap. *Consultationi* 4. de frigid., et malefic., quia talis impotentia est semper contra naturam, et essentiam matrimonii, quia repellit corporis traditionem ad copulam conjugalem apti, aeque traditio est de essentia matrimonii. Praeterea quamvis matrimonii usus non sit de ejus essentia, tamen potentia ad usum est ipsi essentialis, uti scite ait D. Thomas in IV. dist. 34. q. unic. art. 2. ad 1. ibi: *Quamvis actus carnalis copulae non sit de essentia matrimonii, tamen potentia ad hoc est de essentia ejus.*

Dixi *impotentia perpetua, et antecedens*, quia si sit temporalis, non dirimit matrimonium, Cap. *Fraternitatis* tit. eod. Hinc si quis celebrat matrimonium cum constituta in articulo mortis, valide contrahit, nec etiam si sit consequens, quamvis matrimonium non sit consummatum, quia quod semel ratum fuit, licet non consummatum, non dirimitur ulla supervenиente impotentia, Can. *Hi qui* 25. caus. 32. q. 7.

Q. Quo Jure habetur hoc impedimentum?

R. Jure Naturae, et Ecclesiastico. Quod sit de Jure Naturae, patet, quia matrimonium consistit in mutua traditione potestatis corporis in ordine ad copulam generationi aptam, quae in casu non habetur, cum impediatur per impotentiam perpetuam; nemo enim potest dare quod non habet, nec perpetuo impotens ad copulam potest ad eam se obligare; *Impossibilium nulla est obligatio, L. Impossibilium* 185. De Regul. Jur., et Cap. *Nemo* potest tit. eod. in VI. Quod sit de Jure Ecclesiastico, patet ex tit. de frigid., et malefic. Ex dictis ergo inferes, quod non solum graviter peccat, qui cum impotentia hujusmodi contrahit matrimonium, sed etiam graviter peccat ille, qui

Digitized by Google

contrahit cum dubio talis impotentiae, quia exponit Sacramentum periculo nullitatis.

Q. Quid si aliquis dubitet, num impotentia praecesserit, vel subsecuta fuerit matrimonium?

R. Praesumendum esse praecessisse, quando nunquam copula haberi potuit, et nullis indiciis ostendi queat, quo tempore fuit contracta impotentia. Abbas in cit. *Fraternitatis* de frigid. et malefic.

Q. Quid si dubitetur num impotentia sit perpetua, vel temporalis?

R. Quamvis in hoc casu contrahi non possit matrimonium, quia exponitur Sacramentum sine necessitate periculo frustrationis; tamen, si jam sit contractum, conceditur conjugibus spatium trium annorum ad experientiam. Nov. 21. Cap. 6., et Cap. 5. de frigid. et malefic., et hoc medio tempore conari possunt ad copulam, etiam si per accidens sequatur pollutio, quo completo, si durat impotentia, nullum est matrimonium, cit. Cap. 5. Quae doctrina tenenda est, quando dubitatur; nam si certo constet, quod impotentia sit perpetua, statim faciendа est separatio, quia tunc non est opus experientiae, Sanchez, Layman, aliique.

Q. Num permissi sint tactus, oscula etc. conjugibus, quando evadunt post matrimonium impotentes?

R. Sunt permissi ad ostendendum affectum conjugalem, et ad sedandam concupiscentiam, modo tamen non habetur periculum pollutionis, uti tenent aliqui DD. cum Sanchez: quod ita intelligendum, quando tactus sunt pudici, et partium honestarum.

Q. Quid si impotentia antecesserit?

R. Conjuges statim esse separandos saltem quoad torum ad evitandum pollutionis periculum. Quod si tamen inter se vivere, et cohabitare volunt, tamquam frater, et soror, semper ac ab illicitis abstineant, potest hoc eis permitti, Cap. *Laudabilem* de frigid., et malefic.

Q. Quid si habeatur impotentia ad generandum, sed non ad coeundum, ut accidit sterilibus?

R. In hoc casu matrimonium est validum, uti patet ex parentibus Joannis Baptistae, qui licet erant steriles, verum, et validum conjugium habuerunt, neque etiam unquam sterilibus ab Ecclesia fuit prohibitum matrimonium: et ratio est, quia non obstante sterilitate, adhuc potest esse copula per se apta generationi, licet haec per accidens non sequatur, Sanchez, Layman.

Q. Num matrimonium ab eunucho, vel a spadone celebratum valeat?

R. Est nullum defectu seminis prolifici, nam isti sunt orbati utroque teste, quod fuit declaratum a Xysto V. in sua Bulla incip. *Cum frequenter*, edita ann. 1587. Idem dicendum de illis, quibus desunt testes, vel iis, qui licet integras habent partes, semen tamen prolificum emittere nequeunt ob naturalem frigiditatem, vel complexionis debilitatem, ita ut semen non possit emitti in vas mulieris, ita communiter. Quod non est dicendum de eo, qui tantum uno teste est orbatus, quia iste potest emittere verum semen, quod ad generationis negotium proficiendum valeat, uti praxis, et experientia docet. Vide Zachiam lib. 1. quaest. medic. legal. Cap. 1. 3, et 4.

Q. Quid dicendum si matrimonium fuerit solutum, eo quia unus con-

Digitized by Google

jus existimabatur impotens perpetuo ad coeundum, qui revera talis non erat?

R. Licet fuerit solutum matrimonium Ecclesiae auctoritate, et contractum fuerit aliud matrimonium, tenetur tamen iste talis redire ad primum matrimonium, quia Ecclesiae sententia nitebatur falso supposito, sive falsa praesumptione, quae profecto in foro conscientiae cedere debet veritati, cit. Cap. *Laudabilem*, et Cap. *Fraternitatis* de frigid., et malefic.

Excipe I. Si impotens factus sit potens per solum miraculum, quia statim ac, quod impotens reddatur potens per miraculum, non sequitur impotentiam fuisse temporalem, arg. Cap. *Fraternitatis*.

II. Quando impotentia tollitur ope daemonis, vel per media illicita, puta per incantationem etc., nam impotentia, quae naturali, et licito modo tolli nequit, perpetua dicitur.

III. Quando impotentia respectiva est perpetua, v. g. ob arctitudinem vasis naturalis determinatae mulieris, quia respectu hujus est, et maneat matrimonium nullum, quamvis cum alia postea hujusmodi defectu nimiae arctitudinis minime laborante copulam perfectam habere possit, Sanchez lib. 7. Cap. 99. n. 18. Confer Gonsalez, et Fagnanum in Cap. *Fraternitatis* de frigid. et malefic. Verum si plura de hoc cupis, lege Sanchez loc. cit., et D. Thomam in supplem. q. 58. art. 1. ad 5., aliosque saniores Theologos, et Canonistas.

§. XIII. *De Impedimento Clandestinitatis*

Matrimonium secundum Sanchez, Salmanticenses, et communiter potest dupliciter dici clandestinum, scilicet *improprie*, et *proprie*. Primum est illud, quod fit absque denuntiationibus. Secundum, quod fit absque praesentia proprii Parochi, vel alterius Sacerdotis de ipsius Parochi, vel Ordinarii licentia, et duorum saltem testium, Trident. sess. 24. de reformat. matrim. Cap. 1.

Q. Num matrimonium clandestinum valeat?

R. Vel loquimur de clandestinitate *impropria*, et est validum, licet illicitum. Vel de *propria*, et est nullum in iis Regionibus, et locis, in quibus est receptum Tridentinum, uti patet ex cit. sess.

Q. An matrimonium clandestine factum valeat, quando celebratur, absque Parochi, et testium praesentia ob urgentem necessitatem?

R. Non valet absque Summi Pontificis dispositione, nam licet necessitas excusat a praecepto Ecclesiae, tamen non potest facere validum, quod est irritum, neque habiles, qui sunt jam inhabiles. Sanchez, Layman, aliique communiter.

Q. Num Parochus Catholicus licite assistere potest matrimoniis haereticorum?

R. Maxime, quia non apparet ratio, cur non debeat assistere, non quia illi sunt excommunicati, nam cum sint tolerati, potest cum eis haberi communicatio ex Concilio Constantiensi, non quia irrogat injuriam Sacramento, nam ipse Parochus non ministrat, cum minister non sit, sed tantum tanquam testis assistit: hoc in sententia illorum, qui volunt Parochum testem auctorizabilem, non eorum qui asserunt Parochum ministrum. Ut-

Digitized by Google

cumque tamen se res habet, sine urgenti causa assistere non decet, alioquin peccaret.

Q. Num matrimonium celebratum a peregrino clandestine, eo quia in loco proprio non est receptum Tridentinum, valeat, licet in loco ubi celebratur, vigeat Tridentini lex?

R. Minime, sive habeat animum permanendi, sive non, quia peregrinus ex omnium omnino Theologorum sententia tenetur Legibus et Consuetudinibus locorum, per quas transit, quoad contractus, et solemnitates illorum, nam ratione contractus quilibet sortitur forum in loco contractus, communiter.

Q. Num matrimonium celebratum clandestine ab eo, qui e loco ubi est receptum Tridentinum, transit ad locum, ubi non est receptum, valeat?

R. Regulariter loquendo valet, quia quoad solemnitates contractus standum est legibus locorum, in quibus celebratur, juxta illud :

Si fueris Romae, Romano vivito more;
Si fueris alibi, vivito, sicut ibi.

Dixi *regulariter*, quia si in fraudem transierit, nullum est matrimonium, uti patet ex declaratione Cardinalium, confirmata ab Urbano VIII. anno 1627. die 12. Augusti.

Q. Coram quo Parocho debent Vagi inire matrimonium?

R. Coram Parocho illius loci, in quo versantur, dum contrahunt, quia nullus alius est proprius eorum Parochus, qui debet praemittere diligentem inquisitionem, et licentiam obtinere ad Episcopo, uti habetur ex Trid. sess. cit. Cap. 7., ibi : *Parochis praecipit, ne illorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, et re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi, obtinuerint.*

Q. Quinam Parochus debet assistere matrimonio?

R. Parochus proprius utriusque, vel saltem alicujus contrahentium; quod manifeste constat ex Tridentino. Sic enim declarasse Sacram Congregationem Concilii referunt Sanchez lib. 3. disp. 19. n. 4., et Fagnan. lib. 1. Decretal. Cap. *Quoniam* de constitut. n. 5. (1).

(1) Plura heic observatu digna :

I. Benedictus XIV. Arch. Goano rescripsit, quod sufficiat ad adquirendum quasi domicilium pro contractione matrimonii spatium unius mensis. *Append. II. tom. IV. Bullar. ejusd.*

II. S. C. in una Florentina censuit : *quod Parochus ruralis non est verus Parochus, quando rus itur causa recreationis, vel pro rusticanis negotiis. Apud Bened. XIV. Notif XXIII. n. 7.*

III. Cum Jure cautum sit, quod *relegatus in eo loco, in quem relegatus est, interim necessarium domicilium habet* (*L. Filii ff. ad municipal.*): hinc sapientissime praescripsit idem Bened. XIV. quod carceri mancipati vel perpetuo, vel ad tempus coram Parocho loci, in quo ii extant, matrimonium contrahere possunt. Excipiuntur vero illi, qui ibidem temporarie morantur non ratione poenae, sed dumtaxat custodiae, ideoque coram Parocho proprii domicilii Matrimonium inire debent. *Notif. cit. n. 2.*

IV. Praeterea infirmi, qui in xenodochiis curantur cum urgeat mortis periculum, tempusque desit probandi status libertatem, ex Episcopi licentia coram Capellano

Digitized by Google

Q. Num requiratur, ut Parochus sit Sacerdos, ad hoc, ut possit matrimonio assistere?

R. Non requiritur, uti patet ex Tridentino, quod cum saepe faciat mentionem de Parocho, nunquam dicit debere esse Sacerdotem, adeoque valet matrimonium, si illo assistat Parochus minoribus ordinibus initiatus. At Adnotator Fulgentii Cuniliati oppositum defendit: verum rationes, quas adfert, non tanti sunt ponderis, ut hanc communem infirment sententiam. Licet Parochus non possit dare licentiam non Sacerdoti matrimonio assistendi, atque si secus fecerit, matrimonium est ipso jure irritum. Vide Sanchez, tamen delegare potest facultatem alicui Sacerdoti ut matrimonio assistat. Trid. loc. cit.

Sed non valet si assistat Sacerdos spe futurae ratihabitionis ipsius Parochi, vel praesumendo, quod Parochus consentiat in ejus assistentiam, quia jurisdictio delegata non acquiritur sine consensu actuali Delegantis. Delegans autem talem consensum non habet tempore assistentiae cum rem ignoret: neque convalescit per subsequentem consensum, quia quod a principio nullum fuit, tractu temporis non convalescit. Layman.

Q. Num Parochus irregularis, aut excommunicatus, suspensus, vel interdictus possit valide assistere matrimonio?

R. Parochus irregularis, excommunicatus etc. etiamsi vitandus, valide assistit matrimonio, dummodo a beneficio non est privatus, quia assistere matrimonio, non est actus jurisdictionis, vel administrationis, sed res actus testimonii ex Juris dispositione ad matrimonii substantiam requisitus. Id tamen certum est, quod Parochus excommunicatus, vel suspensus, alteri Sacerdoti licentiam assistendi matrimonio nec valide, nec licite committere potest, quia haec commissio esset exercitium jurisdictionis, qua ille privatus est.

Q. Num peccet Parochus iste excommunicatus, suspensus etc., qui matrimonio assistere praesumit sine necessitate?

R. Litigium est inter DD., nam aliqui tenent peccare mortaliter, quia in re gravi, et sacra contra prohibitionem Ecclesiae communicat cum aliis. Alii vero negant; quia cum sit suum munus communicat cum aliis in re necessaria ad aliorum utilitatem requisita, quae non est exercitium Ordinis, nec Sacramenti administratio, sed solum actus testimonii, Sanchez, Salmanticenses, aliique. At prior sententia est probabilior, ac Juri conformior, eamque prae ceteris sectatus est, atque amplectitur, Clar. Ligor.

Q. Num detur casus, in quo matrimonium est celebratum coram aliquo Sacerdote, qui non est Parochus, et valet?

R. Maxime, et est, quando habetur titulus coloratus Parochi, et error communis. L. *Barbarius Philippus* D. de offic. Praetor., nam in hoc casu

ipsius loci contrahere possunt: si vero ipsi convaluerint, nequeunt cohabitare, nisi constet de statu libero. *Notif. cit. n. 12. et 17.*

V. Adhaec puellae expositae coram Parocho loci, ubi extat hospitium, Matrimonium ineant. *Notif. cit. n. 14.*

VI. Tandem Virgines in Monasteriis degentes, si domicilium necessarium non habeant patris, matris, aut fratris, coram Parocho loci, ubi religiosae extant Domus, nuptias celebrare possunt. *Notif. cit. n. 17.*

Digitized by Google

supplet Ecclesia illius jurisdictionem, quae deficit, uti patet ex Cap. *Infamis* caus. 3. quaest. 7.

Q. Num valeat matrimonium celebratum coram Parocho per vim adhibito ?

R. Valet, uti patet ex declaratione Cardinalium, teste Fagnano in Cap. *Quoniam* de constit.; nam hoc non obstat valori matrimonii, quia Tridentinum non requiritur consensum Parochi, sed ejus praesentiam.

Q. Quinam possunt esse testes matrimonii ?

R. Infantes ante pubertatem, si sint judicii capaces, et intelligant, quid agatur, infames, excommunicati, foeminae, consanguinei, infideles, immo etiam ipsi parentes, familiares, servi, etc.; quia Concilium nullas qualitates in testibus requirit, et si aliquis defectus in testibus adest, suppletur defectus auctoritate, et Parochi praesentia; sine tamen gravi necessitate non admittantur, nisi personae adultae, graves, sed bonae famae.

De clandestino matrimonio improprie dicto

Q. Quot denuntiationes requiruntur ad matrimonium ?

R. Tres, uti aperte patet ex Trident. Tamen advertendum, quod potest Episcopus justa de causa denuntiationes remittere, vel omnes, vel aliquam, prout videbit expedire ad vitandam infamiam, pudorem sponsorum, scandalum, rixas, discordias, periculum incontinentiae, damnum imminens, etc., cum id commiserit Tridentinum prudentiae suae.

Q. Num praetermissio denuntiationum sit lethaliter peccaminosa tum Parocho, tum ipsis contrahentibus ?

R. Maxime, quia violant praeceptum Ecclesiae in re gravi, ad gravia mala impedienda editum. Sed stante justa causa, scilicet ob bonum commune, vel particulare, et non potest haberi facilis recursus ad Superiorem, non esset peccaminosa haec omissio, quia leges Ecclesiae non obligant cum gravi incommodo. Palaus, Sanchez, Layman, aliique, qui tamen advertunt, quod illae supplendae sint post matrimonium ante consummationem, ne impedimentum fortasse subeat, et copula sit fornicaria. Ubi adverte, quod Parochus in tali casu non dispensat in denuntiationibus; quia non habet tale jus, sed solum ex Epikeja declarat in tali casu legem denuntiationum non obligare.

Q. In quam poenam incidunt Parochi, qui denuntiationes omittunt ?

R. De Jure communi est suspendendus Parochus ab officio per triennium Cap. *Cum inhibitio* 3. §. ult. de clandestin., desponsat. De Jure vero Dioecesano Neapolitano incidit in poenam carceris arbitrio Ordinarii, et in poenam centum ducatorum, distribuendorum dotandis puellis ejusdem loci. Vid. Synod. Neapolit.

Q. Quid si differatur matrimonium post multum tempus a denuntiationibus ?

R. Faciendae sunt denuo denuntiationes ob impedimenti affinitatis periculum. Praeterea denuntiationes faciendae sunt in propria Paroecia, et quando sponsi sint diversae Paroeciae, in utraque sunt faciendae, quia illi, qui sunt de Paroecia mulieris fortasse nesciunt impedimentum viri, et e contrario.

Digitized by Google

Q. Quaenam impedimenta sunt manifestanda?

R. Impedimenta sive impedientia, sive dirimentia, tam occulta, quam manifesta, et etiam orta ex delicto, vel infamia; nam unusquisque tenetur respondere Superiori legitime interroganti. Quare si quis extra confessionem impedimentum novit, tenetur sub gravi illud revelare ex Ecclesiae praecepto immo ex naturali, nam agitur de bono communi, de salute Proximi, et de valore Sacramenti.

Quod si impedimentum revelando immediate Parocho oriretur infamia, tenetur sciens monere prius sponsum, ut matrimonio abstineat, dein, si nolint abstinere, poterit Parocho deferre impedimentum, quia Parochus cognito impedimento, debet a matrimonii assistentia abstinere, et Episcopum monere de impedimento suborto, et cognito.

Q. Num sit manifestandum impedimentum, quando non potest probari?

R. Maxime, quia ad ipsum spectat deferre, et ad Parochum, vel Praelatum spectat probare. Immo unus testis fide dignus matrimonium impedit, Cap. *Cum in tua* 27. de sponsalib.

Q. Num Parochus, qui conjungit, vel benedicit sponsos alterius Paroeciae sine licentia proprii Parochi, incidit in aliquam poenam?

R. Manet tamdiu suspensus, quamdiu ab Ordinario proprii Parochi absolvatur, uti patet ex Trident. sess. 24. Cap. 1., et si sit religiosus incidit in excommunicationem Papae reservatam. Clementin. 1. de Privileg.

§. XIV. *De impedimento Raptus*

Jam sermo fuit in Tractatu de peccatis de Raptu, prout est species luxuriae: solum hic disputatur de eo, uti est impedimentum matrimonii.

Raptus est violenta foeminae abductio de loco ad locum matrimonii causa: cujus duplex est species, una, qua persona invita, per vim abducitur, altera, qua persona consentiens, sed invitis parentibus abducitur, vel curatoribus, sub quorum potestate est. Secundum plerosque solus raptus, quo abducitur foemina invita est impedimentum dirimens, non autem secundus raptus, quia Tridentinum voluit, ac decrevit, ut cessaret impedimentum, si rapta separata esset a raptore, et in loco tuto, ac libero constituta consentiret habere in virum ipsum raptorem, et cum eo matrimonium contrahere: nec exegit, ut restitueretur parentibus, curatoribusque, quo certe exigere debuisset, si raptum etiam seductionis voluisset inter matrimonii impedimenta numerari, Sanchez lib. 7. disput. 13. n. 13. Confer Gonzalez in Cap. *Cum causam* 6. de Raptorib.

Q. Num matrimonium celebratum a raptore cum rapta valeat?

R. Est nullum, etiamsi rapta postea consentiat in matrimonium ipsum; si vero rapta a raptore separatur, et in loco tuto, ac libero posita consentiat, matrimonium valeat, textu expresso in Trident. sess. 24. de reform. matrim. cap. 6.

Q. Num matrimonium celebratum a Cajo cum puella, quam ipse rapuit nomine Titii. valeat?

R. Valet, quia puella libere contrahit cum Cajo mandatario, et respectu Caji non dicitur rapta, Layman.

Digitized by Google

Q. Num matrimonium celebratum a sponso raptore cum sponsa rapta, eo quia injuste resilire volebat a sponsalibus, valeat?

R. Non valet, quia semper non habetur libertas ad matrimonium requisita. Ita Salmanticenses contra nonnullos alios contrarium defendentes.

Q. Num ille qui rapuit meretricem causa contrahendi matrimonium, incidat in poenas de Jure Canonico?

R. Maxime, quia semper destruitur libertas. At raptus non dirimit matrimonium, si solis importunis precibus foemina abducatur, nisi preces tales fortasse fuissent, ut violentiae aequiparentur. Barbosa super Trident. sess. 24. de reform. matrim, Cap. 6. n. 2., Bonac. de matrim. q. 4. punct. 8. n. 5. et 6.

Q. Num raptus annullet sponsalia, sicut et matrimonium?

R. Maxime, quia lex correctiva, et poenalis extendenda est, ubi militat eadem ratio. Hinc cum eadem ratio militet in sponsalibus, ac in matrimonio, cum sponsalia enim petant libertatem, dicendum, quod sponsalia per raptum facta etiam sunt nulla.

Q. Num foemina rapiens virum incidat in istas poenas?

R. Minime, quia Tridentinum voluit favere fragilitati foeminarum, quae sunt magis expositae violentiis, et leges poenales non comprehendunt ea, quae rarissime fiunt, qualis est hic casus, nisi clare exprimant. Insuper advertendum, quod raptus, quo foemina virum rapit non dirimit matrimonium. Barbosa loc. cit., et Sanchez. Ratio est, quia Concilium loquitur solum de raptore, et non de raptrice; unde tale decretum, utpote odiosum, et poenale, non est extendendum ad raptricem, argum. deducto ex Cap. 25. de Regul. Jur. in VI., ibi: *Odia restringi, et favores convenit ampliari*, et argum. Cap. 22. tit. eod. in VI., ubi decernitur, quod non debeat aliquis alterius odio praegravari.

ADDITAMENTA

DE MATRIMONIO

Quum Matrimonium in ipsa Naturae conditione firmissimum fundamentum habeat, statimque ab Orbe condito a Deo ejusdem Naturae Auctore humano generi propagando fuerit sancitum (1), hinc sapienter docet Magister Sententiarum (2): *Est* (matrimonium) *non qualecumque inventum, aut Jure gentium, aut civili constitutione inductum, sed vinculum Naturâ magistra, ejusque parente Deo praecipiente, ante peccatum quidem in officium, postea vero etiam in remedium concupiscentiae rebellis firmatum.*

Hoc autem conjugii foedus, quod fuerat tum in Lege Naturae, tum in Lege scripta sanctissimum, Christus Servator noster in Evangelica Lege ad Sacramenti rationem extulit, voluitque habere vim gratiae sanctificantis, di-

(1) Gen. 2. 18. et seq.
(2) Lib. IV. dist. 26. cap. 1.

Digitized by Google

vina virtute superaddita, producendae (1). Nec ipsiusmet naturam ille immutavit, ita ut contractus a Sacramento distingui possit, quasi isthaec sint duo diversa, sed effecit, ut sacramentalis dignitas, et gratia coelestis ipsis contractui naturali accederet. Qua de re unus, idemque Naturae contractus, conditionibus ab Ecclesia praescriptis munitus, Sacramentum evadit, quod gratiam in contrahentes ex opere operato abunde parit.

Jamvero si Matrimonium inspiciatur ut simplex societas ab ipso Deo, Naturae Auctore constabilita, primisque legibus a se latis confirmata, illud profecto in nudo contrahentium consensu consistit, et soli Tribunali Dei subest; si ut civilis contractus, civilibus quoque legibus constituuntur illa omnia, quae Matrimonium ipsum praecedunt, comitantur, et sequuntur. Si vero ut societas a Religione consecrata, cum illud sit novae Legis Sacramentum, conditionibus dumtaxat ab Ecclesia praescriptis, quae sola Jure divino potestatem in Sacramenta habet, iniri potest. Quamobrem docet divus Thomas (2): *Matrimonium in quantum est in officium Naturae, statuitur Jure Naturae: in quantum est in officium communitatis, statuitur jure civili: in quantum est Sacramentum, statuitur Jure divino.*

Quod autem ad Civiles leges spectat: eae profecto Catholicae Religionis jura sarta tecta servando, dumtaxat civiles effectus, qui ex eodem promanant, dirigunt, ac proinde conventiones nuptiales, filiorum civilis ordo, jura, successiones in bona adscendentium, aliaque id genus civilibus sanctionibus in Societatis utilitatem reguntur.

Hisce praemissis, e re nostra duximus gravissimis doctrinis, quas Auctor noster in medium protulit nonnullas Canonico-Civiles recentiores leges, quae Matrimonium respiciunt, heic adnectere.

Et principio de Matrimoniis mixtis pauca expendere fas, jusque erit.

Sane conjugium *mixtum* illud est, quod contrahit *catholicus* cum *acatholica*, vel e converso: *acatholici* vero ii dicuntur, qui etsi baptismo lustrati, christiano tamen nomine perperam gloriantur, quippe qui aut in haeresim misere prolapsi, aut in schisma: et veluti membra, quae corpori non adhaerent, vitam habere nequeunt, ut rivi a fonte secreti arescunt, ramique ab arbore praecisi germinare non valent, ita quotquot sunt extra visibilem Catholicam Ecclesiam, salutem assequi non possunt.

Profecto connubia ista ob periculum perversionis, et apostasiae, quod catholico, prolique nasciturae instaret, absque Summi Pontificis dispensatione, quae dumtaxat ob gravissimas rationes datur, illicita prorsus esse, tum Conciliorum canones, tum Pontificum decreta inde usque a primis Aerae Christianae temporibus lata, apertissime demonstrant. Ne vero instituti fines praetergrediamur, heic recensere omittimos canones XV. Illiberitanum, XI. Arelatensem, LVII. Nicaenum, XII. Cartaginensem III., LXII. Trullanum, aliosque illum solummodo adferendo, quem Chalcedonensis Oecumenica Synodus sanxit: *neque copulari debet nuptura haeretico, aut judaeo, vel pagano, nisi forte promittat se ad orthodoxam Fidem persona orthodoxae copulanda transferre* (3).

(1) Conc. Trid. Sess. XXIV. Can. 1.
(2) *4. sent. dist. 24. Quaest. 1. art. 1. ad 4.*
(3) *Ex versione Dionysii Exigui apud Arduin. Acta Concil. T. II. col. 607.*

Digitized by Google

Hinc autem Chalcedonensem canonem Summi Pontifices latis legibus confirmarunt, praesertim S. Leo M. (1), Stephanus IV. (2), Nicolaus I. (3). At heic observare ne pigeat quae recentiori aetate ab Apostolica Sede in hanc rem sunt constituta.

Et sane Benedictus XIV. expresse ait: *Pontificiae auctoritati injuria fit ab iis, qui illius interventu opus non esse contendunt, ut matrimonia inter partes, alteram catholicam, et alteram haereticam licite contrahantur* (4), idemque ille sanxit sua Constitutione *Magnae nobis* ad Primatem Archiepiscopum, et Episcopos Coloniae missa die 29. Jun. 1748. (5).

Tum Pius VI. in Rescripto ad Card. de Franckenberg Arch. Mechlinien-sem sub die XIII. Jul. an 1782; veteris ecclesiasticae disciplinae vestigiis inhaerendo, declarat Parochum catholicum, si conjugia mixta impedire nullo pacto valeret, eisdem materialem suam exhiberet praesentiam hisce conditionibus:

I. Ut tali matrimonio non assistat in loco sacro, nec aliqua sacra veste indutus: ut etiam nullas Ecclesiae preces recitet, neque ullo modo conjugibus benedicat.

II. Ut pars haeretica scripto, ac juramento coram testibus promittat se permissuram, ut pars catholica Religionem suam libere exerceat, prolesque omnes in eo instituat.

III. Ut similiter pars catholica eodem modo promittat se hoc praestituram, ut compartis conversionem efficaciter procuret (6).

His adde instructionem, quam edidit Congregatio Card. Concilii Tridentini interpretum die XV. Junii an. 1793; et ab eodem Pontifice Pio VI. adprobata:

« Catholicum prae omnibus, vel Catholicam Parochi moneant, quod con-» trahendo matrimonium cum acatholica, vel acatholico, valide quidem » contrahant, sed illicite.

» Atque hinc plane consequitur nullo actu positivo ipsos posse isthaec » matrimonia probare, aut suo expresso consensu, et auctoritate confirma-» re. Quapropter si cogantur in hac temporum conditione, et propter leges » in transactione Religionis anni 1673. praescriptas, matrimoniis Catholico-» rum cum muliere acatholica assistere, satagant, ut se mere passive ha-» beant, atque tanquam inviti audiant dumtaxat utrumque consensum, ve-» rumtamen abstineant omnino a precibus recitandis, a benedictione imper-» tienda, atque ab omni alio Ecclesiae ritu adhibendo.

» Caveant insuper ne in publicandis matrimoniis mixtis religionem ex-» primant contrahentis acatholici, sed contrahentium tantum enuntient no-» mina, et cognomina.

» Abstineant rursus a concedendis dimissoriis, ubi secundum canones » Ecclesiae Catholicae canonicum aliquod impedimentum sit inter contra-» hentes. »

(1) *Ser. LXXXII.*
(2) *Apud Baron. ad an. 770. epist. ad Carolum, et Carolomannum.*
(3) *Resp. ad Consult. Bulgar. n. XXII.*
(4) *Bened. XIV. de Synod. Dioeces. Lib. IX. cap. 3. n. 3.*
(5) *Const. Magnae nobis in ejusd. Bullar. tom. 2.*
(6) *In Rescript. cit. apud Moser de imped. mat. pag. 179.*

Digitized by Google

Adhaec Summus Pontifex Pius VII. in Rescripto ad Galliarum Episcopos sub die XVII. Febr. an. 1809. diserte inquit (1): « Quare si a nobis *petitioni* huic respondendum nunc esset, responsum certe nostrum a constanti » hujus S. Sedis regula, et Praedecessorum nostrorum exemplo, agendique ratione dissidere non posset ». Et Pius VIII. tum in Brevi sub die XXV. Mart. ann. 1830. (2) tum in instructione, quam eidem adjecerat, Praedecessorum sanctiones de hisce conjugiis apertissime confirmavit.

Coronidis tandem loco referre duximus auream in hanc rem allocutionem Gregorii XVI., qui Petri Cathedram felicissime tenet, quemque Deus maximo Catholici Orbis bono diutissime incolumem servet.

« Quis porro, inquit (3), futurum putaret, ut pontificia isthaec declaratio (Pii VIII.), indulgentissima licet, et semel atque iterum per regium in » Urbe oratorem accepta, *eo sensu adhiberetur, qui inconcussa Catholicae Ecclesiae principia perverteret, et hujus Apostolicae Sedis menti penitus repugnaret?* Verum quod nemo unus fingere, aut excogitare posset, » quodque vel leviter suspicari crimen fuisset, *id artificioso saecularis potestatis impulsu* factum est. Vix rem non sine maxima animi molestia » novimus, nihil distulimus, quin expostulationes Nostras iis, ad quos pertinebat deferendas committeremus, una simul declarantes quanta Nos ex » Apostolico munere teneret necessitas fideles opportune monendi, ne illud » ab sancta hac Sede profectum arbitrarentur, a quo ipsa plane abhorret. » Cumque ita Nobis fuisset responsum *veluti nullo querelae Nostrae initerentur fundamento*: epistola accessit alterius ex praedictae regionis » Praesulibus, qui instante morte redditurus aeterno Judici rationem vilicationis suae, misso ad Nos apographo instructionis traditae ab Episco» pis, urgente civili Gubernio, accurate significabat *se, damna gravissima exinde Ecclesiae oritura laesosque illius canones divinae gratiae* » *lumine inspicientem, errorem, cui subscripserat, libera mente motuque* » *proprio retractare*. In curam proinde statim incubuimus, ut perlato ad » Serenissimum Regem germano istius apographi exemplo, magis magisque innotesceret Nos initam a memoratis Episcopis rationem interpretandi Apostolicas Praedecessoris Nostri litteras, utpote Ecclesiae principiis, » ac legibus adversantem, omnino reprobare (4).

» Haec autem secreta conventio, quae prius a Confluentibus (vulgo *Cobbentz*) nuncupata est, ex qua prodiit *instructio* reipsa locum habuit Berolini 19. Jun. 1834. inter Bunsen, et Arch. Coloniensem Com. de Spiegel. Illa porro eadem est, de qua Bunsen Borussiae Orator apud S. Sedem interrogatus ex officio respondit « Non seulement l'existence d'une » telle instruction est moralement impossible mais *qu'il a le certitude positive que cette pretendue instruction* n'a *jamais existè* » Cf. *Exposit.* » cit. Doc. VI. Huic conventioni, ac instructioni inde emissae subscripserunt praeter Arch. Coloniensem Spiegel Episcopi Trevirensis Paderbor-

(1) *Rescript. cit. ad Episcopos, et Vicarios Capitul. Galliar. apud Moser loc. cit. p. 194.*

(2) In cit. exposit. III. pag. 5.

(3) *In allocutione habita die X. Decemb. an. 1837. Cf. esposiz. di fatto: Docum. n. XVI.*

(4) *In Expos. Doc. XVI.* pag. 84. et seq.

Digitized by Google

» nensis, et Monasteriensis. Cumque ab ephemeride Aschaffenburgensi an. » 1836. n. 125. cum nonnullis mutationibus pubblicata esset, iidem Epi» scopi, qui ei subscripserunt, in hac ipsa ephemeride n. 150. declararunt » hoc documentum *opus perfidum esse cujusdam calumniatoris!* Cf. *lettr.* » *cit. Sur l' affaire de Cologne* Paris 1838. p. 33. E septem vero articu» lis, ad quos illius conventionis instructio redacta fuerat excludebantur » conditiones duae, quibus unice positis Pius VIII., ut diximus, pro sua » potestate declaraverat connubia isthaec mixta iniri licite posse, scilicet » 1. seria admonitio facienda parti catholicae de gravi crimine, quo se ob» stringeret contra Canonum leges tale matrimonium ineundo, 2 promis» sio ab eadem praestanda, qua polliceretur fore, ut soboles omnis Catho» lica Religione institueretur.

Hactenus vero dicta haud ita accipias, quasi conjugia mixta nunquam a Romanis Pontificibus permissa fuerint. Namque ob gravissimas rationes, et sub praescriptis conditionibus, quae, ut supra innuimus, tum catholicum sponsum respiciunt, ut scilicet vires exerat suas, ut pars acatholica ad veram ecclesiam convertatur, tum prolem nascituram, ut in Catholica Religione instituatur, isthaec connubia a Petri Successoribus indulta, nemo unus ignorat. Ita Clemens VIII., licet aegre Duci Barensi indulsit, ut matrimonium cum Catherina Henrici IV. Galliae Regis sorore haeretica contraheret: et Urbanus VIII. Henricae Ludovici XIII. sorori potestatem fecit, ut nuberet Carolo I. Angliae Regi, aliique passim in Germania, Anglia, Hollandia etc. (1).

Sed haec satis sunto. Qui vero plura nosse aveat, Theologos adeat, qui rationibus non modo a multiplici canonum auctoritate, sed etiam a Jure Naturae, et Divino positivo petitis, malevolorum quorumdam audaciae, qui mixtas nuptias promovere vellent, pro viribus obsistunt.

Praeterea haeic addenda duximus quae de matrimonio *Conscientiae* sapientissimus Pontifex Benedictus XIV. sanxit Litteris Encyclicis *Satis vobis die XVII. Nov. an. 1741.*

Revera matrimonium istud coram Ecclesia iniri debet, nempe coram Parocho, aut alio Presbytero ab Episcopo specialiter delegato, et duobus testibus, qui arcani silentii lege adiguntur, ac proinde verum esse Sacramentum, quidquid frustra deblaterent Protestantes, nemini impervium. Occultum tamen illud manet, tum quia denuntiationes omittuntur, tum quia in libro ordinario Parochi minime describitur. Ne vero hujusmodi matrimonium luctuosos habeat exitus, et gravia mala inde exorian tur, iisdem Litteris cautum, ut Episcopi, nisi justa, gravi, et urgenti caussa hanc nuptiarum celebrationem minime permittant (2). Illud quoque animadvertendum est, quod hujusmodi Matrimonium effectibus civilibus minime gaudet (3).

Tandem illa subnectere praestat, quae in Codice novissimo Utriusque Siciliae Regni de Matrimonio sancita fuerunt.

Ac primo filiifamilias ante XXV. aetatis annum, filiaeque ante XXI. Matrimonium inire prohibentur absque parentum consensu (4): immo exa-

(1) *Confer Bintherim in Diss. de Matrim. mixtis pag. 46.*
(2) *Videsis Benedictum XIV. indicatis Litteris Satis vobis Bullar. tom. 1. n. 55. edit. Rom.*
(3) *Cod. Civ. Part. 1. Tit. V. art. 189.*
(4) *Cod. Civ. Part. 1. Tit. V. art. 163.*

Digitized by Google

cta hac aetate, triplicem obsequiosum actum parentibus invitis rite praestare tenetur (1): quibus confectis, ipsis liberum erit nuptias in faciem Ecclesiae celebrare. Quod si contrahentium pater e vita excesserit, aut *in illorum* nuptias consensum praestare nequiverit, tunc et Avi paterni, et Matris consensus requiritur: si vero isti dissentiant, sufficiet consensus Avi paterni (2). Rursus si sponsi vel adscendentibus sint orbati, vel si hi extent, suam voluntatem aperire nequeant, tunc illis potestatem facit lex cognatos, et adfines, quibus praeest Judex, in consilium adhibendi, etabhis consensus praestabitur. Demum filii mere naturales nullo, recognitionis actu a parentibus ingrate donati, ante XXI. suae aetatis annum a speciali Tutore, quem Judex ipsis constituet, consensum in nuptiis contrahendis exquirent. Illud autem observatu dignum, quod Matrimonium absque parentum consensu contractum validum omnino sanxit Trident. Synodus (3).

Tum Jure cautum, quod ante celebrationem matrimonii praemittendae sint civiles denunciationes (4): quae tamen imminente alterutrius contrahentis vitae periculo, et ab ipsis praestito jurejurando nullum legitimum impedimentum extare, omitti possunt (5). Adhaec requiritur coram Officiali Municipali actus status civilis, qui utique est solemnis promissio nuptias in faciem Ecclesiae contrahendi (6). Atvero ex hujusmodi promissione nulla sponsis datur actio ad matrimonium contrahendum, sed solummodo ad indemnitatem illi non denegatur jus, qui nullam dederit causam a nuptiarum celebratione recedendi (7). Denique si matrimonium contrahatur in faciem Ecclesiae absque indicata promissione, validum sane erit, at nullum jus civile pariet inter ipsos conjuges, nec inter filios nascituros, quia civilibus caret effectibus (8).

Quod vero cognationem civilem spectat: prohibetur matrimonium I. inter adoptantem, et adoptatum, vel adoptati descendentes II. inter adoptantem, et conjugem adoptati III. inter adoptatum, et adoptantis conjugem IV. inter adoptatum, et adoptantis filios, licet adoptivos (9). Cum vero matrimonii impedimenta constituendi potestas Catholicae Ecclesiae Jure divino insit (10): quod jus vel a prima aetate ipsa exercuit: hinc duo veluti corollaria deduces: alterum, quod impedimentum istud Jure civili inventum, et ab Ecclesia receptum, et adprobatum (11) dirimens prorsus evasit inter personas designatas n. I. II. II.: alterum, quod si matrimonium contrahatur inter adoptatos, et adoptantis filios, licet adoptivos, validum illud erit, quia deest ecclesiastica sanctio; at effectibus civilibus minime gaudebit, quippe quod civilibus legibus adversatur.

(1) *Ibidem art. 166.*
(2) *Ibidem art. 164.*
(3) *Sess. XXIV. Cap. 1. de reform. Matr.*
(4) *Cod. Civ. Tit. II. art. 68.*
(5) *Cod. Civ. Tit. V. art. 179.*
(6) *Cod. Civ. Tit. II. art. 77.*
(7) *Ibidem art. 78.*
(8) *Cod. Civ. art. 189.*
(9) *Cod. Civ. art. 159; et 160.*
(10) *Trid. sess. XXIV. Can. XII.*
(11) *Can. I. Cap. XXX. quaest. 3. Cap. unic. de Cognat. legali.*

Digitized by Google

APPENDIX

De potestate dispensandi in recensitis impedimentis.

Certum est, quod impedimenta Juris naturalis, et Divini nulli subjaceant dispensationi, cujusmodi sint impedimentum erroris circa personam, impedimentum vis, impedimentum ligaminis, impedimentum consanguinitatis in primo gradu lineae rectae, et impedimentum impotentiae absolutae, ac perpetuae. Ab illis ergo impedimentis Ecclesia potest dispensare quae Jure Ecclesiastico constituta sunt, quia qui Legem condidit, ab eadem eximere subditos valet.

Q. Quid est dispensatio?

R. Est actus legitimus justa de causa eximens aliquem a Lege.

Q. Quinam potest dispensare jure ordinario in impedimentis dirimentibus?

R. Potest Summus Pontifex in impedimentis de Jure Ecclesiastico, quia qui legem condit, potest illam abrogare, argum. Cap. *Proposuit* de concess. Praebend. tamen Pontifex ex praesumpta Dei voluntate, aliqua urgente gravi necessitate, dispensare potest super impedimentis de jure Divino dirimentibus, quando originem trahunt a voluntate humana, et ad Deum referuntur, Hostiens. in Cap. *Non est* 5. de voto, D. Thomas in IV. dist. 38. q. 1. art. 4. Vide Conradum in praxi dispensat. lib. 8. Cap. 10. n. 18.

Q. In quibus impedimentis Cardinalis Poenitentiarius dispensare potest?

R. Potest in impedimentis tantum occultis in foro conscientiae, et omnino gratis, excepta consanguinitate ex quovis gradu, atque affinitate ex copula licita, atque etiam cognatione spirituali occulta pro matrimoniis contrahendis, et secundo ejusdem gradu, h. e. tam consanguinitatis, quam affinitatis dictae pro contractis, quia hanc obtinet facultatem a Summo Pontifice; at de potestate dispensandi circa impedimenta matrimonii legi poterit Bulla Benedicti XIV. incip. *Pastor Bonus*.

Q. Num possint Episcopi in impedimentis matrimonii dispensare?

R. Regulariter loquendo non possunt; quia omnia impedimenta Jure Ecclesiastico dirimentia sunt introducta decreto Summi Pontificis, aut Concilii Generalis, ideoque Episcopi uti inferiores Papae, et Concilio Generali nequeunt legibus dispensare.

Dixi *regulariter*, quia ex delegatione Summi Pontificis possunt in impedimentis occultis post matrimonium contractum et consummatum detectis dispensare, concurrentibus nonnullis conditionibus, scilicet, I. Ut matrimonium sit in faciem Ecclesiae contractum, praemissis denuntiationibus. II. Ut adsit bona fides saltem ex parte unius. III. Ut sine scandalo separari nequeant, vel juxta multos sine gravissimo damno. IV. Ut non possit facilius haberi recursus ad Pontificem ob paupertatem, vel ob aliam causam, vel probabile periculum peccandi contrahentibus imminens. Ita communiter; quae tamen dispensatio valet tantum pro foro conscientiae.

Q. Quid requiritur, ut quis dicatur mala fide contrahere?

R. Juxta Salmanticenses non requiritur tantum, ut sciat factum, v. g.

Digitized by Google

contrahere cum consanguinea uxoris mortuae, sed etiam ut sciat jus, quod irritat tale matrimonium.

Q. An dentur casus, in quibus Episcopus potest dispensare, etiam ante contractionem matrimonii?

R. Dantur, et I. Est, quando imminet mors alicujus, et est necessarium matrimonium ad legitimandos filios, ad evitandum foeminae infamiam, vel gravia damna. II. Quando foemina nobilis est pasata tali die contrahere matrimonium, et illo, vel proximo die confitetur, et in confessione manifestat habuisse copulam cum consanguineo viri, et divisio matrimonii est illi gravis causa infamiae, nec habetur via eam evadendi, si tunc non celebretur matrimonium, communiter. Confer Conrad. lib. 3. Cap. 4. in praxi dispensat.

Q. An dentur casus, in quibus Episcopus potest dispensare extra casum necessitatis?

R. Maxime, scilicet in impedimentis supervenientibus matrimonio jam contracto ob affinitatem, cognationem spiritualem, votum simplex castitatis, posse Episcopum dispensare, ut possint invicem Conjuges petere debitum, uti patet ex Consuetudine. Salmantic., Sanchez, Bonac., Concina, aliique.

Q. An requiratur causa ad validam dispensationem?

R. Dispensatio concessa a Summo Pontifice absque causa est valida in impedimentis de jure ecclesiastico, quia qui legem condit, potest et illam abrogare. Dispensatio vero concessa ab Episcopo sine causa est nulla, quia inferior non recipit potestatem dispensandi in lege Superioris ad sui beneplacitum, sed solum in ordine ad prudentem dispensationem. Quare dispensando sine causa utpote excedens limites suae commissionis, quia non censetur Superiorem ei delegasse potestatem dispensandi sine causa, nihil proficiet, atque irrita manebit dispensatio.

Q. Quae expressio falsitatis reddit nullam dispensationem?

R. Illa, quae rationabiliter movet Summum Pontificem ad dispensandum, itaut illa falsitate non exposita, Pontifex non dispensaret, Sanchez, Concina, aliique.

Q. An consanguinei, vel affines, et spirituali cognatione conjuncti, vel publica honestate, petendo dispensationem debent exprimere copulam incestuosam notoriam ante matrimonium habitam?

R. Quod licet adsit litigium inter DD., tamen affirmativam sententiam sequimur, tum quia ita declarasse Sacram Congregationem ajunt Conradus, Barbosa, aliique, tum quia ita habetur ex stylo Romanae Curiae vim juris habente. Sanchez, Palaus, aliique. Sed quid si copula sit occulta, num recurrendum sit pro illa ad Sacram Poenitentiariam? affirmant Sanchez, et alii dicentes hanc esse praxim, et docentes, quod exprimendum.

Q. Num sit exprimendum, quod copula ad facilius dispensationem obtinendam habita sit a contrahentibus dispensationem petentibus, etiamsi sit occulta?

R. Est manifestanda haec intentio, si exponenda erit copula, tanquam causa obtinendi dispensationem, quia semper Ecclesia detestatur dolosas, et malitiosas machinationes contra sua praecepta, et quia difficilius in casu dispensat. Immo Salmanticenses advertunt non esse manifestandam, quando

Digitized by Google

talis intentio fuit tantum mente concepta, quia talis intentio non subjacet Ecclesiae potestati.

Verum Salmanticenses hac parte non audiendos nec sequendos reor, qui etiam docent copulam non esse necessario exprimendam in dispensationis petitione. Et sane si haec intentio, sive spes facilius obtinendi dispensationem, cum qua fuit habita copula, explicanda decernitur juxta stylum inveteratum Curiae, etiam si illa ex parte unius tantum adfuerit, uti probat, ac docet Pyrr. Conrad, in praxi dispens. Apost. Lib. 8. Cap. 1., aperte inde patet illam esse manifestandam, etiam si animo tantum illa fuerit concepta. Qua in re subjicitur Ecclesiae potestati ipse actus externus tali circumstantia affectus, h. e. copula habita cum animo dispensationem obtinendi.

Q. Qualis manifestatio requiritur quoad impedimenta, ut dispensatio non sit subreptitia ?

R. Requiritur manifestatio omnium impedimentorum, quae obstant matrimonio, et contrahentibus. Hinc si quis velit contrahere matrimonium cum Berta, quae sibi consanguinea, vel affinis, et occidit virum ejus causa contrahendi ex conspiratione cum Berta inita, tenetur in supplicatione exprimere omnia ista impedimenta, nam aliter obtinet dispensationem de uno, et non de altero. Porro sunt exprimendi gradus consanguinitatis, vel affinitatis; an sint in linea recta vel transversali, an cognatio sit carnalis, an spiritualis; et si loquamur de criminis impedimento, an sit ex machinatione, an ex adulterio etc., sicuti etiam an publica honestas sit ex matrimonio rato, vel ex sponsalibus, et ratio est quia istae sunt causae, quibus Pontifex solet facilius, aut difficilius dispensare, aliis, atque aliis adjunctis limitationibus.

Q. Num opus sit, ut exprimatur, an affinitas sit ex copula licita, vel illicita ?

R. Maxime, quia hic est stylus Curiae, stylus enim Curiae facit jus. Hinc porro quando fit mentio affinitatis, intelligitur de affinitate ex copula licita, uti notat Vincent. de Justis. Quare si sit illicita copula, et hoc non exprimitur, dispensatio est nulla. Ubi nota, quod etiam hoc exprimendum est, num affinitas sit in linea recta, vel obliqua.

Q. Num Parochus possit assistere matrimonio, quando scit, contrahentes esse irretitos aliquo impedimento ?

R. Vel scit illud extra confessionem, et non potest, etiam si impedimentum sit occultum, quia tenetur in tali casu illud manifestare Episcopo, et Parochus tenetur assistere matrimonio valido, non autem nullo, ne contrahentes maneant in perpetuo damnationis statu, uti colligitur ex Cap. *Cum inhibitio* ult. de clandest. dispensat. Vel scit in Sacramento confessionis, et tenetur assistere; nam non potest extra confessionem uti scientia, et notitia in confessione habita, ne confessio reddatur onerosa, et odiosa, qui tamen monere tenetur illum in confessione ne contrahat, Sanchez, Bonac., aliique communiter.

Q. Num requiritur ad convalidandum matrimonium nulliter initum, ut denuo celebretur coram Parocho, et testibus ?

R. Vel matrimonium fuit nullum ratione clandestinitatis, et est convalidandum coram Parocho, et testibus: vel fuit nullum ratione alterius impedimenti, et dico, vel Parochus, et testes sciunt, vel scire possunt extra confessionem, matrimonium esse nullum, et etiam est convalidandum coram

Digitized by Google

Parocho, et testibus, quia aliter Parochus, et testes non possunt testificar de validitate matrimonii, juxta Tridentinum; vel Parochus, et testes hoc nesciunt, neque adest periculum, quod in posterum sciant, vel deducatur ad notitiam publicam, et non requiritur denuo praesentia Parochi, et testium, uti patet tum ex praxi, et usu Ecclesiae, tum ex declaratione Cardinalium, teste Ladesma, et Sanchez, licet non desint DD. contrarium sentientes. Quod si adsit periculum, quod impedimentum publicetur, tunc requiritur praesentia Parochi, et testium ad matrimonium convalidandum, tum ut evitetur scandalum, tum etiam ne alter Conjugum probatc postea impedimento petat matrimonium declarari nullum fuisse, ut cum alio contrahere possit.

Q. Quaenam causae assignari possunt pro obtinenda dispensatione super impedimento consanguinitatis, vel affinitatis?

R. Plures, quarum aliae dicuntur honestae, quae scilicet solent esse, quando locus originis, vel domicilii ita angustus est, ut mulier oratrix nullum in eo possit reperire virum pa is conditionis, nisi consanguineum, vel affinem. II. Est bonum pacis inter familias etiam privatas gravibus odiis inter se discordes, atque invicem adversas, et contrarias confirmandae vel instaurandae. III. Est aetas puellae annum vicesimum quartum excedentis. IV. Periculum vitae, si scilicet contrahendo cum consanguíneo, vel affine periculum effugiat vitae. V. Timor defectionis, ac recessus a recta, et catholica fide: uti cum scilicet inter haereticos versantur catholici, ne coganlur isti cum illis contrahere. VI. Conservatio illustris familiae, magnarumve divitiarum in eadem cognatione.

Aliae autem causae dicuntur infámantes, quae scilicet inducunt Oratoribus aliquod dedecus, quarum I. Est, quando viciniae scandalum contrahentes dederunt ob nimiam inter se familiaritatem in agendo habitam, etiam seclusa copula, ita ut nisi contrahentes inter se copulentur, Oratrix non reperiet alium virum, cui nubet.

II. Quando adfuit copula, et prolis conceptio, itaut scandalo non possit occurri, nisi per matrimonii contractionem utriusque partis consanguinitatis, vel affinitatis vinculo conjunctae.

III. Quando matrimonium est contractum, et invicem separari non possunt sine scandalo, vel gravi dispendio, et pro hac causa explicandum num scienter, vel ignoranter matrimonium contraxerunt, num praemissis, necne denuntiationibus.

Not. justa causa relaxandi Canones, aut necessitas, aut utilitas est, uti supra explicavimus, non quidem privata, sed publica, quatenus nempe majus bonum redundet in Ecclesiam ex venia Canonis concessa. Ad rem Bernardus lib. 3. de considerat. Cap. 10. ait: *Deinde quaeritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur, ubi necessitas urget, excusabilis est dispensatio, ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est, utilitas dico, communis, non propria.* Verum si plura de hac materia cupis, confer attente Pyrrhum Conradum, Vincentium de Justis, Fagnanum, et cl. Auctorem Appendicis de dispensation. Matrimonial. in additionibus Theologiae praticae Hyacinti Stampò tom. 5.

Hic quippe sit finis hujusce Tractationis, atque etiam universi Theologici curriculi, quod D. O. M. adjuvante, atque opitulante feliciter emensi sumus.

Digitized by Google

ADDITAMENTA EX S. LIGORIO

DE FORMULIS AD OBTINENDAM DISPENSATIONEM SUPER IMPEDIMENTIS MATRIMONII (1).

Maxime huc refert adnotare formulas ad obtinendam dispensationem a Poenitentiaria super praefatis impedimentis, aut votis, aut irregularitatibus.

Si petatur dispensatio super impedimentis matrimonii, intus a parte superiori: *Eminentissime, et Reverendissime Domine.* Circa medium.

N. N. cum carnaliter cognovisset quamdam mulierem, dedit fidem de Matrimonio contrahendo N. N. ejus sorori. Et quoniam impedimentum est occultum, et matrimonium, si cum praefata sorore non contraheretur, magnum eveniret scandalum; quapropter suppliciter orat Em. V., ut ei dispensationem benigne indulgeat. Responsum dignetur mittere Neapolim (aut Neapoli Salernum) ad Rev..., (hic exprimitur nomen, et cognomen) *Confessarium approbatum. Et id pro gratia habebit* etc. Si vero Matrimonium est jam contractum poterit sic scribere. N. N. *ignarus (aut conscius) impedimenti, contraxit cum muliere, matrem* (sive *sororem*), *cujus jam antea carnaliter cognoverat, sed cum impedimentum sit occultum, ideoque cum nequeat sine scandalo separari, supplicat Em. V. pro absolutione, et dispensatione. Responsum, etc.*

Circa vota castitatis, aut Religionis: *N. N. cum castitatis voto sit obstrictus, et cum in gravi versetur periculo incontinentiae, suppliciter orat Em. V., ut dignetur oratori a praefato voto dispensationem indulgere, quo matrimonium contrahere possit* etc.

Circa irregularitates: N. N. *Sacerdos incurrit irregularitatem ob homicidium (aut abortum, aut violationem censurae),* etc., *et cum ei immineat periculum infamiae, si a celebrando se abstinet, ideo supplicat etc.*

Foris vero in superscriptione: *Eminentissimo ac Reverendiss. Domino. Colendiss.*

Domino Cardinali Poenitentiario Majori
Romam

Confessarius vero, cui commissa est dispensationis executio, in dispensando, absolutione Sacramentali impertita, hac formula uti poterit: *Et insuper auctoritate Apostolica mihi concessa dispenso tecum super impedimento primi (seu secundi, seu primi, et secundi) gradus proveniente ex copula illicita a te habita cum sorore mulieris, cum quam contraxi-*

(1) *Homo apost. Tract. XVIII. De Sacr. Matr. Cap. II. Punct. VII. de dispens. super imped. Mat. §. 88. et seq.*

Digitized by Google

sti (aut contrahere intendis), *ut matrimonium cum illa rursus contrahere possis, renovato consensu, et prolem si quam, suscipies, (vel suscepisti) legitimam declaro in nomine Patris* etc. Sed si dispensatio est a voto castitatis, dicet: *Insuper votum castitatis, quod emisisti ut valeas matrimonium contrahere, et illo uti, in opera quae tibi praescripsisti dispensando commuto in nomine* etc. Si autem non obstante voto castitatis, aliquis jam Matrimonium contraxisset, dicet: *Item non obstante castitatis voto, quod emisisti in matrimonio remanere, et debitum conjugale exigere possis, auctoritate Apostolica tecum dispenso in nomine* etc.

Si quis autem scire cupiat quibus facultatibus S. Poenitentiaria gaudeat in dispensando ab impedimentis matrimonii, in casibus Papalibus, censuris, irregularitatibus, votis, juramentis, restitutionibus incertis vid. Tract. XIX. n. 158.

ADDITAMENTA EX S. LIGORIO

DE MATRIMONII IRRITI REVALIDATIONE (1).

Hic praenotandum 1. Matrimonium probabiliter validum, habendum esse certe validum, quia praesumitur Ecclesia certe dispensare in impedimento, quoties adest vera probabilitas de Matrimonii valore, ut dictum fuit *Tom. I. Tract. I. n. 27.* Praenotandum 2. (uti dictum est hic n. 29.) ad revalidandum matrimonium nullum ex defectu occulto; sufficere consensum solum externum sponsorum, omissa assistentia Parochi, et testium: illa enim jam adfuit. Itaque hic notandum impedimentum tunc dici occultum juxta *Fagnanum*, cum non est notum nisi 4. aut 5. personis loci, sed *Lambertini* cum *Trident. Navar. Thesaur., et Syro,* dicit esse occultum, licet sit cognitum 7. aut 8 personis. Caeterum dicunt *Nav., Sanch., Azor. Avil. Salmant. Reginald. Molin. Tournel. Bonac. Castrop. Tolet.* etc. communissime dictum, aut factum tunc dici occultum, cum non est notum, nisi majori parti Religionis, Paroeciae, aut Viciniae, ubi morantur saltem 10. personae; et mihi constat S. Poenitentiariam dispensasse in quodam casu, quo impedimentum erat cognitum 10. personis. Hoc tamen intelligi debet quoties prudens non adsit timor, ne impedimentum fiat publicum quia tunc non potest dispensari impedimento, uti occulto: licet esset notum tantum duabus personis, uti dicunt *Layman., Sporer, Croix Hurtad* etc. Et idem dicit *Fagnanus* observandum, cum in clausula S. Poenitentiariae dicitur *omnino occultum*, ut poni solet in impedimento *criminis*. Contra dicunt *Sanchez, et Lambert. cum Bonac. de Leone Girib, Tiburt. Navar.*, et pluribus aliis, quod aliquando factum est publicum materialiter, quia jam viciniae cognitum est, sed formaliter est occul-

(1) *Homo apostol. Tract. XVIII. de Sacr. Matr. Punct. VI. §. 77. et seq.*

Digitized by Google

tum, quia ignoratur tale impedimentum; et tunc potest etiam ad Poenitentiariam pro dispensatione concurri tanquam occultum.

His positis quaeritur 1. An revalidandum sit matrimonium coram Parocho, et testibus cum tempore, quo contractum fuit conjuges erant conscii impedimenti? Affirmant *Sanchez Ledesma, et Croix*, et alii probabiliter, quia tunc illi non fuerunt testes de valore matrimonii, sed potius nullitatis. Sed probabilius negant *Coninc. Tambur. Gobat.*, et alii, quia eorum assistentia a Tridentino non praescripta fuit ad testificandam Matrimonii validitatem, sed ad ejus celebrationem, ne quis (ut exprimit Concilium) fraudulenter plura matrimonia ineat, immo hic est Stylus Sacrae Poenit.

Quaeritur 2. An qui ficte contraxit, teneatur ad revalidandum Matrimonium per verum consensum? Affirmant *Castropal. Roncagl. Concina, Salmant.* etc. dicendo quod cum una pars jam corpus suum tradiderit per consensum, tenetur altera pars, ut aequalitatem servet, tradere etiam corpus suum per verum consensum. Sed probabilius *Sanchez. Navar. Henriq. Arag. Hurtad. Gutt.* etc. negant (modo matrimonii revalidatio non requiritur ad reparanda damna ex dolo illata): ratio est, quia deficiente consensu alterius, contractus fuit nullus, et per consequens nulla intercessit alterius partis traditio, adeo ut eadem pars remaneat in eo casu libera, non secus ac nunquam consensum dedisset.

Quaeritur 3. An qui ficte, aut metu contraxit (quo casu Matrimonium est nullum ut diximus n. 64) si velit matrimonium revalidare, verum praestando consensum, teneatur alteri parti manifestare matrimonii nullitatem? Negat sententia communior cum *Sanchez. Lessio, Navar. Laym. Tournely, Roncaglia Bonac. Salmant.* et aliis pluribus cum *S. Antonino, et S. Thoma*, qui loquendo de Matrimonio metu inito dicit: *Ex consensu libero illius qui primo coactus est, non fit Matrimonium, nisi in quantum consensus praecedens in altero, adhuc manet in suo vigore; unde si dissentiret non fieret matrimonium* (1). Igitur si metum passus consensum praestat, jam matrimonium revalidatur. Ratio est, quia in contractu Matrimoniali non est necessaria simultas physica consensuum, sed sufficit moralis, nempe ut una pars consensum suum praestet, dum alterius partis consensus semel praestitus adhuc perseverat in aliquo effectu, nimirum per copulam materialem, aut per cohabitationem. Idem tenet *P. Cuniliati* cum *S. Bonaventura, Paludano, et Soto*, atque non obstare timorem quod si requireretur pars de novo consensu forte non daret; nam hic dissensus interpretativus non est verus dissensus, et interim perseverat consensus semel praestitus. Id quod fortius urget pro hac sententia sunt duo Canones, qui pro ea adducantur. Primus est in Cap. *Insuper* 4. *Qui matrim. accus.* etc. ubi in Argumento sic habetur: *Invita desponsata postea sponte cognita contra matrimonium non audiatur.* Secundus est *in Cap. Ad id* 21. *de Sponsalib.* ubi dicitur: *Quamvis ab initio invita fuisset ei tradita, tamen, quia postmodum per annum ibi cohabitans consensisse videtur ad ipsum est cogenda redire.* Itaque juxta hos textus spontanea copula, vel cohabitatio aequivalet libero consensui. Advertendum vero cum *Sanchez., Navar. Tournely* etc. ad hoc, ut

(1) Suppl. quaest. 47. n. 4. ad 2.

Digitized by Google

pars liberum ponat consensum, oportet ut sciat nullum fuisse Matrimonium. Secunda autem sententia absolute tenet quod ad revalidandum Matrimonium manifestanda est alteri parti ejus nullitas, ita dicunt *Castropalau*, *et Hurtadus* apud *Salmanticenses*, et praesertim *Pontius* cum *Comitolo*, qui refert super hoc quamdam declarationem Clementis VIII., qui consultus in simili casu sic respondet. Ratio, quia consensus partis, qui libere eum praestitit ab initio fuit nullus, cum ceciderit super materiam inhabilem: unde cum materia postmodum habilis facta fuerit, ad Matrimonium reconvalidandum novus requiritur consensus sensibilibus signis praestandus, quando quidem primus cum fuerit invalidus perseverare non potuit. *Cardinalis Lambertini* sentit quod cum agatur hic de valore Sacramenti: omnino haec secunda sententia tenenda est, tanquam tutior, tanto magis, quod idem *P. Sanchez* (ut ait), qui oppositam tuetur probabiliorem vocat. Ratio caeterum supra adducta videtur, equidem satis fundata. Sed contra non video, quomodo responderi possit testibus supra relatis, et praesertim secundo *in cap. Ad id de Sponsal.*, ubi casus fuit quod puella quaedam prius invita nupsit, deinde judicans Matrimonium nullum, ad secundas transierit nuptias; at quia per annum cohabitaverat cum primo viro, praecipit Pontifex, ut ad eum rediret, urgente praesumptione, quod sua longa cohabitatione jam consensum praestiterit: *Quamvis ab initio* (repeto verba textus) *invita fuisset ei tradita, tamen quia postea per annum ibi cohabitans, consensisse videtur, ad ipsum est cogenda redire*. Papa igitur non habuit pro vera rationem *Pontii*, quod consensus libere praestitus a viro, eo casu per se nullus esset, tamquam cadens super materiam inhabilem, sed potius ut verum habuit, quod ille mariti consensus moraliter perseverans, et se conjungens cum consensu postmodum praestito a muliere per suam cohabitationem, jam primum conjugium revalidaverant, et ideo praecepit ad ipsum mulierem redeundam esse. Quod autem ad Declarationem Clementis in contrarium adductam, respondet *Roncaglia*: vel de ea non satis constare, vel Pontificem eo casu ut privatum Doctorem fuisse locutum.

Quaeritur 4. An cum Matrimonium est nullum ob aliquod impedimentum, ut revalidetur novo consensu, sublato impedimento per dispensationem utraque pars conscia esse debeat nullitatis? Affirmant *Poncius Leu. et Castrop.* cum *Guttier Hurt.*, *Comit*, et aliis: quia prior consensus praestitus a parte, quae ignorabat impedimentum, fuit nullus: posterior vero ejusdem partis etiam nullus est, siquidem cum ignoret nullitatem Matrimonii, licet praestet consensum, errat ideo in substantiam dum intendit consentire in conjugem jam suum. Contra *Sotus*, *Palud. Ledes. Rodriq. Ang.* etc. dicunt non esse necessariam Scientiam nullitatis Matrimonii, sed sufficere simplicem consensum praestitum a parte inscia aut expresse, aut saltem signis externis, quia licet prior consensus fuerit nullus ob impedimentum ab Ecclesia oppositum, attamen fuit validus lege Naturae; quare sublato impedimento, sufficit prior consensus, qui jam perseverat in effectu per copulam conjugalem, aut per cohabitationem, aut per alia signa externa. Et revera *Lambert.* (postmodum Benedictus XIV.) refert quoddam Breve Clementis XI. 1701. 2. April., ubi Papa revalidavit quaedam Matrimonia aliquarum Nationum, quae nominabantur *Procueles* et *Quartarones* nulliter contracta, quin novum exquisierit consensum. Su-

Digitized by Google

per hoc punctum quidquid dictum sit in Opere Morali, nunc dicimus, quod stante declaratione Benedicti XIV. edita die 27. septemb. 1755., novissime a me inspecta in *Tom. 4.* Bullar. nuperrime typis dato *pag. 346.* ubi dicitur facto casu, quod quidam vir contraxit nulliter Matrimonium ob impedimentum consanguinitatis sed bona fide, et conabatur illud roborare inscia uxore ob scandalum quod timebatur separationis, Pontifex dispensasse, et simul etiam declarasse (vide ibid. §. 7.): quod cum non agatur de impedimento orto jure divino, vel naturali, ut cum datur consensus, vivente altero conjuge, aut si est servus ignotus, aut erratur in persona, sed jure Ecclesiastico; in eo casu posse quidem Papam Matrimonium roborare dispensando a novo consensu praestando a parte ignorante impedimentum, pro valido habendo consensum, quem illa in principio dedit, qui consensus lege Naturae erat validus, tunc enim Papa aufert impedimentum in radice Matrimonii retrotrahendo contractum ac si a principio nullum adfuisset impedimentum. Juvat hic verba Benedicti adnotare: *Porro gratia concessa importat dispensationem in radicem Matrimonii, quae a Romanis Pontificibus concedi consuevit, urgente magna causa, et quando agitur de impedimento Matrimonii, ortum habente non a jure Divino, aut naturali, sed a Jure Ecclesiastico, et per eum non fit, ut matrimonium nulliter contractum non ita fuerit contractum, sed effectus de medio tollantur, qui ob hujusmodi Matrimonii nullitatem ante indultam dispensationem atque etiam in ipso Matrimonii contrahendi actu producti sunt.* Caeterum cum haec specialis Papae dispensatio, non intercedit, non est recedendum in praxi a prima sententia, potissimum quia S. Poenitentiaria in concedendis dispensationibus pro revalidandis Matrimoniis nulliter contractis expresse apponit Clausulam: *Ut dicta muliere* (aut viro) *de nullitate prioris consensus certiorata, uterque inter se de novo secrete contrahere valeant.* Et haec ut probabilius ait *Lambert.* est conditio positiva, non autem simplex instructio, uti contendebant *Sanch. Bonac.* etc., nam juxta juris peritos ablativum absolutum importat veram conditionem, sicut habetur *ex L. A testatore ff. de Condit.* etc. Hoc tamen intelligitur extra casum urgentis necessitatis, quia in casu, quo si patefacta nullitate Matrimonii timeretur periculum mortis, aut infamiae, aut scandali ob separationem, tunc observetur quod dicetur *Tom. III. Tract. XX.* n. 57., ubi dicetur in eo casu posse Episcopum dispensare, et cum necessitas non pateretur moram, juxta id quod dicunt plures DD., potest Confessarius declarare legem impedimenti tunc non obligare, adeo ut possit Matrimonium contrahi, omissa dispensatione.

Quaeritur 5. Si exigendus est consensus a parte inscia (juxta primam sententiam praecedentis quaesiti) quomodo exigendus est? Communis est sententia cum *Sanch. Card. Holzm.* sufficere parti consciae impedimenti, eo per dispensationem sublato, sic dicere: *Tempore quo contraxi tecum, ego verum consensum non praestiti, cum nunc praesto, vis etiam tu eum praestare?* quia consensus datus a parte inscia in hoc casu jam non penderet a primo, et recte potest dici, quod consensus nullus, cum contractus sit nullus, non est verus consensus. Ita pariter puto cum *Busemb. Salman. Caj., Navar. et Trull.* sufficere, si dicatur: *Ego dubito de valore Matrimonii nostri, renovemus consensum*: quia eo casu consensus reno-

Digitized by Google

vatus jam esset independens a primo. Admittunt etiam multi DD. *dicere, Dic mihi, si Matrimonium nostrum fuisset nullum, intendis nunc denuo mecum contrahere?* Hunc modum ego non admitterem, nisi tantum cum pars ignara ob talem interrogationem de nullitate Matrimonii in suspicionem veniret, aliter consensus illius dependeret a primo, et non esset sufficienter validus juxta in superiori quaesito dicta. Alii autem admittunt, etiamsi diceret: *Si non me accepisses, acciperes nunc?* Aut *Pro mea consolatione de novo consensum praestemus nostro Matrimonio.* Sed istis modis ego penitus non assentior, dum in ipsis consensus certo non facit, ne dependeat a priori. Et tanto minus admittere possum, quod tenent aliqui sufficere solam copulam maritali affectu praestitam. Hoc dumtaxat admittunt. *Sanch. Tourn. Bon. Sot. Cajet. Coninch. Salmant.*, *Ronc.*, *Instruct. pro Confess. Tyronibus*, et alii communiter in solo casu necessitatis, nempe cum alii modi adhiberi nequeunt sine periculo gravis damni, ut dictum est supra num. praeced. Nec obstat tunc clausula *certiorata parte requisita a S. Poenitentiaria*, quia in tali casu necessitatis praesumitur, ut sentit *Lambertini* cum *Tiburt. Navar.* loc. cit. Ecclesia velle omitti talem conditionem, uti moraliter impossibilem, cum contra sit valde fundata sententia, quod sufficiat ad revalidandum matrimonium nulliter contractum sola copula, aut cohabitatio voluntaria, uti habetur *ex cap. Ad id de sponsal. Cap. Insuper qui Matrim. accus. etc. et ex Cap. significavit de eo qui dux.*, et ubi dicitur, quod per cohabitationem, aut copulam conjugalem spontaneam subsequentem Matrimonium nulliter contractum ob vim, aut metum, roboratum esse intelligitur. Vide n. 80.

FINIS TOMI IV. ET ULT.

Digitized by Google

INDEX

TRACTATUUM CAPITUM ET ADDITIONUM

QUAE IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR

TRACTATUS XII.

De Censuris

SECTIO I. *De Censuris in genere* 3
Cap. I. *De definitione, et divisione censurae* . . . . . *ib.*
Cap. II. *De caussa efficiente censurarum, seu de iis, qui possunt censuras infligere.* 6
Cap. III. *De subjecto censurae, seu de illo, qui ligare potest censura* 9
Cap. IV. *De caussa materiali censurae, quae est peccatum.* . . . 11
Cap. V. *De forma, seu ritu servando in ferenda censura* . . . 13
Cap. VI. *De causis excusantibus a censura* 16
Cap. VII. *De absolutione censurae* 18
SECTIO II. *De Censuris in specie* 22
Cap. I. *De definitione, divisione, et effectibus excommunicationis.* *ib.*
§. I. *De privatione usus activi, et passivi Sacramentorum* . . 23
§. II. *De privatione communium Ecclesiae suffragiorum.* . . . 26
§. III. *De privatione celebrationis divinorum officiorum, ejusque interesse* 28
§. IV. *De inhabilitate ad ecclesiastica beneficia* 29
§. V. *De privatione jurisdictionis spiritualis* 30
§. VI. *De privatione civilis communionis cum fidelibus* . . . 31
§. VII. et VIII. *De privatione ecclesiasticae sepulturae, et de nullitate impetrationis gratiarum* 35
Cap. II. *De Excommunicatione minori* 36
Cap. III. *De Excommunicatione, quae contrahitur ob clerici percussionem* 37
Cap. IV. *De Suspensione* 41
Cap. V. *De Interdicto* 45
Cap. VI. *De Interdicto ab ingressu Ecclesiae.* 49
Cap. VII. *De cessatione a Divinis.* 50

Digitized by Google

TRACTATUS XIII.

De Irregularitate

Cap. I. *De irregularitate ex homicidio illicite patrato contracta* . 53
Cap. II. *De irregularitate ex iteratione Baptismi.* 56
Cap. III. *De irregularitate ex violatione censurae.* 57
Cap. IV. *De irregularitate ex illicita Ordinum susceptione.* . . 58
Cap. V. *De irregularitate contracta ratione infamiae* 60
Cap. VI. *De irregularitate ex defectu Sacramenti, seu bigamiae* . 61
Cap. VII. *De irregularitate ex defectu perfectae lenitatis.* . . . 63
Cap. VIII. *De irregularitate ex defectu corporis* 64
Cap. IX. *De irregularitate ex defectu Animae* 66
Cap. X. *De irregularitate ex libertatis defectu.* . . . . . *ib.*
Cap. XI. *De irregularitate ex defectu natalium* 67

TRACTATUS ULTIMUS.

De Sacramentis in genere

Cap. I. *De notione, et natura Sacramentorum novae Legis* . . . 69
Cap. II. *De Sacramentorum Ministro* 74
Cap. III. *De Sacramentorum effectibus* 79

ADDITAMENTA EX S. LIGORIO

De Sacramentis in genere 80

DE BAPTISMI, ET CONFIRMATIONIS SACRAMENTO.

Cap. I. *De definitione, institutione, et necessitate Baptismi* . . . 81
Cap. II. *De materia, et forma Baptismi.* 82
Cap. III. *De Baptismi Ministro* 84
Cap. IV. *De Baptismi effectibus* 85

ADDITAMENTA EX S. LIGORIO

De Sacramento Baptismi 86
Cap. V. *De Confirmationis definitione, institutione, et necessitate.* 87
Cap. VI. *De materia, forma, et Ministro Confirmationis.* . . . 88

DE EUCHARISTIA

In duas partes dispescimur hocce Sacramentum: in prima loquimur de Eucharistia, ut Sacramentum est. In secunda de eadem, ut est Sacrificium 90

Digitized by Google

Pars. I. *De Eucharistiae Sacramento* . . . . . *ib.*
Cap. I. *De variis Eucharistiae nominibus, ejusque definitione* . . *ib.*
Cap. II. *De Materia, et Forma Eucharistiae Sacramenti* . . . 91
Cap. III. *De Ministro Eucharistiae Sacramenti* 92

ADDITAMENTA EX S. LIGORIO

De Eucharistiae Sacramento 93
Pars. II. *De Eucharistia uti Sacrificium est* 96
Cap. I. *De nomine, et definitione Sacrificii Missae* . . . . . *ib.*
Cap. II. *De Ministro Sacrificii Missae, et de dispositionibus ad illud requisitis* 97

ADDITAMENTA EX S. LIGORIO

De Missarum stipendio 99

DE SACRAMENTO POENITENTIAE

Cap. I. *De Notione, et natura Sacramenti Poenitentiae* 100
Cap. II. *De Sacramenti Poenitentiae materia* 102
Cap. III. *De Materia remota Sacramenti Poenitentiae* . . . . *ib.*
Cap. IV. *De Materia proxima Sacramenti Poenitentiae, et primo de cordis contritione.* 104
Cap. V. *De Confessione.* 111
Cap. VI *De Satisfactione.* 122

ADDITAMENTA

Canones poenitentiales secundum Decalogi ordinem dispositi . 130
Cap. VII. *De Poenitentiae Sacramenti forma* 133
Cap. VIII. *De Poenitentiae Sacramenti Ministro* 134
Cap. IX. *De Confessarii officio* 138

ADDITAMENTA EX S. LIGORIO

De officio, et aliis muneribus Confessarii. 142
Cap. X. *De Sigillo Confessionis.* 147
Cap. XI. *De subjecto, et effectibus Poenitentiae* 150
Cap. XII. *De Reservatione.* 151

DE CASU RESERVATO

Cum excommunicatione in Dioecesi Neapolitana contra loquentes cum Monialibus 154

Digitized by Google

ADDITAMENTA

De Casibus in Neapolitana Dioecesi Ordinario reservatis . . 156

DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS

Cap. I. *De definitione, institutione, materia, et forma hujusce Sacramenti.* 160
Cap. II. *De Ministro Sacramenti Extremae Unctionis, et de iis, quibus conferri debet.* 161
Cap. III. *De effectibus Sacramenti Extremae Unctionis* . . . . *ib.*

ADDITAMENTA EX S. LIGORIO

De Sacramento Extremae Unctionis 162

DE SACRAMENTO ORDINIS

Cap. I. *De definitione, et divisione Sacramenti Ordinis* 164
Cap. II. *De materia, forma, et Ministro Ordinis* . . . . . *ib.*

ADDITAMENTA EX S. LIGORIO

De vocatione divina in Ordinando requisita 165

DE SACRAMENTO MATRIMONII

Cap. I. *De Sponsaliorum nomine, natura, et speciebus* 168
Cap. II. *De conditionibus ad contrahenda valide sponsalia de futuro* 170
Cap. III. *De impuberum sponsalibus* 178
Cap. IV. *De causis dissolventibus sponsalia* 180

DE MATRIMONIO

Cap. I. *De natura Matrimonii, ejusque proprietatibus* 186
Cap. II. *De Divortio.* 192
Cap. III. *De Debito Conjugali.* 195
Cap. IV. *De Matrimonii impedimentis* 199
§. I. *De impedimento Erroris* 202
§. II. *De impedimento Conditionis.* 203
§. III. *De impedimento Voti* . . . . . *ib.*
§. IV. *De impedimento Cognationis* 207
De Cognatione carnali . . . . . *ib.*
De Cognatione spirituali 209
De Cognatione legali. 211
§. V. *De impedimento Criminis.* 213

Digitized by Google

§. VI. *De impedimento Disparitatis cultus* 217
§. VII. *De impedimento Vis* 219
§. VIII. *De impedimento Ordinis* 221
§. IX. *De impedimento Ligaminis* 222
§. X. *De impedimento Honestatis* 223
§. XI. *De impedimento Affinitatis* 226
§ XII. *De impedimento Impotentiae* 228
§. XIII. *De impedimento Clandestinitatis* 230
De Clandestino Matrimonio improprie dicto 233
§. XIV. *De impedimento Raptus* 234

ADDITAMENTA

De Matrimonio 235

Appendix de potestate dispensandi in recensitis impedimentis . . 241

ADDITAMENTA EX S. LIGORIO

De formulis ad obtinendam a S. Poenitentiaria dispensationem super impedimentis Matrimonii 245

ADDITAMENTA EX S. LIGORIO

De Matrimonii irriti revalidatione 246

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

HW 2PHW W

Digitized by Google

Digitized by Google